


RI
gh.





Signt. "Top."

Est. 74

Tab. 6

Nüm. 226

...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.
...m. 1900. V. 19. N. 1. 1900. P. 1. 1900.

A
5438

*OBRAS IMPRESAS POR MANUEL
Godos, Mercader de Libros en las Gra-
das de San Felipe el Real, don-
de se hallarán.*

- I. Las obras predicables del Illmo. Flechier. 6.
tomos en 4.
- II. Las del Padre Burdalue. 16. tomos en 4.
- III. Las del Illmo. Bocanegra. 3. tomos en 8.
- IV. Varias Pastorales de este Señor Illmo.
- V. El Compendio del Padre Concina, en caste-
llano. 2. tom. en folio.
- VI. Historia del Probabilismo de dicho Padre,
en castellano. 2. tomos en folio.
- VII. Arte de los Metales, de Alonso de Barba.
1. tomo en 4.
- VIII. Consejos de un padre à sus hijos. 1. to-
mo en 8.
- IX. Defensa de los Santos Padres, por el Ilus-
trísimo Bosuet, traducida en castellano. 2.
tomos en 4.
- X. Ciencia de las Medallas, por Don Manuel
Pingarron. 2. tomos en 4.
- XI. Obligaciones de Amos y Criados, por el
Abad Fleury. 1. tomo en 8.
- XII. Práctica de los quatro Juicios. 1. tomo
en 4.
- XIII. Compendio de la Etica de Aristoteles, por
Don Francisco Garcia. 1. tomo en 8.
- XIV. Cartilla de Cirujanos. 1. tomo en 8.
- XV. Arte de instruir y mover las Almas en el
Tribunal de la Penitencia. 2. tomos en 4.

VETERIS ET RECENTIORIS
PHILOSOPHIAE

DOG MATA

JOANNIS DUNSI ISCOTI,

Subtilium Principis Doctrinis accomodata,

Atque in tres Tomos distributa,

O P E R A E T S T U D I O

Fr. JOSEPHI ANTONII FERRARI

DE MODO ETIA,

Ordinis Minorum S. P. Francisci Conventualium , Artium
& S. Theologiæ Doctoris , atque Almæ Mediolanensis
Provinciæ Ex-Ministri Provincialis.

E D I T I O T E R T I A ,

*Ab ipso Au^tore recognita , & nonnullis etiam doctrinis
illustrata.*

T O M U S P R I M U S ,

*Philosophiaæ Prolegomena Logicam , Metaphysicam atque
Ethicam complectens.*

BIBLIOTECA
DEL
INSTITUTO PROFESSORAL



SORIA MATRITI M DCC LXXXIV.

APUD BLASIUM ROMAN.

SUPERIORUM PERMISSU.

ALITERIS ET RECENSIOVIS
PHILOSOPHIAE
DOG MATA
JONAS DUSI SCOTI

Speculum Philosophiae Dogmatis accommodata
Vnde in illis Japonis dicitur
OPERA ET STUDIORUM
DE JOSAPHATI ANTONII FERRARI
DE MODERATIO

Quibus Minorum & I. Francisci Convalescentia
Ex. & Theologicae Dogmatis, sive Alia Magisteria
Theologica Ex-Minimi Longioris.

EDITIONIS TERTIAE
Nº iiii. Angliae secunda, & Romanae secunda, 1691
iij. annos.

TOMUS TERTIUS
Philosophiae Theologicae, Methodicae, & Theologicae
Principia, &c.



MATITI M DCC LXXXVII.

AD BRISSUM ROMAN.

SUPERIORUM PHRIMISSVM.

LECTORI BENEVOLO.

TAM imbecilla sunt (dolebat olim Salvianus, præfatione libri primi de avaritia.) Tam imbecilla sunt iudicia hujus temporis, ac pene jam nulla, ut hi, qui legunt, non tam considerent quid legant, nec tam dictiōnis vim, atque virtutem, quam dictatoris cogitent dignitatem. Hanc litterarum labem, inconsideratumque judicandi morem hac nostra ætate longe lateque manare, immo in dies etiam novas vires acquirere, dilucide perspicis, Lector Benevole. Quot enim nunc extant morosi Censores, qui, cum de rebus præsertim Philosophicis agitur, ubi Veteris Philosophiae dogmata pertractati intellexerint, vix fortasse sublecto librorum titulo, illos dominant, execrantur, insestanturque etiam maledictis; atque novarum opinionum, quas vel primoribus labiis degustarunt, amore abrepti, eruditorum sibi assumunt supercilium, Veteresque Doctores contra sentientes per deridiculum excipiunt, & eorum sententias stomachose dictis proscindunt? Id porro ab omni ratione, immo, & ab humanitate longe alienum esse, apprime intelligis, Sapiens Lector, & juste rerum ponderator. Quamobrem cum Tibi sisto Philosophiam Universam tribus libris comprehensam, tum quæ jamdudum in Scholis obtinuit, tum quæ Recentiorum nova placita recenset, incorrupti iudicij tui spe maxima fretus, erigor plane, atque audeo, confidens fore, quod ab omnibus jure æquitatis postulo, ne quis prius hæc damnet, quam universa cognoverit, libratisque hinc inde rationum momentis, ad justum iudicium ferendum se se comparaverit.

Ego certe dum Antiquorum sententias adopto, non cæco impetu id ago, sed rationum pondere, ut cum Tullio loquar, lib. 1. de Finibus, n. 2. tuemur ea, quæ dicta sunt ab iis, quos probamus, eisque nostrum iudicium, nostrumque scribendi ordinem adjungimus. Has autem lucubraciones meas, quantum mihi fas fuit, accomodate studui dogmatibus, & sensui Joannis Dunsii Scoti Doctoris Subtilissimi, & Mariani, quo præceptore Seraphicus Ordo gloriatur, ut illi, qui ejusdem

vestigijs insistunt , planam , apertamque philosophandi methodum præ oculis habeant , antiquas , novasque opiniones referentem.

Illud etiam mihi ex animo propositum fuit , ut Philosophia hæc mea Facultati Theologicæ viam pararet , & quidquid ipsi conferre potest , distinctius exhiberet . Utriusque porro Philosophiæ , seu Veteris , sive Recentioris dogmata quammaxime in id deservire , manifestum iis esse arbitror , qui sedulam Theologicæ Scholasticæ operam navant . Neque enim Theologicæ nomine ea sola doctrinæ pars accipienda est , quæ ex Sacris Auctoritatibus , & Ecclesiastica Historia vim suam habet , & argumenta deponit . Theologi munus est , ut Tu Amice Lector , optime nosti , Atheos etiam , & Libertinos refellere , & hæreticorum errores sophistica fraude irrepentes detegere , ac funditus eradicare : quod Scholasticæ Facultatis proprium characterem designat ; hæc quippe ratione utitur , scientiasque naturales in subsidium vocat , velut ancillas ad arcem , ut earum ope conatus hostium instringat , tela retundat , machinas disjiciat , munitamenta diruat .

Hinc jure meritoque fateor , Recentiorum inventa , & experientia non solum jucunda esse , & scitu digna , verum etiam Theologis utilia , & necessaria . Quamobrem itum ea quammaxime commendō , tum ex illis nihil prætermittendum duxi , quod Theologo suppetias afferre queat . Immo vero , si opus esset , facile mihi erit ostendere , omnia pene , quæ hisce libris meis continentur , ex Veteri , & ex Recentiori Philosophia , optimo huic fini assequendo plurimum prodesse . Nam etsi nonnullæ disputationes à Veteribus olim exculta , nostra hac attente à plerisque negligantur , aliaque multa à me tradita , per se se fortassis videri queant inutilia , hæc tamen omnia Facultati Theologicæ , præstantioribusque dissertationibus vel distinctius percipiendis , vel operosius defendendis valde idonea esse , tot Sæculorum consensus , & studia , tot Sapientum vigiliae , tot Scriptorum volumina , tantus Antiquorum magni nominis Theologorum profectus , denique experientia ipsa invictè demonstrant . Id optime intellexere sapientes , iisque gravissimi Viri , quorum mihi , sententia summo loco cum sit , iidem mihi auctores fuerunt , ut hæc omnia singillatim exhiberem .

Ne

Neque vero quispam mihi succenseat , quod Veterum placitis adhaerescam , eademque nitar confirmare , opinionibus Recentiorum rejectis . Quamquam enim istis sua laus tribuenda sit , tamen ubi ad tertium naturam intimius perscrutandam ducimur , nihil habent profecto Recentiores ipsi , quo sibi plaudant , quasi veritatem sint assecuti . Id sane luculentissime ostendit tanta inter ipsos opinionum dissensio , qua sibi invicem de omnibus pene rebus bella mouent , ac se se mutuis vulneribus conficiunt . Immo in tanta Recentiorum Scriptorum multitudine neminem unum invenire fas est , qui malit aliorum vestigiis insistere , quam nova comminisci , ceterosque omnes adlatrare . In dies etiam appareat , plerosque Recentiores vix ullam constantem opinionem tenere , & mirari licet eundem saepe Philosophum , qui aliis instituendis praest , ajentem modo , nunc negantem sententiam tueri : Gassendi placita primum , tum adversantia illis Cartesii commenta adoptare , iisque omnibus postea repudiatis in Nevtoni opinionem descendere ; atque hac ipsa tandem derelicta , vel ad unam ex prioribus redire , vel omnes simul rejicere , & de earumdem rerum veritate invenienda cum Pyrrhonice desperare .

Cuique igitur fas esse vides , Lector Benevole , eam sequi sententiam , quae probatis sibi principiis consona magis apparat . Ingenue tamen profiteor , me in omni ferme disputatione probabilia sequi , nec ultra id , quam quod verisimile occurrerit , progreedi posse ; nec ego volo (ut verba S. Augustini assumam) temere credi cuncta , quae posui , quia nec à me ipso ita creduntur , tanquam nulla de illis sit in mea cogitatione dubitatio . Tuo proinde acri , experrectoque judicio perficiendam , ubi opus fuerit , & emendandam , si ratio postulet , Philosophiam expono . Si quae autem contractis expressa videbuntur , altera praesto erit auctior hujusce Philosophiae editio , res praesertim physicas uberior declarans .

Ut vero barbariem sermonis data opera non captavi , ita nec à vocabulis , distinctionibusque Scholæ usu jam receptis abstinentum duxi , quod istæ rem ipsam significantius exprimant , & absque longa , & obscura circumlocutione quasi sub oculos ponant . In rebus enim difficillimis , ut sapienter ajebat S. Augustinus , libro 4. de Doctrina Christiana , cap. 9. & 10.

non debet curare ille, qui docet, quanta eloquentia doceat, sed quanta evidensia: cuius evidensia diligens appetitus aliquando neglit verba cultiora, nec curat quid bene sonet, sed quid bene indicet, atque intimet quod ostendere intendit. Omnia denique placuit mihi tradere stricta, pressaque Scholastica methodo, & vi dialectica, quia haec Candidatis Philosophiae imbuendis efficacior, Scholarumque usui accommodatior est, plurimumque saeculorum experimento patet, eamdem dogmatibus tunc suadendis, tum percipiendis, tum defendendis plurimum conferre.

habes igitur, Lector Benevoli, Philosophiam ex Veteribus, Recentioribusque meo labore collectam, quo, si tibi lubet, fruaris. Sin minus, Scriptoris animum, & voluntatem humaniter excipe.

pro ipsa iudeorum religione, vel synum ex pietatis reedite, vel pro posteris iudeorum religiosis, vel synum ex pietatis reedite, vel omnes simili iudeitate, & de cunctis pietatis reedite, & de cunctis iudeis.

Quidam iudei utrue esse aries, Tegor Beccoris, cum sedi-
eantibus, dum homines sibi pueriles consors nascis abbas-
tiorum. Invenimus iudeum blogerum, ut in omni ferme pietatis occurre-
nopsyllis edui, nec nisi in duas domus acrisimile occurre-
rit. Iudeorum blasphemata etiam dico (in Actis 2. Anabaptistis secun-
dum) iudeorum blasphemata etiam dico, dum dico, hinc nec a me iudeo ut
iudeum, sed dico iudeum, ut iudei in mea contumelie non
iudeum, sed dico iudeum, ut iudei in mea contumelie non
iudeum. Tuo pionibus sci, scheneggodes iudicio besificium
sidi. Quoque iudei, ex emendationem, si ratio postea, Hipposo-
pianus exhortans si dicas sententiam cunctigenie exibessas iudeipunitum
hunc dicens ex his iudeis iudei pietatis cito, nec huc
exibessas iudeis iudei pietatis cito.

Si uero pietatis sententias dicas oportet non exibesi, ita nec
a vocibus, ait iudei pietatis sententias Speciosum istu techie spes.
Iudeum dico, dum iudei sententiam siungitcassum exibimus
et spacio iudei, & operis circumlocutione dicas super uen-
tos bonos tu iudei sententiam officiellum, ut esibias iudei
non

PHILOSOPHIÆ PRÆLUDIUM.



Hilosophia, sive Sapientiæ Studium, præstantissima Facultas, quæ intellectum hominis illuminat, rationem perficit, voluntatem dirigit, universim considerata aptissime describitur à Cicerone, lib. 2. de Officiis: *Est rerum divinarum, & humanarum, caussarumque, quibus haec res continentur, scientia.* Res enim omnes contemplatur, carumque caussas exquirit, nam & Deus ipse caussas cognoscendi habere dicitur, quoniam per creaturas à nobis cognoscitur: ut ipsamet Philosophia demonstrat.

Hinc Philosophia summe utilis est, & humano generi necessaria, ut rerum notitia imbuatur animus, & in privatis, publicisque negotiis gerendis dirigatur; sed Catholico Viro ea plurimum confert, ut se in fide corroboret, alias confirmet, hæreticosque confundat.

Quinque mentis habitibus, seu

virtutibus Philosophia potissimum continetur, quos Aristoteles recenset, lib. 6. Ethicorum, c. 3. Sunt autem Intelligentia, Scientia, Sapientia, Prudentia, & Ars. Intelligentia est notitia primorum principiorum, quibus mens nostra ex sola terminorum apprehensione assentitur. Scientia est cognitio certa, & evidens rei alicujus. Sapientia est rerum præstantissimarum, & universalium notitia. Prudentia est notitia directrix actionum humanarum, ut bonæ, ac laudabiles sint in genere moris. Ars denique est habitus cum recta ratione actius, seu effectivus. Quæ quidem omnia distincte suis in locis declarabimus.

Quia vero in Philosophica Facultate plurima sunt, quæ sola probabili conjectura tenemur, idcirco locum in ea obtinet Opinio, non quatenus hæc dubitationem dicit, sed quatenus præfert mentis nostræ assensum alicui veritati ex probabilibus derivatum, qui

ta-

tamen certitudinis, & evidentiæ momentis nequaquam fulcitur. Hinc sit, ut etsi intellectus re ipsa anceps non maneat, nobis tamen innotescat aliquando rem posse aliter se habere.

Quatur recensentur principales Philosophiæ partes. Prima dicitur *Rationalis* nempe *Logica*, certas præscribens regulas menti nostræ in verum dirigendæ. Secunda nominatur *Supernaturalis*, sive *Metaphysica*, quod res contempletur sensibilium ordinem transcendentis. Tertia appellatur *Moralis*, nimirum *Ethica*, regulas exponens moribus nostris honeste compendiendis accommodatas. Quarta *Naturalis*, videlicet *Physica*, quæ in rebus naturalibus, ac sensibilibus versandis occupatur.

Ut bonorum omnium, ita Philosophiæ primus Auctor est Deus, qui & Protoparenti Adamo omnigenitam rerum omnium scientiam, perfectamque notitiam infudit: ut postea demonstrabimus. Sed occœcta per peccatum originale mente hominum, ipsorum etiam negligentia, & temporum injuria Facultas Philosophica usque adeo obruta, & conseputa aliquandi fuit, ut illius memoria pene omnis sublata videretur. Divina tamen dirigente Providentia factum est, ut cum Viri ingenio præstantes suspenso judicio Naturæ effectus admirarentur, ex admiratione diligens inquisito caussæ, tum inventio multipli experientia, & ratione confirmaretur.

Omnibus pene Nationibus illustrare Sapientiæ Amatores, ac Veritatis Perscrutatores eximuntur Hebrews Rabbini, Babyloniis, Assiriisque Chaldæi, Persis Magi, aliisque populis alii duces, philosophandi fuere. Græci tamen præ cæteris in Philosophiæ instauratione celebantur quod in singulas ejus partes diligentius incubuerint, & eam in quoddam veluti corpus digestam scriptis suis in posteros transmiserint. Ab ipsis variae manarunt Philosophantium Sectæ. Est autem Secta, hominum multitudo, ab aliis quodammodo secta, & divisa, determinatam doctrinæ rationem tenens sub uno duce, seu præceptore.

Prior Secta appellatur *Dogmatica*; eorum nempe, qui veritatem se se assecutos contendebant. Inter istos præcipue recensentur Thales Milesius, Pythagoras, Democritus, aliique.

Secunda Secta est *Academica*, nomenque suum depropnsit ab Academia, sive à loco nemoroso in suburbio Athenarum, quem nobilis Vir, *Academus* nomine, Philosophorum exercitationibus consecrarat. Hujus Sectæ Philosophi assensum omnem cohiebant, & nihil omnino affirmabant. Horum Principes fuere Socrates, & Plato, unde & Platonici dicebantur, ut & *Sceptici*, seu *Inquisitores*, quod licet ignotam esse veritatem arbitrarentur; de ea tamen invenienda nequaquam des-

perarent, ejusque propterea inquisitioni constanter vacarent. *Pyrrhone* quoque vocati sunt à Pyrrhone Academico. Dicebat autem Socrates celebre illud: *Hoc unum scio, me nihil scire*. Plato autem vir eloquentia præstantissimus, appellatus est *Divinus*, qui nimurum ceteris ante ipsum de Deo aptius disserunt. At postquam multi ab hac secta defecerunt, Dogmaticis partim adhærentes, Arcesilas methodum Socratis revocavit; dicebat autem, ne posse quidem rem ullam sciri, unde novi isti Academicci appellati sunt *Acataleptici*: quasi diceret: Qui nihil omnino comprehendendi posse arbitrarentur. Inter hos celebratur Carneades, qui Romæ magna cum eloquentia Academicorum explicituit doctrinam.

Qui timidam illam Academicorum philosophandi methodum abjecere, & plures Dogmaticorum opiniones adoptaverunt in tres partiti sunt Sectas, Stoicorum, Epicureorum, & Peripateticorum.

Stoicorum Dux fuit Zeno Citticus, è Cittio Cyperi oppido originem dicens, qui Athenis in Stoa, seu Porticu, severioris Philosophiæ dogmata tradidit, & subtilitate multa, etiam sophysmatibus repleta disseruit; præsertim vero partem illam, quæ ad mores pertinet excoluit.

Epicureorum Secta nomen sortita est ab Epicuro ejusdem Sectæ Patrono, qui in hortis, ubi suos conventus agebat, Democriti pla-

Tom. I.

cita, quæ propria fecerat, explicabat. Hujus Philosophiam latinis carminibus in sex libros distributam exposuit Lucretius.

Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in lycæo. Quanquam Joannes Jonsius Dissertatione in Peripateticorum Historiam Hamburgi edita anno 1652. eos ita appellatos fuisse contendat, non quod disputarent ambulantes, sed quia Aristoteles doctrinam suam in loco tradebat deambulationi destinato. Horum Princeps fuit Aristoteles Platonis auditor, & Alexandri Magui Magister. Vir magno ingenio, & omni scientiarum genere instructus, Athenis originem dedit Sectæ suæ. Aristoteli Theophrastus successit: & Chronologicam Peripateticæ Philosophiæ Magistrorum maxima cum laude florentium seriem non interruptam à sæculis 20. ad nostram fere ætatem fuse tradit, & probat P. Seraphinus Piccinardi Ordinis Prædicatorum, tom 2. Philosophiæ Dogmaticæ.

Peripateticam methodum summa cum exestimatione in Parisiensi Sacra Facultate sectati sunt quamplurimi præstantes Viri, inter quos primas tenet Petrus, natione Lombardus, Episcopus postea Parisiensis, qui ob collectas SS. Patrum circa fidei Christianæ mysteria sententias, & in quatuor libris digestas, circa medium duodecimi sæculi, Magister sententiarum est appellatus, & Scholasticorum Pa-

B

rens

rens merito habetur. In eadem illa Academia Parisiensi tres veluti in partes peripatetica Secta fuit primo distributa : adeo ut principiorum quidem una sit , & concors omnium sententia, sed variae posse in illis vigeant opiniones de pluribus assertionibus , quæ ex iis principiis nitide ac perspicue non ducuntur.

Alii igitur Peripatetici appellantur *Thomista*, qui Præceptorem habent S. Thomam Aquinatem, patria Neapolitanum, professione Ordinis Prædicatorum, qui circa medium saeculi 13., Scholarum Principis nomen Luteriæ Parisiorum obtinuit. Secundum inter Peripateticos locum dignitatis tenent *Scotistæ*, qui Joanne Dunsio Scotto , Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, Magistro gloriantur. *Nominales* demum alii Peripatetici dicuntur, quorum Doctor fuit Guillielmus Okamus , natione Anglus, prædicti Ordinis profesor , & Scoti discipulus : quamquam in multis ab eo dissentiat. Addere his possumus, alias esse peripateticos, quos appellant *Neotericos*: qui nimurum, ut sibi placuerit , varias adoptant sententias : Inter quos effulgent præ ceteris præclarissimi, doctissimique Societatis Jesu Professores. Sed horum omnium, ut diximus, plena est in generalibus Peripateticæ Philosophiæ principiis consensio.

Circa medium autem saeculi 27. Galileus Ducus Hetruriæ Mathe-

maticus , Gassendus , Cartesius, aliquique postea Philosophiam Mechanicam , à Democrito , & Epicuro quondam excultam, à cineribus illis, in quibus jamdudum consepulta jacuerat , exsuscitarunt; & multis in locis , prout necessitas exposcebat , eamdem emendantes, novis experimentis maximopere illustrarunt , ex quibus magna lux, maximumque decus Philosophiæ accessit.

Hinc duæ celebriores Recentiorum Philosophorum sectæ prodierunt , Gassendarum altera, alia Cartesianorum. Illa ducem habet eruditissimum virum Petrum Gassendum, Presbyterum Præpositum Ecclesiæ Diniensis in Gallo-Provincia , & Regium in Academia Parisensi Matheseos Professorem: qui variarum Philosophiæ partium, ac multiplicis literaturæ voluminibus maxima eloquentia exaratis, clarus obiit Parisiis , ann. 1655. ætatis suæ 64. Altera sectatur placita Renati Cartesii , Domini de Perron, ex gente nobili apud Armoricos oriundi, qui in Mathematica Facultate plurimum excelluit. Occupuit autem Holmiæ an. 1650. ætatis suæ 54.

Novissimis tamen hisce temporibus viget maxime inter Recentiores altera secta , auctore Isaaco Newtono, nobili Anglo , & insigni Mathematico , qui & Peripateticorum ratiocinia dimittit, & aliorum Recentiorum hypotheses negligit , atque de internis rerum

Præludium.

H

naturis , ut in sece sunt , perscrutandis minime sollicitus , in solis earum affectionibus ex Mathesi deducendis , confirmandisque occupatur.

Quoniam autem Nos Scotti doctrinam profitemur , ejusdemque ratiocinationibus maxime innitimus ; icecirco per pauca quædam hic juvat exponere , quæ ad illius commendationem pertineant , ut qui hæc nostra evolverint , Magistri nostri merita perspiciant , & Adolescentes alacriori animo doctrinæ huic incumbant.

Itaque Joannes Dunsius Scotus anno circiter 1272 , natus est . De illius Patria certant inter se Hiberni , Angli , & Scotti . Sub finem sæculi 13. summa cum laude in Sacra Parisiensi Facultate Doctoris , & Magistri laurea , & mune- re insignitus , sententias suas exposuit . Omnibus Doctor iste Theologis auctor extitit propugnandæ Immaculatæ Conceptionis BB. Mariae Virginis , primus omnium publica disputatione ejusdem Immaculatæ Conceptionis tutelam suscipiens in Parisiensi Universitate , tanto auctoritatum ponde-

re , tanta rationem vi , tanto ingenii acumine , ut Parisiensis Episcopus , aliquic doctissimi & clarissimi adstantes Viri summam illius scientiam admirati , eumdem *Subtilis Doctoris* insigni titulo ornarint . Inde etiam merito appellatus est *Doctor Marianus*.

Hinc porro sapienti consilio factum est , ut prætot aliis sanctissimis , eruditissimisque Viris , Joannis Dunsii Scotti Doctoris Subtilis , & Mariani doctrinam Seraphicus Ordo noster seligeret , eumdemque ut suum Praceptorē , ac Magistrum veneraretur . Hinc celebriores Orbis Catholici Universitates tanti Doctoris scientiam suspexerūt , atque in ejus obsequium Cathedra in illis ad hæc usque tempora floret ipsius doctrinæ destinata .

Teste Joanne Possevino Societatis Jesu , in suo Apparatu sacro , tom. 2. absque ullo erroris nœvo libri Scotti in OEcumenis Concilii inviolati permanserunt . Insigni autem doctrinæ singularem morum probitatem , ac genuinam in Deum pietatem Scotus copulavit : ut plures gravissimi Auctores recensent .

DISSE

T A T I O

P R O E M I A L I S.

In Philosophiam universim acceptam.

SINGULAS Philosophiæ partes postmodum exposituris quidam de illa generatim complecti præstat, ut eamdem primo & ab adversantibus vindicemus, & in ea pertractanda lux quedam effulgeat. Tametsi vero Dialecticam, Scholasticamque disputandi methodum in prima logices parte explanatur simus, nihilominus ut quæ in ista Dissertatione traduntur, tum facilius percipi, tum efficacius tueri queant, eamdem illam methodum hic tenendam dicimus; atque in antecessum animadvertisimus, ratiocinationem omnem tribus potissimum contineri propositionibus, quarum tertia ex prioribus colligitur. Earum prima dicitur Propositio major; secunda, Propositio minor; tertia, Consequens. Istius autem cum illis connexio appellatur Consequentia, quæ bona est, si consequens à prioribus legitime profluat: si sæcus, mala. Proinde Consequentia locum distinctioni non facit: propositiones autem, quia multiplicem sensum habere queunt, capa-

ces sunt distinctionis. Quandoque tamen ratiocinatio duas tantummodo propositiones aperte præse fert, quarum prima nominatur: Antecedens, secunda vero Consequens, quippe ex prima derivatur: nihilominus semper altera propositio subauditur. Hæc vel in ipsa ratiocinatione naturali experiri quisque potest; sed in prima Logices parte distinctius declarabuntur.

QUÆSTIO PRIMA.

An Adam creatus fuerit à Deo cum omnigena rerum naturalium scientia.

OMNIBUS ratione utentibus manifestum est, primum scientiarum omnium Auctorem esse Deum, qui infinita intelligendi vi, & summa sapientia pollet. Ab eo itaque origo Philosophiæ ducitur. Sed ut ipsius exordium in hominibus etiam perscrutemur, primam hanc quæstionem assumimus, & quærimus, utrum Protoparen-

ti Adamo Deus Philosophicam facultatem in ipsius creatione contulerit.

Dicimus, rerum omnium naturalium exquisitam, perfectamque notitiam Protoparenti Adamo à Deo conditore inditam fuisse. Ita fert communis Theologorum, ac Philosophorum consensus.

Probatur 1. Ecclesiastici c. 17. legimus: *Deus cor dedit illis* (nempe primis Parentibus Adamo, & Evæ) *excitandi, & disciplina intellectus replevit illos: creavit illis scientiam spiritus, sensu impletiv cor illorum, & mala, & bona ostendit eis.* Atqui verbis istis Divinæ Litteræ manifestant, Deum contulisse Adamo Philosophiam, siue exquisitam rerum omnium naturalium scientiam. Igitur ita dicendum est. Min. propositio probatur. Philosophia, ut diximus, quatuor partes complectitur, Logicam, Metaphysicam, Physicam, & Ethicam. Hæ quatuor partes in verbis illis videntur expressæ. Neque enim aliud *disciplina intellectus*, nisi Logicam demonstrat, quæ certis regulis, ac præceptis intellectum hominis in veri acquisitionem dirigit: *Scientia spiritus ad Metaphysicam pertinet, quæ res spirituales, & à materia abstractas contemplatur.* *Sensu etiam impletiv Deus cor illorum,* quatenus physicas eis sensibilium notiones indidit. Tum mala, & bona ostendit eis: quod Ethicæ sumnia est. Ergo &c.

Probatur 2. Genesis c. 2, dicitur, Adamum nomina imposuisse cunctis animalibus terræ, & universis volatilibus cœli; & addit Scriptura: *Omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus:* quo significatur, nomina ab Adamo imposita, naturæ cujusque animalis aptata fuisse. Ergo Adam tunc cognovit animalium omnium naturas, & proprietates, ut eisdem consentanea nomina tribueret. Quamobrem S. Joannes Chrysostomus, homilia 14. in Genesim optime concludit: *Qui congruis nominibus jumenta appellare, & volatilia cali, & alias bestias potest, quomodo non omni sapientia, & industria poterit?*

Probatur 3. Deus creavit Adamum in ætate perfecta, omnesque illi corporeas perfectiones attribuit. Ergo eumdem etiam omni mentis ornamento ditavit, eidemque omnem animi perfectionem naturalem indidit. Consequens patet, tum à simili; tum, quia ut Adam futurus erat humani generis sator, & parens, ita primus quoque hominum Doctor, & Rector esse debebat: quod ille munus absque omni gena rerum naturalium scientia exequi haud poterat; tum denique, quia id maxime congruit illi innocentiae statui, in quo Deus Adamum condidit, & rectum fecit; tunc enim locus esse non potuit ignoracioni; quæ naturalem illius status felicitatem interturbasset. Igitur, &c.

Objicies 1. Primi Parentes peccavere, mandatum Dei transgrediendo, promumque vetitum comedendo. Atqui hoc peccatum indicat eorum ignorantiam. Ergo non pollebant omnigena scientia. Minor probatur. Ut fert communne proloquium : *Omnis peccans est ignorans* : deinde primi Parentes videntur pecasse desiderio sciendi, nimium ea fallaci serpentis promissione illecti : *Eritis sicut Dii, scientes bonum, & malum*: ut legimus cap. 3. Genesis.

Respondeatur. Nego minorem. Ad probationem, quoad primum dicimus, non omne peccatum presupponere ignorantiam, nam & plerique peccant ex pura malitia. Ita sane mali Angeli pccaverunt, licet scientia infusa prædicti. Porro omnis peccans dicitur esse ignorans, per defectum considerationis debita: quatenus voluntas objecto malo illecta avertit intellectum, ne regulam recti attendat.

Ad secundum. Primi Parentes scientiam appetivere, non quidem naturalem, sed naturali excellentiorem, atque humanæ conditioni longe superiorem.

Instabis. In Genesi dicitur, post lapsum apertos fuisse oculos Adami, & Evæ. Hoc autem novam præ se fert notitiam. Tum Deus de Adamo dixisse fertur : *Ecce Ad in qui sis unus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum*. Igitur, &c.

Respondeatur, post lapsum apertos dici oculos Adami, & Evæ,

quod scientia experimentali tunc cognoverunt differentiam inter statum naturæ innocentis, & statum naturæ lapsæ. Sensere enim pœnam peccati, videlicet inordinatos concupiscentiæ motus, & rebellionem carnis adversus spiritum; qua de causa fecerunt sibi perizomata. Ironice autem, & ex indignatione dixit Deus Adamum factum fuisse scientem, postquam peccaverat.

Objicies 2. Adamus credidit verbis serpentis, & Eva candide fassa est, se fuisse deceptam, & ait : *Serpens decepit me*. At qui omnigena rerum naturalium notitia pollet, is dubio procul agnoscit serpentem loqui non posse, & à ligno oriri non posse scientiam, æqualitatem cum Deo esse impossibilem: quæ duo tamen à serpente promissa fucrant. Sed nec sapientis est, transcurrentis voluptatis gratia violare præceptum Dei, qui mortem minitatus fuerat transgressoribus. Ergo &c.

Respondeatur, Adamum non credidisse verbis serpentis, sed ne uxorem contristaret, fructum vetitum comedisse. Adamus ergo sciens, & volens, amore in uxorem victus, perire voluit: non quidem amore concupiscentiæ, sed amicali quadam inordinata benevolentia, qua plus æquo uxorem adamavit: ut diserte docet S. Augustinus, lib. 14. de Civitate Dei, cap. 11. Quod autem Eva decepta fuerit à serpente, imbecillitatem

tem sexus , levitatem animi , ac infirmitatem judicij in muliere ostendit. Quamquam inordinatus erga se ipsam amor prima fuit Evæ culpa, quæ plus æquo se diligens , Deum contempsit. Tametsi igitur optime sciret, à ligno oriri non posse scientiam , nihilominus præsumptione sui jam obcæcata potuit credere serpenti: ut ait laudatus Docttor , lib. 11. de Genesi ad litteram , cap. 30.

Neque tamen primi Parentes putavere serpentem virtute propria loqui , sed potius crediderunt Angelum sub specie serpentina delitescentem uti organis serpentis pro voce efformanda. Sapientes autem peccare , dum voluntas intellectui recta ostendenti renuit adhærere, & malorum Angelorum , & Salomonis exemplo satis compertum est.

Objicies 3. Adamus non novit evidenter elementa , cælos , & sidera , nam eis nomina non imposuit ; immo perfecta corundem cognitio videtur soli Deo reservata, qui , ut ait Davit, Psalm. 146. numerat multititudinem stellarum , & omnibus eis nomina vocat. Deinde Adamus non cognovit futura contingentia, nec secreta cordium, nec omnia individua cuiuslibet speciei , nec omnia experimenta. Igitur , &c.

Respondetur ad primum, Adamum habuisse scientiam elementorum , cælorum , & siderum, quamvis non imposuerit eis nomi-

na : quemadmodum metallorum, stirpium , ac piscium perfectam notitiam possedit , etsi nusquam legamus iisdem nomina ab Adamo fuisse imposita. Utique perfectam scientiam habere debuit Adamus, ut congrua animalibus nomina tribueret ; sed ex ea scientia non sequitur, eumdem debuisse necessario imponere nomina rebus omnibus. Nec cælestium rerum , elementorumque cognitio soli Deo reservata est. Nam & Salomoni concessa fuit , ut legimus Sapientiae cap. 7. David autem loquitur de scientia perfectissima , & à sej atque cum summo imperio, ac postestate conjuncta : quæ sane solius Dei est.

Ad secundum. Cognitio illarum rerum non pertinet ad perfectiōnem naturalem creaturæ , unde nec Angeli cognoscunt futura contingentia , & arcana cordium; nec singulorum individuorum, aut experimentorum notitia quidquam conferre poterat ad felicitatem status innocentiae in quo Deus Adamum ab initio creavit.

Objicies 4. Sacrae Litteræ usque adeo celebrant sapientiam Salomonis , ut Adamum ipsum scientia præcessisse videatur. Etenim lib. 3. Regum, cap. 3. dixit Dominus Salomonis : *Dedi tibi cor sapiens , & intelligens , in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit , nec post te surrecturus sit.* Atqui hoc falsum esset, si Adam habuisset omnem scientiam. Igitur , &c.

Respondeatur, testimonium illud S. Scripturæ accipiendum esse tantummodo comparete ad Reges Israël. Siquidem lib. 2. Paralipomenon, cap. 1., ubi eadem Dei allocutio refertur, inquit Deus Salomonis: *Sapientia & scientia data sunt tibi: divitias autem, & substantiam, & gloriam dabo tibi: ita ut nullus in Regibus nec ante, nec post te fuerit similis tui.*

Objicies s. Philosophia & rerum naturalium scientia est habitus naturalis. Ergo non potuit à Deo infundi Adamo. Consequentia probatur. Habitus supernaturalis, ut sunt fides, spes, & charitas, non potest acquiri. Ergo nec habitus naturalis potest infundi.

Respondeatur. Nego consequentiam. Ad probationem, nego paritatem. Quippe habitus supernaturalis, hoc ipso quod supernaturalis est, excedit vires naturæ, proindeque acquiri non potest; nam si viribus naturæ acquireretur, non esset amplius supernaturalis. At vero habitus naturalis, etsi infundantur, semper in se naturalis est. & sit supernaturalis tantummodo quoad modum suæ productionis. Deinde habitus acquisitus fit ex frequentatis actibus. Ergo habitus, ut acquiratur, effici debet ab actibus iis similibus, quos ipse habitus promptiores, facilioresque reddit. Atqui habitus supernaturalis non datur *ad facilius posse*, sed *ad simpliciter posse*, ut Scholæ loquuntur, sive habitus superna-

turalis, omnino necessarius est ad substantiam actus. Habitus igitur supernaturalis acquireti non potest per actus, quia necessario præcedit ipsos, tanquam causa. Habitus autem naturalis datur *ad facilius posse*.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quonam ex fonte hauserint Ethnici Philosophiam?

E Thnico Philosophos veritates plurimas recto rationis naturalis lumine compérisse, & tradidisse, nemo ambigit. Solidiorē tamen eorum doctrinam; majori saltem ex parte, è Divinarum Litterarum fonte fluxisse, probata apud Veteres Ecclesiæ Patres, & S. Scripturæ Interpretes sententia est: quam præ ceteris fuse, eruditèque tutatur Petrus Daniel Huetius Episcopus Abrincensis, in præclarissimo opere Demonstrationis Evangelicæ. At in partem adversam plerique alii sapientes Viri, & emunctæ naris Critici calculum suum ponunt, & gravissima momenta constituunt. Quid igitur dicendum hac in re sit, inquirimus.

Dicimus, plurimum probabile esse, Ethnico Philosophos solidiora dogmata sua à Sacris Litteris de prompsisse.

Probatur. Veteres Scriptores testantur. Ethnico Philosophos Sacro Codice usos fuisse, & plurima ab illo hausisse: Nullum au-

tem.

tem evidens momentum demonstrat, hanc Veterum Scriptorum assertionem esse falsam. Igitur plenum probabile est, Ethnicos Scriptores solidiora dogmata sua à Sacris Litteris deprompsisse. Antecedens probatur. Tertullianus in Apologetico, cap. 47. ait: *Quis Sophistarum, qui non omnino de Prophetarum fonte potaverit?* Inde igitur & Philosophi sitim ingenii sui rigaverunt, ut quæ de nostris habent, ea nos comparent illis. Inde, opinor, & à quibusdam Philosophia quoque ejecta est. Tum vero relatis pluribus exemplis quibus apparet Gentiles Philosophos in suis doctrinis tradendis, ea, quæ in S. Litteris exponuntur, imitatos fuisse, inquit: *Unde hec, o vos, Philosophis tam consimilia? Non nisi de nostris sacramentis.* Eamdem sententiam defendit S. Cyrillus Alexandrinus in lib. 1. adversus Julianum Apostatam. Postquam enim ex accurata temporum ratione docuit, singulos Græciae Sapientes fuisse Mose posteriores, eos etiam ex illius librī solidiora dogmata suffuratos probat, dicens: *Omnem, ut ita dicam, orbem per vagati, semper discendi cupidi fuerunt, ut multa scire, aut cognoscere viderentur...* Ecqui tales viri utilia discere soliti, tam graves historias, dogmatumque, & legum antiquissimam, & accuratam explanationem (quam nempe Moses tradidit) capessere neglexissent? Pythagoras non exiguo tempore

Tom. I.

in Egypto moratus, collectis inde, quibus imbutus fuisse perhibetur, disciplinis, in Patriam redit, quin etiam & Solon, & Plato, uerque in Egypto versatus, scripta Moses admirati sunt. Quam autem Gracis Scriptoribus notissimus esset Moses, ex his, quæ ipsi scripserunt, licet cognoscere. Id porro Diodori antiquissimi Ägyptiacarum rerum perquisitoris testimonio confirmat. Idipsum tradit Josephus Hebreus, lib. 1. contra Appionem, & Hermippi auctoritate corroborat. Consentit Aristobulus Judæus, apud Eusebium, lib. 3. Præparationis Evangelicæ, cap. 12. His omnibus subscribunt Justinus Martyr in Parænesi, & in Apologia 2., Clemens Alexandrinus, lib. 3. Pædagogi, & Stromatum lib. 1. & 5., Theodoretus lib. de Curandis Græcorum affectionibus, sermone 2. aliique passim. Ethnicorum etiam, & præsertim Platonicæ doctrine in multis cum Moysa consensio, illius ab ista propagationem videtur ostendere. Quod quidem argumentum exquisite persequitur laudatus Huetius, qui & Hebraeorum consuetudine Veteres Philosophos usos fuisse docet. Denique ex iis, quæ pro adversantium argumentorum solutione erunt dicenda, assertio nostra firmari poterit. Igitur &c.

Objicies 1. Laudata Scriptorum Veterum testimonia nullius sunt roboris, si falso fundamento innitantur. Ita est. Ergo &c. Mi-

nor probatur. Testimonia illa innuntur libro Aristææ, quo historia Græcæ Versionis à LXX. Senioribus peractæ continentur. Atqui ea, quæ in hoc libro referuntur, atque à Philone, Josepho, & aliis confirmantur, commentitia esse, & à Judæis conficta videntur. Igitur &c. Minor probatur. Aristæas reçerset, Theopompum Historicum, & Theodecten Poetam, utrumque à Deo punitum, illuminantis alienatione, hunc oculorum cæcitatem, quod Sacrum Codicem attingere temere attentaverint: utrumque etiam postea veniam à Deo postulasse, & obtinuisse. Quæ miracula sane ingenium Judæorum omnino sapiunt, qui portenta amant. Hinc Aristæas ipse subinde metuit, ne sibi fides habeatur. Ubique etiam ut Judæus, & in rebus Judaicis probe instructus loquitur. Ut Synedrii apud Judæos formam imitetur, sex ex unaquaque Tribu Interpretes à Demetrio Phaleræo postulatos scribit. Centum millia Judæorum Regis Ptolemaei Philadelphi sumptibus à servitute liberata dicuntur. Interpretes in insulam translati, versio intra 72. dies absoluta, lex divina aureis litteris descripta singitur: & cuncta denique sunt adspiraculum composita. Aristobolus quoque Judæus fuit, & ab Aristæa deprompsit ea quæ tradidit. Hinc probabile est, Græcam illam Versionem à Judæis Alexandriæ degentibus perfectam fuisse: sed summa etiam di-

ligentia servatam simul cum Hebraico textu, ne ad Gentilium manus perveniaret. Igitur &c.

Respondetur utique ex argu-
mento colligi, negantem opinio-
nem esse probabilem. Nihilominus certum plane non est fidem
omnem Aristææ libro adimendam
esse, qui etsi plura forte Judæo-
rum more historiæ suæ commis-
euit, non iccirco convincitur cæ-
tera omnia confinxisse. Hinc Hue-
tius, aliique eruditæ viri testimonio
Demetrii Phaleræi ab Aristæa re-
lato probant, etsi non totum Pen-
tateuchum, saltem aliquas illius
partes, ante Regis Ptolemaei Phi-
adelphi ætatem, Græcæ redditas
fuisse: quod etsi indubium non sit,
tamen sua probabilitate non caret.

Respondetur 2. Græcos Philo-
sophos Ethnicos doctrinam Moy-
sis Hebræa lingua expressam per-
cipere potuisse, eamdem addiscen-
do: quemadmodum Pythagoras,
& Plato linguam didicere Egyp-
tiacam, & Themistocles Persicam,
ut posset Regem alloqui. Hinc S.
Augustinus, lib. 8. de Civitate
Dei, c. 11., etsi inficietur, Græ-
cam S. Scripturæ Versionem ante
Regis Ptolemaei tempora factam
fuisse, & Platonem audisse Jere-
miam Prophetam; tamen de Pla-
tone dixit; cumdem forte, quia
fuit acerrimi studii, sicut Ægyp-
tias, ita & Hebræorum Scriptu-
ras per interpretem didicisse, non
ut scribendo transferret, sed ut col-
loquendo quid continerent, quan-
tum

tum capere posset, addiscret. Sed & Salomonis tempore Viri Prosejiti in Terra Israel extitere numero 153600. ut appareat ex lib. 2. Paralipomenon, cap. 2. Porro isti cum linguam Hebræam primo ignorarent, eamdem profecto didicerunt, ut cum Hebræis communicarent. Quin & Hebræi ipsi Græcorum sermonem callere debebant, ut eosdem Proselytas sua dogmata edocerent. Multi igitur Græci linguam Hebraicam callebant, & multi Judæi linguam Græcam, unde & potuere Philosophi in cognitionem devenire dogmatum Sacri Codicis: de cuius apud Hebræos custodia dicemus postea.

Dices: Ut recenset Joseph Hebræus, Ptolemæus Rex mirari se ajebat, Historicos, & poetas vetustiores nusquam meminisse Legis Mosaicæ. Ergo hinc potius dicendum est eam Legem illis non innovuisse. Tum ex pœna, qua Theopompus, & Theodecten à Deo multati dicebantur, absterrere debuissent Græci, ne Sacrum Codicem attingerent. Igitur &c.

Respondetur, Ptolemæum jure admiratum fuisse, Græcorum Sapientes in communem vita institutionem divina Legis Mosaicæ dogmata non usurpasse, & alto silentio memoriam ejusdem præteriisse; at hinc minime sequitur, Hebræorum volumina non innovuisse Græcis. Neque pœna, quæ referebatur afficta Theopompo, & Theodocti alias omnes absterrere debuit;

illi quippe audaciiori, & liberiori animo Sacras Litteras attigisse dicebantur. At alii non eadem præva animi affectione Sacrum Codicem consulere potuerunt, ut nempe rerum naturalium notitiam, earumque primordia, & cunabula ex ipsis colligerent. Tum aliorum pœna sæpe non amovet homines, ut in tot aliis criminibus compertum sit.

Objicies 2. Ethnicis patere non potuit aditus ad Sacrum Codicem. Ergo Ethnici Philosophi nullum ex illo dogma deprompsere. Probatur antecedens. Qui enim alienigenæ fortuito in Palestina ante Captivitatem Babyloniam morabantur, illum legere non potuerent. Ejusdem quippe exemplaria tunc temporis paucissima erant, atque vix Sacerdotibus, & senioribus Judæorum perspecta, nam Rex Josias ea postmodum evulgavit, appellatus propterea Divinæ Legis Restaurator. Hinc lib. 4. Regum, c. 22. legimus: *Dixit autem Helcias Pontifex ad Saphan Scribam: Librum Legis reperi in Domo Domini: deditque Helcias volumen Saphan, qui legit illud;* & postea cum Saphan legisset ejusmodi librum coram Rege, ejusdem jussu consulere Dominum; & cap. 23. Rex legit cunctis audientibus omnia verba libri fæderis, qui inventus est in Domo Domini. Non igitur Judæis omnibus exemplar Mosaicæ Legis tunc erat præ manibus. Post solutam autem Babyloniam Captivi-

tatem Hebraï Sacrum Codicem, quem velut salutis æternæ fontem suspiciebant, tanta custodiebant, superstitione, ut exteris omnino ignotum vellent, atque scelus maximum arbitrarentur, à Religione alienos ad Sacri Codicis cognitionem admittere. Hinc eorum Doctores Thalmudistæ tradunt, *littere nemini verba legis docere alienigenas.* Quod ipsum alii quoque scribunt. Inde factum est, ut Juvenalis, satyra 14. Mosis volumen appellaverit *arcanum*; quia nempe Judæi illud summa religione Gentilibus celabant, ut exponit Joannes Britanicus. Igitur &c.

Respondetur. Nego antecedens, & ejus probationem. Etenim præcepto affirmativo, inquit Maimonides, singuli Israelitæ jubentur sibi scribere librum Legis. Qui autem scribendi peritus non erat, scriptum pretio comparare debebat. Rex quoque jubetur sibi, quatenus Rex est, scribere librum Legis, Deuteronomii cap. 17. præter eum, quem privatus habebat. Proinde maxima voluminum Legis exemplaria apud Judæos extiterunt. Quod vero refertur lib. 4. Regum, significat autographum ipsum Moysis tunc repertum fuisse in domo Domini, quod piissimus Rex Josias publice legit, ut depravatos populi mores efficiacius commoveret, ac reformater. Vetus autem non fuit Judæis Gentes edocere Legem Mosaicam. Ceterum etsi permitteretur veti-

tum fuisse Judæis Sacros Codices prodere, immo eos summa custodia reservatos fuisse dicas; nihilominus nemo non videt fieri potuisse, ut saltē Judæorum aliqui in hoc etiam peccarent, cum certissimum sit ex Sacris Litteris Judæos & in idolatriam sèpius turpiter lapsos fuisse, & filios, filiasque suas Dæmonibus immolasse, & multa alia cum Gentibus pravissima sclera perpetrassè: quæ tamen omnia Dei præcepto, & naturæ etiam lumine detestanda noscebant. Contingere insuper potuit, ut alia quapiam ex caussa, etiam fortuita, in Græcorum potestatem Sacri Judæorum Libri pervenirent. Ecclesia ipsa Catholica Sacros Codices, & alia ad ritus sacros pertinentia, primis temporibus, summa custodia servabat: & tamen hæc omnia ad manus Ethnicorum devenere, quibuscum proinde Christianorum ritus illudentibus, calumniantibus, & in prophanum usum æmulantibus S. Justinus Martyr pro virili decertavit.

Objicies 3. Judæis vetitum fuit consortium cum Gentilibus. Hinc Joannes, cap. 18. de Judæis dicit. *Non introjerunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Et Josephus lib. 1. contra Appionem testatur, suos nullam habuisse cum exteris consuetudinem. Lex etiam Mosaica fuit hæreditas, & peculium Judæorum, qui de ea gloriabantur. Ergo non potuit in-

notescere, & communicari Philosophis Ethnicis. Ea autem similitudo, quæ inter Mosis, & Græcorum doctrinam perspicitur, à naturæ lumine oriri potuit. Igitur &c.

Respondetur. Nego antecedens. Cum primis enim Israelitæ sub Josue ducatu terram Chanaan ingressi non interfecere omnes prorsus regionis illius incolas, sed quosdam in communem vivendi rationem socios admisere, ut Gabonitas, & Jebusæos: quod liquido patet ex libro Josue, qui cum illis communicavit. Sane & David, & Salomon cum exteris Ethnicorum Regibus fecerunt, & amicitiam sanxerunt, ut opportuna ab eis pro Templi ædificatione compararent. Rite ergo poterant Judæi civile cum Gentilibus consortium habere; poterant etiam eos Legem Mosaiam docere, immo circuibant mare, & ariðam, ut facerent sibi Proselytos, qui Judaicam Religionem, & totam Mosis Legem amplecterentur, augenda nimis gentis suæ caussa. Hinc Judæorum scriptores Philo, & Jusephus Codicis Hebræi Versionem Græcam celebrarunt.

Itaque unice prohibitum fuit Judæis societatem cum Gentilibus inire in cultu Idolorum, prophânisque ritibus, & sacrificiis. Judæi autem, ut in Evangelio ait Joannes, non introjerunt in prætorium, ne damnationis Christi participes viderentur, & possent

manducare Pascha, nam statim à damnatione sacris vesci non licet, ut tradit Maimonides. Veritum etiam fuit Judæis uxores Gentiles ducere, ne averterent corda eorum ad Deos alienos: sicut Salomoni contigit.

Neque Josephus quodcumque commercium inficiatur; immo citato in libro defendit, Cherillum antiquissimum Poetam meminisse Judæorum, quod militaverint cum Xerse Persarum Rege adversus Græcos. Nomen quoque Davidis, & Salomonis ubique celebratum fuisse novimus ex Sacris Libris. Animadvertisendum etiam est, Hebrews à Veteribus Scriptoribus varia indigitatos fuisse appellatio- ne, quod nempe in variis Tribus, divisi, plures etiam, easque nomine diversas Provincias inhabita- rent. Phœnicii aliquando, quandoque Syri appellati fuere, aliisque etiam nominibus.

Quamvis autem Lex Mosaica hæreditas fuerit, & peculum Judæorum, quatenus speciatim illis eredita fuit, tamen Gentilibus innotescere potuit: quemadmodum Circumcisio erat peculiaris hæreditas, & peculum Judæorum, licet eadem uterentur etiam Ægyptii. Denique consonantium illam do-ctrinæ Græcorum cum Lege Mo- sis petendam potius esse ex notitia Sacri Codicis, suadent ea, quæ diximus.

Objicies 4. Eruditissimi Genti- lium attribuere Judæis plurima

oppido falsa, & Pentateuco aper-
tissime adversantia. Ita Plinius,
lib. 31. historie naturalis, cap. 8.
scribit Judæos obtulisse pisces in
Altari. Strabo, Martialis, Justi-
nus, & vel ipse Imperator Augu-
stus crasso errore Sabbathæ Judæo-
rum appellarunt *jejuna*. Quin
etiam Itali, cum Hebreos facie
ad Orientem versa orare conspe-
xissent, Cælum ab illis coli putar-
vere. Unde Juvenalis, sat. 14. de
Judæis ait: *Nil prater nubes, &*
cæli lumen adorant. Immo Judæi
in Legibus etiam Imperatorum
Christianorum *Celicola* appellati
fuerunt. Porro si Gentiles evolvere
potuissent libros Judæorum, col-
lum sabbata potionis jure *lauta*, ac
splendida appellassent, quod nem-
pe sabbato potissimum die infra
hebdomadam opipare Judæi ves-
cerentur. Intellexissent etiam, Ju-
dæos orantes contra Orientem re-
spicere, quoniam ibi olim Hiero-
solyma, eorumque Templum ex-
titerat. Igitur &c.

Respondetur, Harduimum in
Plinio legere *Idais*, non Judæis,
ut nempe Plinius de iis locutus sit,
qui Idam incolebant. In Juvenali
etiam alii legunt: *& Celi numen
adorant.* Ceterum si Gentiles pra-
va sensere de Judæorum religione,
& moribus, nil mirum est, cum
& de Christianis plurima absurdia
soñniaverint. Judæorum Sabbathæ
jejuna dici potuere, quod illi ea-
die cibos de novo non pararent.
Imperatores autem Christiani Sa-

crum Codicem minime ignora-
bant, unde *Celicola* dixerunt Ju-
dæos, quod depravata esse coru[m]
fident, & mores merito arbitra-
rentur.

QUÆSTIO TERTIA.

Sit mei apud nos vera Philosophia?

Obsecata hominum mente post
primi Parentis peccatum,
notoris rudem, & imperfectam in
nobis esse Philosophiam fatemur.
Dogmaticorum proinde insaniam
deridemus, qui nostræ infirmita-
tis obliti, omni sibi certa, explo-
rata, & manifesta esse, temeraria
præsumptione jactitabant. Infinita
enim penesunt, quæ à nobis com-
prehendi non possunt: velut pri-
ma rerum naturalium exordia,
continui compositio, æstus maris
reciproci, yis magnetica, &
sexcenta pene alia. Hinc illud
commune effatum: *Ars longa,
vita brevis, occasio præceps, ex-
perientia falax, judicium diffi-
cile.*

At vero Academicos, qui *nihil
cognoscit, nihil percipi, nihil
sciri posse ajebant*, (apud Cicero-
nem, lib. 1. Acad. num. 12.)
nomine potius, quam re Philoso-
phos, merito judicamus. Atque ad
ipsorum errorem funditus con-
vellenendum præsentem quæstiōnē
instituimus. Hujusc porro quæ-
stiōnis sensus non speciatim, sed
universim procedit. Neque enim
im-

impresentiarum singula contemplari volumus, quæ suis in locis erunt pertractanda. Generatim adeo de Philosophiæ existentia disserimus.

Dicimus, multa à nobis percipi, multa nobis certa esse, & explorata; proindeque apud nos veram Philosophiam existere: ut post Aristotelem expresse docet Scotus in I. d. 3. q. 4.

Probatur 1. Prima principia: *Impossibile est idem simul esse, & non esse: Omne totum est majus sua parte*, certa prorsus sunt, & explorata. Igitur, &c. Probatur antecedens: Terminî ea principia componentes ita se habent, ut unus alterum includat, & unius notitia notitiam alterius inferat. Quoties ergo intellectus noster terminos illos percipit, necessario etiam cognoscit eorum invicem connexionem, aut repugnantiam. Ita dum intelligo quid sit *Totum*, quidpiam utique intelligo *majus parte*: & qui percipit quid sit *esse*, agnoscit profecto illud pugnare cum *non esse*. Atqui mens nostra non potest simul expresse assentiri duobus contradictoriis, hoc est nequit simul affirmare, & negare. Ergo necessario assentitur veritati primorum principiorum, nec nisi voce tenus potest eadem abjicere.

Probatur 2. Corporum adspectabilium existentia tam evidenter, tam perspicue innotescit, ut de ea cordatus homo dubitare nul-

latenus possit. Igitur corporum existentia certa nobis est, & explorata. Antecedens manifestum est. Omnes homines quotquot sensibus integris, recteque dispositis vigent, pro certo habent corpora extra nos posita existere; atque id singulis vel primo obtutu verum apparet. Porro nihil ostendit hac super re omnes homines falli, nihilque nos ab hac certitudine dimovere potest. Ergo &c.

Quod si Scepticus quispiam præfracte reponat, hæc omnia, præstigiiorum instar, nobis tantummodo apparere; sic ratiocinamur. Eiusmodi apparentiæ vel à se ipsis sunt, vel ab alio? Non sane à se ipsis, quia contingentes sunt, adeoque possunt non esse: Nihil autem valet efficere se ipsum, cum nihil possit esse prius, & posterius se ipso; causa vero prior sit effectu suo (Vide disp. I. quæst. I. secundæ partis Metaphysicæ.) Igitur apparentiæ illæ sunt ab alio. Extat adeo prima quædam omnium causa, quæ omnino independens est, ac necessaria; proindeque Deus. Atqui si Deus existit, Summum utique bonum est, & optimus, ac sapientissimus Mundi Creator. Decet porro summam Divini Numinis Bonitatem, Magorum, aut Histrionum instar, nos decipere, & in nobis perpetuo fallendis delectari. Igitur nos in hac corporum adspectabilium contemplatione non fallimur; ideoque, &c.

Hinc vero fas est refellere Idea-

listarum commentum, qui nihil corporeum extare impudentissime effutunt, omniaque solis ideis nostris circumscripta esse consingunt. Hinc etiam falsitatis convincitur illorum opinio, qui arbitrantur, corporum existentiam sola naturali ratione invicte demonstrari non posse.

Probatur 3. Intimus animi nostri sensus unumquemque certo certius convincit, actus mentis nostrae re ipsa existere. Igitur ejusmodi actus certi nobis sunt, & explorati. Antecedens patet experientia. Nec in iis potest quisquam semet ipsum decipere, nam & ipsa deceptio internum mentis actum ostendit. Ergo &c.

Manifestum itaque est multa à nobis percipi, multa nobis certa esse, & explorata. Quod ipsum insitus nobis in scientiae assecutionem appetitus declarat, qui ab Optimo rerum omnium Auctore procedit, nec subinde potest in omnibus omnino hominibus inutilis esse. Deo, & natura, ut fert communne proloquium, nihil frustra agen-
tibus. Apud nos igitur vera existit Philosophia.

Objicies 1. Mens nostra in suis perceptionibus dependet à sensibus nostri corporis. Atqui sensus fallaces sunt, & erroribus obnoxii: ut vel ipsa experientia demonstrat. Ergo omnis etiam perceptio mentis nostrae fallax est; adeoque mens ipsa nihil potest certo cognoscere.

Respondeatur, Distinguo majo-

rem: Mens nostra dependet à sensibus, quasi à nunciis, concedo majorem: velut ab organis, nego majorem; & distinguo minorem: Sensus sunt fallaces per se se, nego minorem: per accidens, concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque mens nostra pro statu isto mortali pendet à sensibus, quasi à nunciis, quatenus omnis nostra cognitio præviam habet sensuum operationem; non tamen à sensibus dependet, velut ab organis, seu instrumentis, quo ipsamet intellectiva perceptio exerceatur, aut efficiatur. Sensus autem nostri per se se, & ex sui natura non falluntur: falluntur solummodo per accidens, aut ex rectæ dispositionis defectu, aut ex mediæ varietate, aut ex carentia proportionis cum objecto. At cum intellectus sit facultas perfectior, & excellentior sensu: eidem ius omne dijudicandæ veritatis servatum est. Et primo quidem virtute sua errorem sensuum deprehendere, & emmendare potest, ipsorum infirmitatem detegere, & occurrentia impedimenta dignoscere; tum in id præstandum alterius sensus valentis, recteque dispositi ministerio uti. Potest adeo mens nostra certas sibimet comparare notitias, quas non ab ipsis sensibus accipit, sed ex prævia sensuum operatione per se se colligit. Philosophia autem edocet nos non temere assentiri sensuum representationi, eidemque judicium minime

accommodare , nisi post accuratam ponderationem.

Objicies 2. Mens nostra mutabilis est , & errori subjecta : usque adeo etiam imbecilla est , ut aliquando videamur nobis videre , & audire ea , quæ re ipsa non extant: quod præcipue in somnis contingit. Ergo nullam potest mens sibi comparare certam , exploratamque notitiam.

Respondetur , mentem nostram non semper obnoxiam esse errori. Dum enim objectum habet expeditum , & sibi congruenter proximum , certam illius notitiam assequi potest vel ex evidenti experientia , vel ex intimo conscientiæ sensu , vel ex ipsa terminorum apprehensione , quorum arctissima quandoque invicem est conexio. Aliquando autem mens nostra fallitur , sed id non nisi per accidens contingit dum præcipiti iudicio rebus non satis exploratis assensum præstat. Et quamquam in somnis errorem nostrum comprehendere non valeamus , perfecta quippe mentis operatio tunc præpeditur; id tamen nos posse , dum vigilamus , nemo inficias ibit , nisi qui obcæcatus est mente , & somnum inter ac vigiliam minime discernit.

Objicies 3. Pro varia corporis dispositione objecta quoque diversa apparent. Ita idem aer juvenilis , seni frigidus videtur; idemque cibus homini sano suavis , infirmo insuavis : quod & in re-

rum figura , ac magnitudine , sexcentisque aliis experimur. Hinc tanta extat varietas opinionum , ut pene de omnibus diversi diversa sentiant , & quot capita , tot sententiae. Hinc vel ipsa prima principia in dubium evocata fure , atque illorum veritatem plerique inficiati sunt. Igitur etsi dicere possimus , res uno vel altero modo nobis apparere , nihil tamen affirmare licet , velut certum & exploratum.

Respondetur , nos in præsenti non de singulis rebus disserere , ut jam præmonuimus , sed universim tantummodo disputare ; Itaque duo invicem discernere oporteret , nimirum substantiam , seu existentiam rei , & ipsius modum , sive affectiones. Haec apparent hominibus diversæ ex varia corporis dispositione , ex intermedii diversitate , aliisque de caassis: uti propter proprii caloris defectum seni aer videtur frigidus , & lingua infirma pravo humore perfusa cibum reddit insuavem : quod ipsum contingit propter distantiam in figura , & magnitudine corporum , quæ adspectamus : ut apertius Physici declarant. At de rerum corporearum substantia , seu existentia idem omnes homines opinantur: Idem dicimus de veritate primorum principiorum , aliisque de rebus , quæ vel evidenti ratione , vel certa experientia demonstrantur. In iis sane consensus omnium hominum recta ratione uten-

tium manifestus est; atque id, quod fere omnibus hominibus placet, ratum esse habendum arbitramur ob perfectam, & quasi plenam rationis participationem. Neque consensus hominum desinit esse communis, quia refractarius aliquis, aut stupidus voce tenuis refragetur, & inepte garriat.

Verum etiam est, ex vario affectu: aliisque passionibus sœpe sèpius judicium hominum perturbari. Ex hoc fonte varietas opinionum oritur, quæ circa rerum modos, affectionesque versantur, tum etiam ex mentis pervicacia, & postremo ex varia cerebri configuratione, cuius diversitatem in singulis hominibus rite metiri possumus ex tanta in ipsis facierum varietate. Sed recta ratio passiones moderatur, mentemque nostram dirigit.

Objicies 4. Cognitio certa, & evidens exigit objectum necessarium. Atqui omnia adspectabilia sunt contingentia. Nulla igitur de istis haberii potest cognitio certa, & evidens. Major patet, quia cognitio pendet à suo objecto.

Respondetur. Distinguo majorem: Cognitio certa, & evidens exigit objectum necessarium, *quoad essentiam*, concedo: quoad existentiam, nego majorem: atque sic distincta minori, nego consequentiam. Nulla creata res est necessaria *quoad existentiam*, sed unaquæque libere à Deo producitur, & ex accidenti, seu *contingenter* existit. Nihilominus qualibet res ex

suis intrinsecis talem, determinatamque expostulat naturam, seu essentiam, ut sine illa necesse, nec esse, nec intelligi possit: & hoc ipso dicimus, creatas res esse necessarias *quoad essentiam*. Ita homo est animal rationale, quia necessario vindicat sibi principium sentendi, & ratiocinandi. Hinc necessaria quædam intercedit connexio inter subjectum, & prædicatum cujuscumque propositionis necessariæ, quatenus mutuo sese invicem postulant. Certa porro evidensque cognitio objectum respicit necessarium, non *quoad existentiam*, sed *quoad essentiam*, quæ in præfata connexione sita est.

Postremo animadvertisendum est, Deum, ut jam diximus, non posse fingere; alioquin mentiretur, & auctor esset peccati. Dum igitur Lucæ c. 24. legimus, Christum Dominum discipulis in Emmaus euntibus apparentem finxisse, se longius ire, & Joannis c. 20. se conspicuum præbuisse Mariæ Magdalæ sub specie Hortulanæ; hæc, & similia non *ad fallendum*, sed *ad docendum* præstita fuisse intelligimus; atque in istis apparitionibus mysterium rite accipimus, quo Christus aliena specie ad breve tempus semetipsum occuluit, ut gratius postea se manifestaret, ac acrentes doceret. Illud etiam adnotare oportet, nos nequaquam posse comprehendere ordinem Divinæ Povidentiae, quo placuit Deo creatas res pro nutu disponere. Id

sig.

significat Ecclesiastes c. 8. dicens: *Intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole: & quanto plus laboraverit ad querendum, tanto minus inveniat.* Ita locum hunc diserte explicat S. Hieronymus.

QUÆSTIO QUARTA.

Expediat-ne Christiano Philosopho unicam seligere Sectam philosophandi, an vagari per omnes?

Veritas ex triplici fonte derivatur, nimirum ex divina revelatione, ex comperta experientia atque ex evidenti ratione. Illius assecutioni Philosophus incumbit, nec spes inanis erit, si rectis ad veri cognitionem lineis animus innitatur. Nunc itaque inquirendum suscipimus, utrum Christiano Philosopho expediat magis, unicam seligere philosophandi Sectam, an potius sit illi per omnes vagandum?

Sensus porro quæstionis non complectitur singula unius Sectæ dogmata, nec unius Auctoris singula verba, quasi pugnandum pro illis sit, velut pro aris, ac focus. Id ergo petimus, num magis expediat Christiano Philosopho, probata Sectæ cuiusdam principalia dogmata amplecti fideliter, an variis pro libito omnium Sectarum capitibus nomen dare? Sed

neque hic singula Sectarum omnium suprema capita ad trutinam sunt evocanda; suus enim cuique locus est. Generatim quæstio præsens, universeque procedit; quamobrem & generalibus expendi debet momentis.

Dicimus, expedire Christiano Philosopho, unicam seligere philosophandi Sectam, & non vagari per omnes.

Probatur 1. Maxima singulis pene scientiis, & facultatibus accedit perfectio ex principiorum unitate. Sic enim & firmius subsistunt illæ, invicemque sese tuentur, & oppositæ difficultates facilius dissolvuntur. Ergo expedit Philosopho nomen dare alicui Sectæ, hoc est generalibus insistere Sectæ unius principiis. Quod Seneca eleganti similitudine declarat, ep. 95. dicens: *Quemadmodum folia virere per se non possunt, ramum desiderant, cui inherent, ex quo succum trahant; sic precepta, sic sola sunt, marcent: infigi volunt Sectæ.* Et ep. 2. ajebat: *Lectio multorum Auctorum, & omnis generis voluminum, habet aliquid vagum, & instabile: certis ingeniis immorari, & innutrirí oportet, si velis aliquid, quod in animo fideliter sedeat.*

Probatur 2. Philosophia, ut ait S. Cyrilhus Alexandrinus, lib. 1. contra Julianum, est *Cathechismus ad Fidem:* & ut scribit Clemens Alexandrinus, lib. 1. Stromateon, est *pædagogus ad Fidem.*

Ergo unitas Philosophiaæ, quo modo potest, confert ad unitatem Fidei. Atqui Christianus Philosophus media illa maximo studio curare debet, quæ inserviunt unitati Fidei. Ergo in id incumbe-re debet, ut Philosophiaæ unitatem teneat; atque adeo expedit illi, unicam seligere Sectam philoso-phandi, & non vagari per omnes.

Objicies 1. Unicam præ aliis Sectam philosophandi seligere li-bertamē philosophandi adimit, factionesque inducit in Ecclesiam. Ergo &c. Antecedens probatur. Seneca in ep. 45. ait: *Non me cui-quam mancipavi, nullius nomen fero: multum magnorum virorum judicio tribuo, aliquid & meo vindico;* & lib. de Vita beata, c. 30. inquit: *Semper illam unius sequi sententiam, non id curia, sed factionis est.* Cicero etiam, l. 4. Academicarum Quæstionum id in plerisque graviter reprehendit. Igitur &c.

Confirmatur 1. Cujuslibet Sectæ Auctor homo fuit. Ergo decipi potuit, & decipere; proinde que in illius verba jurare, simpli-cis est.

Confirmatur 2. Qui Sectam unam eligit, affectu peculiari in Sectæ Auctorem fertur. Atqui af-fectus iste tenebras menti offundit, & assequendæ veritati viam præ-pedit. Igitur &c.

Respondeatur. Nego antecedens. Ex ipso enim nostræ quæstionissen-su jam exposito manifestum sit,

nos non aliam intellectui manci-pando vim potentem agnoscere, nisi divinam fidem, evidentem rationem, compertamque experientiam. Quamobrem Philosophos singulos errare potuisse, at-que in illorum scriptis errores deprehendi fatemur. Proinde non præstat in singula unius Auctoris verba jurare, nec illius opinione-s ita habenda sunt, ut sine ratio-ne etiam sola sufficiat auctoritas. Id Seneca, & Cicero merito reprehendunt. Nihilominus expedire contendimus Christiano Philoso-pho, si contineat sese intra Sectæ alicujus generali principia, quæ jam à Sapientibus confirmata sint, & quæ ipse ratione primum, ve-lut lydio lapide probaverit. Ne-que id factionis est, ubi paratus sit animus meliori acquiescere sen-tentiæ, quin potius multiplices Philosophantium Sectæ novam Ba-bylonis confusionem inducere vi-dentur, factionesque, & rixas ex-citare. Servata autem generalium principiorum unitate, particulares opiniones rite defendi possunt, nec erroribus lata adeo patet via. E contra qui vagantur per omnia Sectarum principia, ii facilius er-rant, & saepè animadvertisimus, eos nunc ajentem, nunc negantem tueri opinionem, atque semetip-pos inconstantiae, inconsideratio-nisque damnare. Affectus denique in Sectæ Patronum, si modera-tionis expositæ limites non exce-deat, perutilis est, nec mentem

à veritate distrahit. Quod S. Augustinus, lib. de utilitate credendi, c. 6. confirmat exemplo dilectionis, qua Virgilium ex majorum nostrorum commendatione prosequimur, unde fit, ut iis potissimum plaudamus, quorum expositione Poeta ille melior invenitur.

Objicies 2. Christiano Philoso pho expedit magis, argumenta Hæreticorum dissolvere posse variis Sectarum principiis. Ergo &c. Antecedens probatur. Nam Cantorum c. 4. de Ecclesia dicitur: *Turris David mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium,* Unde S. Augustinus, l. 1. de Trinitate, c. ultimo inquit: *Securi utamur non uno, sed quotquot reperiri potuerunt.* Tanto enim fortius convincuntur hæretici; quanto plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos. Ecclesiastes quoque cap. 3. scribit: *Mundum tradidit Deus disputatio ni eorum.* Et Danielis. c. 12. legimus: *Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.* Rectissime igitur Clemens Alexandrinus, l. 1. Stromatum c. 4. ait: *Philosophiam autem, non dico Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuream, & Aristotelicam; sed quæcumque ab his sectis recte dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum dico Philosophiam.* Igitur &c.

Respondetur. Nego antecedens: Si enim Christianus Philosophus

teneat unitatem principiorum, non subtrahit illi modus multiplex, quo hæreticorum sophismata detegat, & convellat. Sed in id contendere debet, ut cum aliis Catholicis congruat in ipsa principiorum unitate, ne tribuat hæreticis locum invadendi. Mille ergo sunt clypei in Ecclesia. Quamquam clypearum nomine rite possimus cum Theodoreto ipsas Sacrae Scripturæ sententias intelligere, aut cum Gregorio Magno virtutes, quibus homo contra Diabolum pugnat. Nec aliud profecto Augustinus voluit, nisi debere nos multiplici medio pugnare adversus Hæreticos, nimirum & variis Divinarum Litterarum testimoniis, & multiplici rationum pondere.

Ecclesiastes loquitur de Philosophia Gentilium, unde addit: *Ut non inveniat homo opus, quod oppratus est Deus ab initio usque ad finem.* Vel certe mundus dicitur traditus à Deo disputationi hominum quatenus occultus est hominibus ordo Divinæ Providentiae, & Deus in his solum permittit homines pro marte suo ratiocinari, si qui velint in id aciem mentis intendere. Daniel diserte loquitur de cognitione adventus Messiae, de cuius tempore multi diversa asseruerunt: nunc autem jam fuisse innotescit. Clemens Alexandrinus Philosophantium Sectas considerat nondum ab erroribus illis præpurgatas, quibus contra fidem scatebant, unde contendit, nullius

Sectæ dogmata sic esse tenenda, ut iis assensum debeat homo præstare, etiam contra fidei divinæ regulas. Quapropter adjungit : *Quæcumque autem ex humanis amputata cogitationibus adulterarum eam numquam divina dirim.*

QUÆSTIO QUINTA.

Qua Philosophantium Secta sit jure cateris præponenda.

MUlti hac nostra ætate Peripateticam Philosophiam derident, abjiciendamque conclamat, quasi nihil nisi garrulitatem sapiat; & cum Recentiorum Philosophiam vix à limine salutaverint, jam se rerum naturalium scientiam assecutos arbitrantur, aliosque contemnunt. Et converso quosdam extare novimus, qui Recentiori Philosophiae succendent, ejusdemque novas opiniones, tametsi eas non satis perspectas habeant, velut Catholica Fidei minime consentaneas imperite traducunt. At prudentes Viri, qui diligentem tum Peripateticæ, tum Recentiori Philosophiae operam navarunt, perspectum plane habent, neminem Philosophorum sibi plaudere posse, quasi veritatem certo apprehenderit: latere multa, quorum disputatio probabilitatis limites non excedit, atque adeo non facile Philosophis quibuscumque succendendum esse.

Nunc itaque cum jam dixerimus, expedire Christiano Philoso-

pho unicam seligere Sectam philosophandi, quænam præ aliis eligenda sit, exquirimus. Proinde quæstio hæc est comparatio quædam Sectæ Aristotelicæ cum Stoica, Platonica, & Epicurea ex Veteribus, atque cum Gassendistica, Cartesiana, & Newtoniana ex Recentioribus. Et quidem iisdem penne procedit regulis, ac limitibus, ut quæstio præcedens: nimis non singula accipiuntur hic Sectæ dogmata, cum omnia suis aptari debeat locis: sed suprema tantum illius capita, atque hæc eadem rationum momentis firmata. Quam obrem impræsentiarum generibus tantummodo argumentis, atque Sapientum auctoritate nitetur.

Jam vero sententias ipsas Aristotelis nos hic adspectamus; de illius vita, moribusque non disputantes. Non enim proponimus imitandam viyendi rationem, sed opiniones amplectendas, ubi evidens ratio, comperta experientia, ac potissimum Divina Fides nihil retractare jubet. Quamvis igitur iis non assentiamur, quibus Aristotelis famam usque adeo dilaniat Gassendus, in Exercitationibus paradoxis adversus Aristotelicos, ut illo pejorem effungi posse vix credas: & quæ satis superque refelluntur à Fortunio Liceto, à Bennio Eugubino, à Piccinardo, aliisque eruditis Viris: Attamen concedimus, Aristotelem impium fuisse, & æternis addictum suppliciis, de-

ridendosque illos esse arbitramur, qui æternam salutem, & vitam in cœlis Aristotelî attribuunt.

Aristotelem quoque plurimos tradidisse errores, ulti fatemur: præsertim contra Divinam Fidem. Quamobrem Aristotelis Philosophiam sic assumimus, uti tunc apparet expurgata magnorum Virorum studio, ac labore, Alexandri nimirum Alensis, Alberti Magni, S. Thomæ Aquinatis, Joannis Dunsi Scoti, aliorumque sapientissimorum, & catholicorum hominum.

Dicimus, Sectam Peripateticam præ aliis omnibus esse seligendam, ceterisque præponendam.

Probatur 1. Secta illa philosophandi præ aliis seligenda est, quæ Sapientum judicio melior ceteris judicatur. Atqui Secta Peripatetica judicio Sapientum melior aliis judicatur. Ergo hæc præ aliis seligenda est, ceterisque præponenda. Major velut certa habenda est. Gravissimum enim Sapientum judicium non nisi temere traduci potest ut erroneum; & plurimum in illo auctoritatis esse omnes intelligent, qui semetipsos noscere, ingeniique sui vires metiri voluerint. Tum si cui hac super reveritas perspecta fuit, sapientibus sane, qui ingenii acumine, assiduoque studio nisi sunt eamdem assequi. Minor probatur primo quidem comparando Sectam Peripateticam cum Veteribus aliis, Stoica, Platonica, & Epicurea. Sapientes olim præ ceteris Aristotelem, ejusdemque

Philosophiam summopere commendarunt. Ita Cicero, alioquin Platoni addictus, lib. 4. Academicarum Quæstionum Aristotelem appellat in *Philosophia prope singularem*: tum codem nihil esse acutius, nihil politius affirmat; & lib. 2. de Oratore ait: *Quis omnium doctior, quis auctior, quis in rebus, vel inveniendis, vel judicandis aptior Aristotele?* Et lib. 5. de Finibus, de Aristotelis, ac Theophrasti Sectatoribus loquens, scribit: *Meliores illi quidem, mea sententia, quam reliquarum Philosophi disciplinarum;* unde ibidem attestatur. Naturam sic à Peripateticis investigatam, ut nulla pars sit prætermissa. Quintilianus, lib. 10. Institutionum Oratoriarum, cap. 1. inquit: *Quid Aristotelem! quem dubito scientia rerum, an scriptorum copia, an eloquenti oratione, an inventionum acumine, an veritate operum, clariorem putem.* Plinius lib. 8. Historiæ naturalis, cap. 16. vocat Aristotelem *summum in omni doctrina virum;* & lib. 18. c. 34. *virum immensus & subtilitatis.* Macrobius lib. 2. de Somno Scipionis, cap. 15. de Aristotele ait: *Mibi videtur Vir tantus nihil ignorare potuisse.* Apulejus, lib. de Mundo illum appellat *dottissimum, & prudentissimum omnium Philosophorum.* Inde Graecis omnibus Aristotelicarum sententiarum gravitatem usque ad miraculum evasisse testatur S. Cyrius Alexandrinus, lib. 1. adversus Julianum. Cui Consonum

num fuit elogium illud, *Nature Miraculum*: quod inscriptum fuit olim statuae, quam viventi adhuc Aristoteli erexerant. *Spirantem* quoque *Bibliothecam* appellatum fuisse Aristotelem, refert Laertius, lib. 5. de illius domum nuncupatam fuisse *Domum Lectoris*, recenset Ammonius: Quemadmodum ab omni antiquitate insigne *Philosophi* nomen per antonomasiā apud omnes pene Aristoteles ipse assecutus est. Inter ejus opera vero *Dialecticam* speciatim celebrant S. Gregorius Nazianzenus, oratione 20. & S. Augustinus lib. 1. adversus Cresconium, aliique permulti. *Ethicam* autem, sive *Moralem* *Philosophiam* omnium iudicio commendatam novimus. Porro nihil simile occurrit, quo sapientes antiquas alias *Philosophorum Sectas* extollerent. Immo Stoici cum primis naturalium rerum considerationi nequaquam vacabant; *Epicurei Dialecticam*, seu ratiocinandi artem contemnebant; *Platonici* etiam distinctam rerum naturalium contemplationem assecuti non sunt. Quod ipsum ostendet argumentorum solutio. Igitur si Sapientum judicium consulamus, *Secta Peripatetica* præ ceteris antiquioribus à Christiano Philosopho seligenda est, cui præstat sectari unam philosophandi methodum, & non vagari per omnes.

Probatur 2. *Secta Peripatetica* floruit semper in Ecclesia Catholica, tot obtinuit Sectatores & sancti-

tate, & doctrina conspicuas; celebriores Catholicæ. Orbis Academiarum, & præclarissimi Religiosorum Virorum Ordines, perpetuo eidem consecravit Cathedras, & Propugnatores. Immo cum Lutherus in Aristotelem, ejusque Philosophiam invehetur, inter alia dicens: *Philosophia Aristotelis talis est, quæ neque in populo doceri possit, nec ad Scripturæ intelligentiam utilis, quia continet dumtaxat portenta verborum, non nisi ad contentiones confita*; id Sacra Parisiensis Facultas ann. 1521. damnavit. Quod alii etiam præstiterunt. Animadvertisit autem Joannes Hermannus ab Elswich in Dissertacione, quam edidit Vittembergæ anno 1720. de varia Aristotelis in Scholis Protestantium fortuna, Lutherum postea in sententiam concessisse Melanctonis, qui Philosophiam Peripateticam commendaverat, & in Scholis Protestantium tradendam esse iubebatur: quod olim re ipsa factum est. Unde Aristotelica *Philosophia* visa potius est ex hostiū incursionibus vires accepisse, eademque communis i heologorum Scholasticorum consensus mirifice approbavit. Inde igitur hoc conficimus argumentum.

Trita apud Sapientes jam pri-
dem philosophandi via, ab ipsis
summopere commendata, & selecta
dubio probul fuit *Philosophia Pe-
ripatetica*. Atque nihil evincit viam
hanc abjiciendam nunc esse. Ergo
nunc etiam *Secta Peripatetica* seli-
gen-

genda est præ aliis, non solum Veteribus, sed etiam Recentioribus Sectis. Minor probatur. Si quæ ratio probaret Sectam Peripateticam nunc esse abjiciendam, maxime quia Recentiorum Philosophia novis experimentis, aliisque demonstracionibus veritatem illam consecuta esset, quam Peripatetica Philosophia nullatenus potuit. Atqui si pauca quædam excipias, de quibus postea dicturi sumus, & de intimis loquaris rerum naturis, seu essentiis, aliisque magis ad Philosophiam pertinentibus quæ intimas rerum caussas exquirit, Recentiores nihil habent, quo se veritatem assecutos glorientur. Ergo &c. Minor probatur. Recentiores ipsi Philosophi tanta dissensione pugnant inter se. Gassendistis Cartesiani adversantur. Cartesianorum placita Gassendistæ, ut fabulosa, traducunt. Newtoniani Atomistarum, & Cartesianorum doctrinas repudiant; & ambo isti Newtonianorum opiniones refutant. Atqui hæc ipsa Recentiorum invicem dissensio manifeste ostendit, nullam ex eorum Sectis pervenisse ad veritatis assecutionem: maxime cum ipsorum singuli contendat, sese omnimo liberos esse ab omnibus vulgi, ætatis, & præcipitationis præjudiciis. Igitur hac etiam in re verissimum est, quod Tertullianus tradidit: *Varietas opinionum venit ex ignorantia veritatis.* Ergo &c.

Confirmatur. Si partes ipsas Philosophiæ universim lusremus,

Tom. I.

Logicam profecto, Metaphysicam atque Ethicam Recentiores ostendere non possunt à suis excultas magis, diligentiusque propositas fuisse, quam à tot tantisque Peripateticis præstitum fuerit. Physicam utique illustratam ab iisdem fuisse fatemur maximis experimentis, aliisque demonstrationibus: quod Peripatetici Scholastici minime fecerunt, quia Philosophiam in id fere solum assumebant, ut Theologiae viam pararent. At hæc ipsa experimenta intimas rerum essentias non demonstrare tum ex Recentiorum dissensione colligitur, tum ex dicendis suo loco apparet. Inde ergo consequens est, percipiendam potius, & exornandam esse Philosophiam Peripateticam immo etiam, ubi opus est, emendandam ex notitia experimentorum, quæ plurium rerum existentiam olim incognitam manifestant, & corporum molem, figuram, ac morum distinctius, apertiusque declarant: non tamen inde sequitur, eamdem esse abjiciendam. Et sane naturalium rerum phœnomena sic distincte, sic dilucide Peripatetici ipsi exponere possunt, quemadmodum Recentiores. Quibusnam enim mediis utuntur Recentiores? Mole figura, & motu. Sed mole, figuram, & motum nemo Peripateticorum negat. Quamobrem nihil prohibet, quomodo horum adminiculo explicemus & nos effecta naturalia, istorum nempe caussam proximam, veld dispositio-

E nem

nem ex mediis illis exhibentes. Igitur &c.

Objicies i. S. Scriptura, & SS. Patres rejiciunt Philosophiam Aristotelis. Igitur hæc non est ceteris melior, ideoque &c. Probatur antecedens. Apostolus, ep. ad Collosenses, cap. 2. inquit: *Videte, ne quis vos seducat per Philosophiam, & inanem fallaciam.* Atqui inanis fallaciæ nomine ipsam intelligit Dialecticam Aristotelis. Ergo &c. Minor probatur. Nam Tertullianus, lib. de Præscription. c. 7. ait: *Miserum Aristotelem! qui dialecticam instruxit, artificem struendi, & destruendi versipellem, in sententiis coactam, in conjecturis duram, in argumentis operariam contentiolum, molestam etiam sibi ipso, omnia retractantem, ne quid omnino trahaverit.* Origenes, hom. 4. in caput 7. Exodi, Dialecticos per Ægypti Cinipes designari voluit S. Gregorius Nazianzenus, oratione 1. de Theologia, dogmata Aristotelis appellavit *humilia nimis, & abjecta,* & in Carmine Jambico, de Vita sua, Dialecticam irridet. S. Justinus Martyr librum inscripsit: *confutatio Dogmatum Aristotelis.* S. Epiphanius, lib. 2. sententias illas appellat *veneni jaculatores;* & à S. Hieronymo in caput 10. Ecclesiastis, *versutia dicuntur.* Idem dicunt S. Gregorius Nissemus, lib. 2. contra Eunomium, & S. Ambrosius, lib. 1. de Fide, cap. 3. & in psalm. 118. Quin & S. Vincentius Ferreri, vel de expurgata

loquens Philosophia Aristotelis, ait apud Pissimum, & Grimaldum, *Aristotelem, & Averroem fuisse phialas ire Dei, projectas super aquas sapientie Christianæ, unde factæ sunt amarae, ut absynthium.* Igitur &c.

Respondetur, hæc toties à Recentioribus exagerata, ab Hæreticis quoque opponi consuevisse, ne videlicet Scholastica Theologia utilis habeatur Catholicæ Ecclesiæ. Itaque distinguere oportet legitimum Philosophiæ usum ab illius abusu, quo hæretici ex Philosophia Divina mysteria metiri nitebantur; tum in Dialectica facultate animadvertendum est, sophistical partem longe ab aliis esse diversam.

Apostolus autem ex sententia Clementis Alexandrinilib. 1. Stromatum turpissimam Epicureorum Philosophian præcavendam præscribit, quæ in corporis voluptate beatitudinem ponit: ut idem Clemens affirmit, & docet etiam Cicero saepè, & confirmat S. Augustinus in psalmm 73. num. 25. Addit enim Apostolus: *Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vedit ambulans, frustra inflatus sensu carnis sua... & non ad parcendam corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.* Alii affirmant, Apostolum ibi reprobare Platonicorum errorem, qui Angelos colendos esse dicebant, ut mediatores nostros, & tanquam humilitate ducti asserebant, Christum majoris esse dignatio-

tionis, ac fastigii, quam ut de nos-
tris rebus adiretur; unde negabant
ipsum esse mediatorem nostrum.

Tertullianus non exponit ibi-
dem locum citatum Apostoli, sed
ut erat vir ferventioris, & austero-
ris ingenii, paulo durius huma-
nam Philosophiam, & Dialecticam
Aristotelis exagitavit, quod enor-
men illius abusum in hæreticis sui
temporis deprehendisset. Ostendit
autem, se in Philosophia abusum
invehere, non in Dialecticam ipsam,
statim addens: *Viderint qui Sto-
icum, & Platonicum, & Dialecticum
Christianismum protulerunt.*

Id ipsum præstiterunt alii Patres
laudati, qui adversus Eunomianos,
& Arianos disputatione, sophistica
argumentandi ratione nitentes di-
vinam fidem evertere, rudesque
homines circumvenire. Dialecti-
cam autem ipsam plurimum pro-
desse, scribit optime Clemens Ale-
xandrinus, lib. 6. ubi ait: *Sepi-
mentum est Dialectica, ut veritas à
Sophistis non proculetur.*
Librum, cui titulus: *Confuta-
tio Dogmatum Aristotelis*, non esse
germanum opus Justini Martyris,
consentiant Eruditii omnes. Alii
vero laudati Patres adversus eos
disserunt, qui ex Aristotelis senten-
tia, fidei nostræ mysteria refellere
nitebantur, quique nimium, quam
par est, Aristoteli tribuebant. Quo-
sensu excipienda est etiam S. Vin-
centii sententia.

Objices 2. Ecclesia reprobavit
libros Aristotelis. Ut enim refert

Joannes Victorius, in Memoriali
historico, Synodus Parisiensis, an.
1204. damnans hæreses Almarici
Carnotensis, simul etiam repro-
bavit, cremarique jussit libros A-
ristotelis, tamquam hæreticis fa-
ventes: quam sententiam appro-
bavit Gregorius IX. *quousque ex-
aminati fuerint, & ab omni erroris
suspicione purgati.* Et Robertus
Corcæon Cardinalis, & in Gallia
Legatus Innocentii III. ann. 1215.
decreto illud confirmans, ait: *Non
legantur libri Aristotelis de Metha-
physica, & naturali Philosophia, nec
summa de iisdem.* Ergo Aristotelis
Philosophia ceteris potius deterior
judicari debet; proindeque &c.

Respondetur, Aristotelis libros
forte tunc reprobatos fuisse, quia
erroribus adhuc scatebant, & non-
dum erant expurgati. At postquam
Viri præclarissimi Philosophiam
Aristotelis instaurarunt, & emen-
darunt; tunc Ecclesia probavit,
eamdem ubique vigere, unde haec
postea maximam apud omnes exis-
timationem sibi comparavit. Nos
autem Aristotelicam Philosophiam
accipimus, ut modo est. Ceterum
non satis compertum est, quos li-
bos Aristotelis Ecclesia tunc dam-
naverit. Nam Philoponus, lib. 4.
Physicorum testatur, Aristotelem
quosdam etiam libros conscripsisse,
non juxta propriam sententiam,
sed juxta Platonis mentem.

Objices 3. Aristotelis libri,
qui modo in Scholis leguntur, in-
certissimi sunt: nec satis constat,

eos esse genuinum Aristotelis fœtum, siquidem apud diversos Auctores vario itidem modo sunt inscripti. Tradunt etiam, libros Aristotelis per multum temporis terræ in fossos fuisse, tum Apelliconem, hominemutique debilis ingenii, corrosionibus inconsulto, & pro arbitrio suppletis, eos multis erroribus respersisse. Igitur Philosophia Aristotelis non est præ aliis seligenda.

Respondetur, antiqua traditio-ne constare libros Aristotelis esse fœtum ipsius; unde S. Augustinus lib. 33. contra Faustum, cap. 6. hac ratione permotus scribit, *dementis esse de hoc dubitare*. Neque unicum olim extit exemplar librorum Aristotelis, vigente ipsius Secta Alexandria, Athenis, & Romæ, aliisque in locis, ut Bennius Eugubinus, lib. 1. in Timæum Platonis, Decade 1. ostendit. Immo Lucius Sylla libros Aristotelis è Græcia Romam translatos à Tyranione Grammatico, viro ea ætate doctissimo explanandos curavit: non eos utique, quos Apellicon pro dibito instaurasse fertur.

Auctor etiam est Laertius in vita ejusdem Aristotelis, plura ipsius opera periisse temporum injuria. Quandoque autem ejus libri laudantur sub proprio titulo, cum tamcn in altero contineantur: ut *de Motu*, qui extat in Physica; *de Nutritione*, qui est in libris *de Anima*.

*Doctorem calamo ingratus, Dominumque véneno
Perdidit, igne Patrum dogmata, nos træbris.*

Objicies 4. Seruo librorum Aristotelis obscurus est, ac barbarus. Unde ab Attico dicitur sponte se ipsum more sepiæ occultasse: ut refert Eusebius, lib. 15. Præparationis Evangelicæ, cap. 8. Hinc Alexandro Magno conquerenti: quod Aristoles suos libros edidisset, scientiamque illam mortali-bus omnibus communem fecisset, quam solus ipse habere cupiebat, cumdem Aristotelem sic respon-disse fert Aulus Gellius, lib. 19. Noctium Atticarum, cap. 4. *Eos & esse editos, & minime editos scito. Intelligi enim tantum poterunt ab iis, qui nos audierint.* Ex quo plerique Recentiores col-ligunt, neminem Scholasticorum intelligere Aristotelis sensum, quia eorum nemo Aristotelem audivit. Quamobrem Cicero, initio suo-rum Topicorum, Trebatio cupien-ti prius Aristotelicæ Philosophiæ operam navare, dicebat: *Sed à li-bris te obscuritas rejicit.* Sæpissi-me etiam Aristoteles dubius, an-cepque hæsitat in dissolvendis quæstionibus. Sibi quoque propria facit pleraque ab aliis inventa: ut Categories ab Archyta primum expositas. In Magistrum suum Pla-tonem exarsit. Veteribus errores plurimos falso attribuit, eorumque scripta flammis donavit, & Alexandum ipsum occidit. Unde illud Thelesii distychon in Aristotelem:

Respondetur, Aristotelem subobscuriori loquendī modo fuisse locutum, ne Philosophia à vulgaribus foedaretur. Ut ergo illius sensus non omnibus omnino patarent, sed diligentia opus esset, studio ac præceptoribus, rem sic componere ille voluit: in quo imitandum Aristotelem nequaquam dicimus. Attamen tot illius Commentatores, & expositio tradita ab illius auditoribus non interrupta successione ad hæc usque tempora, in præcipuis saltem dogmatibus genuinum sensum aperiunt. Cum autem ille Græce scripserit, ideo barbarus plurimum stylus in latina versione habetur; sed, ut ait Arnobius, in rebus philosophicis quid dicatur spectandum est, non quali cum amicitate dicitur.

Ergo illa Doctorum sibi succendentium traditio ostendit ridiculum esse ac insulsum argumentum illud Recentiorum adversus Scholasticos: quo quidem argumenti genere posset quis sensum omnium antiquorum subobscurè quandoque scribentium evocare in dubium, quia nemo nostrum illos audivit.

Cicero voluit, eum qui Aris-

Gratus Aristoteles struit hoc altare Platoni

Quem turba injusta vel celebrare nefas.

Sententias veterum sic accepit, ut verba ipsa præ se ferunt; unde errores iisdem affixisse non

totelis libros evolvere cupit, debere prius faciliora quædam addiscere, tum exercitatione opus esse & Magistro. De iisdem enim Topicis scripserat Trebatio, lib. 7. Epistolarum familiarum, ep. 19. *Sin tibi quædam videbuntur obscuriora, cogitare debebis, nullam artem literis sine interprete, & sine aliqua exercitatione percipi posse. Tum impense laudat eadem illa Topica Aristotelis.*

Prudenter autem gessit sese Aristoteles, quoties in obscuris, abditissimisque rebus evolvendis, definitam noluit proferre sententiam, multo enim melior est hæc inquirendi cautio, quam affirmandi temeritas: ut ait S. Augustinus epist. 150. Si quæ vero ab aliis prius inventa, sibi propria fecit, ea adoptando; eadem quoque plurimum illustravit. Veritatis itidem studio Magistri sui opiniones quasdam confutavit; gratissimam tamen semper habuit Platonis memoriam, ut refert Stanlejus in Historia Philosophiæ, part. 5. cap. 3. Unde Ammonius in vita Aristotelis, parte 5. scribit, Aristotelem Platoni Magistro suo aram erexisse hac inscriptione exornatam.

nullis videtur. Thelesius odium suum ostendit in Aristotelem. Sed ea omnia falsa sunt, &c ad mores per-

pertinent: ut initio quæstionis diximus.

Objicies 5. Secta Platonica magis accedit Christianæ veritati, quam Aristotelica. Ergo illa potius est seligenda. Antecedens patet. Inde enim Plato *divinus* appellatus est, & veteres Ecclesiæ Patres, præsertim S. Augustinus Platoni erant addicti, eumdemque sæpius celebrant. Cicero quoque Platonem semper Aristoteli prætulit. Si quando autem Aristotelem commendat, hyperbolice loquitur (inquit Gassendus); ipse enim, ut est solutus, ac liber, vivo semper aliquo gurgite exundat. Sic Plinius Platonem appellat Sapientiæ Antistitem, & Homero, non Aristoteli, palmam defert ingeniorum. Quintilianus itidem Platonem precipuum esse voluit Philosophorum omnium. Igitur, &c.

Respondeatur. Nego antecedens. Neque enim impræsentiarum exquirimus *Theologi Simiam*; ut alii ex Clemente Alexandrino appellaverent Platonem; sed Philosophum, qui de rebus naturalibus optime disseruerit, atque Philosophiæ partes omnes fuerit diligenter complexus. Plato igitur Aristoteli præponendus est, & quoad eloquentiam, & quoad cognitionem plurimum veritatum, quæ Deum ipsum respiciunt, nam ipse Plato ceteris aptius de Deo disseruit, multaque ex divinis litteris in sua scripta transtulit; quamquam ea dofor-

maverit. Hac proinde de causa pluribus Ecclesiæ Patribus Philosophia Platonis visa est ceteris accomodatior. Christianæ veritatis cum tunc etiam Peripatetica multis scateret erroribus quibus postea expurgata fuit. Hinc Plato à veteribus celebratus fuit, & maxime à S. Augustino, qui tamen in lib. de vera religione, cap. 2. ingenue fatetur, Platoniem mira quidem docuisse, sed non satis probasse. *Suavius* (ait) ad legendum, *quam potentius ad persuadendum, scripsit Plato*. Ergo si Philosophiæ dogmata spectemus, prout circa res naturales versantur, Aristoteles Platoni merito præfertur: ut in 1. prob. diximus. Omnino autem pro arbitrio configit Gassendus, Ciceronem in commendando Aristotele fuisse hyperbolice locutum, cum sæpe Aristotelem extollat, comparatione etiam ad alios facta. Homerus demum princeps habetur ingeniorum in arte poetica, in qua optime versatus est.

Objicies 6. Philosophia Stoicorum ceteris præponenda videtur. Etenim S. Hieronymus in caput 11. Isaiae scribit, Stoicos meliores fuisse ceteris Philosophis; & Seneca, epist. 83. Stoicam Sectam appellat *sectam fortissimam, atque sanctissimam*. Igitur, &c.

Respondeatur, Stoicos ceteris Philosophis meliores fuisse, si partem illam accipiamus Philosophiæ, quæ ad mores pertinet: quo

quo sensu S. Hieronimus, & Seneca loquuntur. Sed veritatis contemplatio solis Peripateticis palam detulit. Nam Stoici illam neglexerunt. Unde Aulus Gellius, lib. 14. cap. 3. inquit: *Xenophon in libris quos dictorum, atque factorum Socratis commentarios composuit, negat, Socratem de Cœli, atque natura caussis, rationibusque unquam disputavisse, ac ne disciplinas quidem ceteras, quæ ad bene beateque vivendum non pergerent, aut attigisse, aut comprobasse.* Idem scribit Cicero, lib. 1. Academicarum Quæstiōnum. Idem quoque Stoici apud Athæneum, lib. 13. appellantur nugarum Mercatores, verborum arbitri, & censores; & Plutarchus duo opuscula inscripsit; alterum, *Sticos, quam Poetas absurdiora dicere;* alterum, *de Stoicorum repugnantius.* Quapropter Seneca Aristotelem celebravit præ aliis, habita ratione contemplationis.

Objicies 7. Aristotelis Philosophia in multis necessariis deficit; superabundat inutilibus, & superfluis: innumerū sunt in illa errores, & contradictiones: ut pluribus nititur ostendere Gassendus. Ergo non est ceteris præponenda. Sed & Philosophi Peripatetici novas invexere inutiles omnino, vanasque disputationes. Latini quoque sermonis pene obliti videntur, & illum tot barbaris nominibus, ac distinctionibus deturpant. Usque

adeo etiam extollunt Aristoteliſ auctoritatem, ut illam pari loco habeant cum divinis sententiis; nefasque putent, vel minimum ab illius opinione recedere; & cum Sanctorum Ecclesiæ Patrum auctoritatem in Philosophicis rebus parvi faciant, Aristotelem tamen ethnicum illis præponunt. Igitur, &c.

Respondetur, Philosophiam Aristotelis continere omnia, quæ Philosopho sufficiunt, & ad Philosophiam ipsam per sese attinent. Quæ vero in ea superfluere videntur, plurimum conferunt aliis præcipuis quæſtionibus, & distinctius aperientis, & operiosius defendendis. Ut primum edita fuit, erroribus scatebat, à quibus emendata, & expurgata fuit, eamque nos, ut modo est, accipimus. Neque tamen tot errores, aut latentes contradictiones in illa inveniuntur, quot Gassendus opponit: ut nostri Doctores ostendunt, & non suis in locis declarabimus.

Si qui Philosophi Peripatetici id quæſtiunculis parvi momenti pene toti occupantur, hos minime approbamus; attamen non est facultas ipsa culpabilis, sed ea male utentium perversitas, ut de Rhetorica ajebat S. Augustinus, lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 36. Nostra præsertim ætate experimentalis cognitio negligenda non est.

Quantum attinet ad latini sermonis venustatem, quam multi in Philosophia desiderant, arbitramur, planum potius debere esse Philosophorum sermonem, ut facile ab omnibus queat intelligi veritas, quæ declaratur: *A Philosopho, (inquit Tullius, lib. 1. de Finibus) si afferat eloquentiam, non aspernor; si non habeat, non admodum flagito.* Hinc idem Tullius, lib. 1. Quæstionum Academicarum ait: *Dabitis profecto, ut in rebus inusitatibus, quod Graci ipsi faciunt, utamur verbis interdum inauditis. Dialeticorum quoque verba nulla sunt pubblica; siis utuntur, est id quoque commacie omnium fere artium.* Utuntur ergo Scholastici novis distinctionibus, ut novæ res distinctius exponantur; & quamquam oporteat, non nimium his indulgere, tamen si quæ communijam usu accipiuntur, esto sint Recentioribus inauditæ, & inusatæ, cas usurpare licet.

Qui vero Philosophi tanti faciunt Aristotelis auctoritatem, ut piaculum ducant ab illius præscriptis discedere; hi profecto veritatem se non amare ostendunt. Veteres Ecclesie Patres Philosophica quedam exposuerunt nobis, non quasi asserentes, sed sicut utentes his, quæ in Philosophia didicerunt; & ideo nec commovere nos debet contraria quorundam opinio in iis, quæ cum Fide non sunt connexa. Quod ipsum multo magis de Aristotele sentimus, quem etiam in

naturalibus quibusdam rebus deceptum fuisse, non diffitemur.

Objicies 8. Aristoteli defuerunt ea omnia nova instrumenta, quæ ad Naturæ contemplationem quam maxime conferunt. Quo sit, ut plurima nunc manifesta habentur, quæ olim latebant, & Philosophia ipsa multum perfectionis acceperit. Expedit ergo novas inducere opiniones, & novam subinde Philosophiam.

Confirmatur. Novitas Philosophiæ nihil obstat. Hinc cum Gentiles Catholicam Veritatem novitatis titulo explodere niterentur, jure Patres novitatem veritati non obesse, reponebant. Quemadmodum igitur licuit S. Hieronymo novam exponere Sacrarum Scripturarum lectionem, quemadmodum nova vivendi instituta in Ecclesiam à Religiosis Viris introducta fuere; Ita Philosophis potiori jure licentia hæc attribui debet.

Respondetur, ea, quæ novis experimentis, novisque instrumentis manifestata sunt, lucem addere debere Veteri Peripateticorum Philosophiæ. Hinc Philosophi omnes curare debent, ut nova expromant experimenta, quæ rationibus consentaneam rerum causam aperiant. Quapropter quæcumque ad historiam, & experientiam pertinent, adjungi debent Philosophiæ. Si autem ratio certa, si evidens experientia, si divina fides postulet, ut novæ opinions in Philosophia constituantur, ul-

ultra fatemur id præstandum esse. Gentiles porro immerito prorsus Christianam veritatem , quam tot miracula demonstrabant , novitatis titulo abjiciendam conclamabant. Hieronymus denique , aliique Religiosorum Ordinum Institutores , modum , non rem innovarunt. Unde ille ad S. Augustinum ita scribebat. *Non ita cùdimus nova, ut destruamus vetera, sed ut statuamus.* Gerat sane ita se se Christianus Philosophus, ut cum dicat nove , non dicat nova.

QUÆSTIO SEXTA.

*De Usu , utilitate , & necessitate
Philosophia ad Theologiam.*

ET SI quæstionem hanc distinguimus , operosiusque pertractare consueverint Theologi in ipso Thologicæ facultatis vestibulo , ut Scholasticæ Theologicæ utilitatem , necessitatemque tueantur , quæ rationem , scientiasque naturales , præsertim vero Dialecticam in auxilium assumit , ut Fidem Catholicam facilius defendat , ac persuadeat ; nihilominus eamdem hic quæstionem proponere præstat , tum ut Philosophiæ præstantia elucescat , tum ut quæ speciatim pro Peripatetica philosophandi methodo in præc. quæst. proposuimus , magis magisque confirmentur.

Inquirimus itaque , an Philosophica Facultas plurimum utilis

Tom. I.

sit immo & necessaria iis , quibus incumbit Theologica dogmata docere , atque adversus Hæreticos tueri , & SS. Patrum sententias evolvere , ac perscrutari? Neque tamen hic necessitatem *absolutam* intelligimus , sine qua effectus obtineri nullatenus possit ; sed necessitatem tantummodo *conditionatam* accipimus , quæ ad finem facilius acquirendum deservit.

Jam vero inde apparebit , rectus-ne , legitimusque habendus sit usus Philosophiæ in rebus Theologicis ? Atque si semel ajentem sententiam tueamur , de Peripatetica Philosophia speciatim hac in parte disseremus.

Dicimus , Philosophiam utilem esse , & necessariam Theologicæ facultati : huic vero præsertim conferre Peripateticam philosophandi methodum. Assertio generatim omnino procedit , nec ad singulas refertur Philosophiæ opiniones.

Probatur prima pars. Ea facultas utilis est , & necessaria Theologiae , qua SS. Patres usi sunt , & quam ipsi velut utilissimam commendant. Atqui SS. Patres in rebus theologicis usi sunt Philosophia , eamdemque ut summe utillem celebrant. Ergo &c. Probatur minor. Gregorius Nazianzenus cum primis , in lib. Cicneorum Carminum ad Seleucum , ipsum ita adhortatur : *Subtilibus Philosophorum meditationibus temet*

F

exer-

exerceto, & Moysis exemplo, qui universam Ægyptiorum sapientiam perdidicit, disciplinam ethniæarum doctrinarum, tanquam equestris judeæ, qui fert sententiam legibus consentaneam, verorum dogmatum libertati, quemadmodum omnino fieri par est, & sapientissimæ Sacrarum Litterarum contemplationi, subservire jubero. Basilius quoque Concione. i. ad Adolescentes, cui titulus: *Quomodo utiliter capienda sit doctrina ex Græcis Auctoribus*; illos ad scientiarum naturalium usum adhortatur exemplo Moysis, & Danielis, quorum prior in Ægyptiorum disciplinis animum exercuisse fertur; posterior vero in Babylone Chaldæorum sapientiam didicisse. Idem uno ore alii Patres fatentur; & ne singulorum testimonia proferramus, unus sit omnium instar Hieronimus, qui in ep. 70. ad Magnum, non solum rationis ac Philosophiae usum in rebus theologicis commendat, verum etiam ipsius defensionem ex professo suscipit, & egregia similitudine confirmat, dicens: *In Deuteronomio Domini voce præceptum est, nulle-ris captiva radendum caput, & ungues amputandas; & si eam habendam in conjugio. Quid ergo mirum, si & ego sapientiam saculaarem propter eloquii venustatem de ancilla, atque captiva Israëlitidem facere cupio?* Idque corroborat Veterum Ecclesiæ Defensorum, ac Patrum exemplo, qui

omnes (inquit) in tantum Philosophorum doctrinis, atque sententiis suos refarcient libros, ut nescias, quid in illis primum admirari debeas, eruditio nem seculi an scientiam Scripturarum. Igitur, &c.

Quod attinet vero ad Dialecticam, ejusque usum, Basilium certe Gregorius Nazianzenus prædicat, oratione 20. quod artes omnes, atque doctrinas apprime calleret, præsertim Philosophiam, ejusque partem illam, quæ in Logicis demonstrationibus, aut oppositionibus, & concertationibus versatur, quam Dialecticam nominant: in qua ideo excelluit, ut iis, qui cum eo disputabant, facilius esset ē labyrinthis se se extricare, quam argumentorum ejus laqueos effugere, si quando res ita postularet. Quid vero aliud Basilius, & Gregorius Nissenus in libris contra Eunomium faciunt, nisi ex Dialecticis locis, ac regulis perplexa, & captiosa omnia illius argumenta dissolvere? Quid Cyrus Alexandrinus in Thesauris, & Dialogis, aliquæ in libris instituit, præterquam ut hæreticas fallacias, & subtile argutias eodem disserendi acumine configat? Idem præstiterunt Patres, alii Græci, & Latini. E quorum numero Augustinus necessitatis Dialecticæ vindex extitit, & assertor, adversus Cresconium Grammaticum, lib. i. cap. 13. & seq. ubi inter cetera Christum

tum Dominum Dialectica usum fuisse asserit, dum Judæorum perfidiam retundens eos compulit confiteri, tributum Cæsari esse tribendum; & subdit: *Si Christum dixeris dialecticum, laudabis Dialecticam, quam mihi pro crimen objeceras.* Paulum etiam Apostolum dialecticum fuisse contendit, quia *acute disputabat* cum Stoicis dialecticis. Igitur SS. Patres Philosophia, & Dialectica usi sunt in rebus theologicis, ejusdemque utilitatem, & necessitatem commendant. Unde Basilius ad cap. 1. Isaiae inquit, *Facultas Dialectica instar muri est sacris dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi, & quorumlibet incursioni patere.* Ergo &c.

Atque hinc probatur secunda pars. Nemo ignorat, Dialecticam, & ratiocinandi vim à Philosophis Peripateticis speciatim excultam fuisse, atque in eorum libris distinctius, enucleatusque exhiberi. Ergo si SS. Patres usum Dialecticæ, & ratiocinationis in rebus theologicis commendant, manifestum est, Peripateticam Philosophiam præsentim conferre Theologicæ facultati.

Immo vero quanta sit Philosophiæ Peripateticæ ad Theologiam utilitas, ipsa experientia ostendit adeò invictæ, ut Auctor Artis cogitandi, dissertatione 2. ingenie fateatur: *Ad Theologiam accurata Scholastica Philosophia notitia prærequisitur, cum hac illius lin-*

guam vernacula loquarur. Et satis quæ de multiplici distinctionum genere, ac de Relationibus in Peripatetica Philosophia traduntur, mirifice inserviunt Theologo, ut Mysterium SS. Trinitatis quoquo modo percipere valeat, atque ab Arianorum, Eunomianorum, & Sabellianorum erroribus, & cavillationibus illud vindicare queat. Quæ de natura Scientiæ, ac veritatis propositionum distinctius exhibentur, ea Divinæ præscientiæ, & intelligendæ, & defendendæ plurimum conferunt. De rationalis animæ facultatibus, earumque multiplici objecto, vi activa, & habitibus fusæ disputationes maxime utiles sunt; ut quæ Theologia tradit de Visione beatifica Dei, de merito, aut demerito actionum, atque de supernaturalibus operationibus, tum cognosci, tum explicari, tum ab adversantium objectis defendi possint. Quæ ad loci naturam attinent, variamque in loco præsentiam, ejusque modum exponunt; nemo non intelligit ad divinæ immensitatis quoad substantiam, ad Sacramentalis corporis Christi præsentiae declarationem, defensionemque perutilia esse. Transubstantiationi Eucharisticæ notionem mutationis, & conversionis, aliaque multa ex Philosophicis de prompta luceni præbere manifestum est. Item denique disputationes de Caussis, de Existentia, & possibiliitate, de Individuatione,

& Subsistentia , atque sexcenta pene alia in Peripatetica Philosophia occurrunt , quæ Fidei Catholicæ Mysteriis , & Dogmatibus melius intelligendis , persuadendis , & defendendis non solum utilia , sed & necessaria sunt. Igitur si Philosophia utilis est , & necessaria Theologicæ facultati , huic dubio procul potissimum confert Peripatetica philosophandi methodus.

Non diffiteor , Recentiores Philosophos , qui ea , qua par est , diligentia Philosophicam facultatem tradunt , illa omnia exhibere , quæ utilia diximus , & necessaria Facultati Theologicæ. Sed hæc ipsa non ab aliis , nisi à Peripateticis , desumpta fuisse , facilli negotio quisque perspiciet , unde jure dicimus nostra esse , quia à nostris Auctoribus , & apertius exposita , & distinctius enucleata fuerunt.

Objicies 1. Si Philosophia utilis est , immo & necessaria Theologicæ , hæc ex se se omnino imbecillis esset. Nequæ enim tueri se posset , nisi Philosophia , & Dialecticæ præsertim adminiculo. Atqui hoc præclarissimæ facultati Theologicæ indecorum est , cuius fundamentum est Fides , quæ divino inconcusso testimonio innititur. Ergo &c.

Respondetur , Fidem per se se invictissimo inniti fundamento , divinæ nimirum veracitati , quæ nec falli , nec fallere potest. At Theologia cum ejusdem Fidei tu-

telam suscipiat adversus Gentiles , & Hæreticos , qui vel Divinarum Litterarum oraculis , vel Sacræ Traditioni , aut Ecclesiæ auctori- tati refragantur , iccirco Philosophiam , & naturalem rationem ad arcem vocat , & ad auxilium , ut hostium impetus retundat , eosdemque convincat , & fideles magis magisque confirmet ; quod à SS. Patribus præstitum fuisse jam diximus. Neque tamen Philosophia erit Fide , vel Theologia potentior , nam hæc sibi rationem , ac philosophiam subjicit , eamdemque in officio continet : ut in seq. quæst. declarabimus. Optime igitur ad rem nostram inquit Clemens Alexandrinus , lib. 1. Stromateon : *Græca Philosophia ad doctrinam Salvatoris accedens , non potentiorem facit veritatem , sed sophisticam adversus eam impressiōnem imbecillum reddens , propulsansque dolosas contra veritatem insidias , congruens vinea sepimentum , & vallum dicitur.*

Objicies 2. Theologia Fidem exponit : Fides autem obscura est. Atqui Philosophia est inimica obscuritatis , cum in dispellendis incitiae tenebris sponte sua elaboret. Ergo Philosophia omnino aduersatur Theologicæ , & Fidei ; atque adeo , &c.

Confirmatur. Si de rebus divinis utile esset per Philosophiam , & rationem naturalem disserere , inutile omnino fuisset in S. Scripturis proponi credenda ea , quorum

notitiam scientia naturali acquirimus. Hoc absurdum est. Igitur &c.

Respondetur, Philosophiam assumendam esse à Theologo, velut ancillam Fidei, adeoque in rebus divinis rationem naturalem debere præsupponere ipsiusmet Fidei principia, nec fas illi esse intendere sese in perscrutandis Divinis Mysteriis. Proinde Philosophia perspicuitatem querere potest in rebus naturalibus, quæ proprium sunt ipsius objectum; at in dogmatibus Fidei credendum esse Deo, nec Philosophiam sibi jus arrogare posse dijudicandi ea, quæ longe supra ipsam excellentioris sunt ordinis, & à Supremi Numinis voluntate unice pendent. Si quæ dogmata autem à nobis cognosci possunt per naturalem rationem, tertia via est divinæ auctoritatis ad assensum firmandum, tum propter errores, quibus ratio naturalis est obnoxia, tum propter humanae mentis imbecillitatem.

Instabis. Ergo saltem Philosophia meritum Fidei tolleret in eo, qui dogma aliquod per lumen naturale evidenter perciperet.

Respondetur. Nego consequentiam. Semper enim meritum Fidei perseverat, quia Theologus pius habet affectum credendi, etsi ratio naturalis minime suffragaret.

Objicies 3. Divinæ Litteræ passim redarguunt eos, qui Fidei dogmata ex naturali ratione investigare nituntur. Atque præsertim Paulus Apostolus, ad Romanos,

cap. 8. Sapientiam carnis inimicam esse Deo scribit; & in ep. 1. ad Corinthios, cap. 2. ait: Se anuntiare testimonium Christi non in sublimitate sermonis, aut sapientia nec in persuasilibus humanae sapientiae verbis. Sæpe etiam SS. Patres hæreticos arguunt, qui naturali ratione, ac præsertim Dialectica de Fidei dogmatibus disputabant. Igitur &c. Hinc in Concilio Carthaginensi IV. sancitum fuit, ut Episcopus neutiquam libros Gentilium legeret; & S. Augustinus epist. 118. reprehendit Dioscorum Episcopum, qui ab ipso petierat solutionem quarundam quæstiuncularum ex Ciceronis Philosophia depromptarum.

Respondetur, Divinas Litteras merito reprehendere illos, qui naturali ratione nituntur perscrutari Divina Mysteria, eademque per lumen naturæ metiri: quod sane absurdissimum est, nam tunc Fides subjeceretur rationi, cum ē contra hæc fidei debet familiaris. Paulus etiam ait optimè, sapientiam carnis esse inimicam Deo, quamdiu nimirum est sapientia carnis, quæ divinæ legi adversatur ut locum Apostoli explicat Augustinus, sermone 7. de Verbis Apostoli. Ita idem Apostolus se in simplicitate sermonis annuntiare Christum scribit, non per Rethoricæ flosculos, aut figuræ, nec per vim naturalis rationis, neque enim ejus prædicatio huic innitebatur, sed revelationi divinæ, illamque miraculis confirmabat; unde addit; sed in

in ostensione spiritus, & virtutis.
 SS. Patres abusum damnabant Philosophiæ, & Dialecticæ: ut in præced. quæst. diximus objic. 1. Quamquam non Dialectica ute-rentur Hæretici, sed Sophistica. Carthaginensis Concilii decretum eo tendit, ne Episcopi libros Gentiliū lectitando tempus insumentes, commissi sibi gregis curam negli-gerent, & ne vanitati deservirent. Vanitatem Dioscorus quærebat, il-larum quæstiuncularum solutio-nem postulando, ne forte ab ali-quo interrogatus, si respondere nesciret, velut homo idiota, ac ignarus haberetur; unde optime subdit Augustinus: *Quod non ideo dico: quia istæ discuntur questio-nes, sed quia tali fine discuntur.*

QUÆSTIO SEPTIMA.

Utrum liceat philosophari posthabi-ta Sacra Auctoritate?

NON defuere antiquis tempori-bus Hæretici, qui Philoso-phiam, & naturalem rationem us-que adeo extollerent, ut ex ipsa Fidem Christianam definiendam esse blasphemarent. *Quod maxime absurdum esse, nemo non videt,* cum Fidei Mysteria à Dei incom-prehensibilis majestate, & auctor-i-tate pendeant, & supra omnem ra-tionis humanae captum longe pos-ita sint: tantaque mentis hebetudi-ne, & ignorantia nos laboremus, ut ne rerum quidem naturalium plenam, perfectamque notitiam

consequi valeamus. *Hinc optime Irenæus, lib. 2. adversus Hæreses, cap. 28.* temerariam illorum Hæ-reticorum superbiam, ac præsump-tionem retundit, ac reprimit, di-cens: *Si ea, quæ in manibus sunt, & ante pedes, & in oculis, & ter-renis, & præcipue dispositionem ca-pillorum capitis sui, nondum sciunt ii, qui sunt perfecti; quemadmo-dum eis de spiritualibus, & super cœlestibus, & de his, quæ super Deum vana persuasione confirmant, credemus?*

At novissimis temporibus ne-farius Christianæ Religionis hostis Benedictus Spinoza, in suo tracta-tu Theologico-Politico docuit, ne-que Theologiam: hoc est Fidem rationi, neque rationem Theolo-gie ancillari: sed unicuique suum regnum, suum jus, neutrum neu-tri obnoxium, esse tribuendum.

Ab hac fortassis opinione non multum alicui videri poterunt Re-centiores aliqui, in Philosophicis re-bus non alium ultimum Judicem agnoscentes, nisi rationem natura-lem, & experientiam; unde affir-mant, ex Divinis Litteris, & ex S. Ec-clesiae auctoritate certissimum du-ci non posse veritatis argumentum in rebus, & scientiis naturalibus. An igitur Philosophia, & natu-ralis ratio Sacrae Auctoritati sub-esse debeat, inquirimus; num ve-ro licitum sit philosophari, & de na-turalibus rebus disserere pro huma-nae rationis captu, nullo habito res-pectu ad Sacram Auctoritatem?

Di-

Dicimus, non licere Philosopho in rebus naturalibus pro arbitrio disserere, posthabita Sacra Auctoritate; sed Philosophiam huic subjectam esse, ut ab ipsius judicio pendeat.

Probatur. Testimonia SS. Patrum, quæ in præcedenti quæstione retulimus, ostendunt, rationem naturalem omnino subjiciendam esse Fidei, & auctoritati divinæ. Unde celebre illud Augustini: *Dum cælum tonat, rana taceant.* Et sane veritas una est, & simplex, cuius auctor est Deus. Atqui verum non opponitur vero. Ergo ubi aliqua opinio Philosophica repugnet alicui veritati nobis per Sacram Auctoritatem manifestatæ, opinio illa dubio procul est falsa. Ergo naturalis ratio, & Philosophia subdita est Sacrae Auctoritati, velut Judici, à quo corrigi potest, & erroris convinci. Hinc Concilium Lateranense V. ses. 8. definivit, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse. Quamobrem S. Augustinus, epist. 143. ad Marcellinum, ubi affirmat, verum Scripturarum Sanctorum sensum repugnare non posse manifestissimæ, certæque rationi, ait etiam, veram esse non posse naturalem illam rationem, quæ Divinis Scripturis adversatur. Si quæ ratio (inquit) contra Divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta, sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest.

Sacram autem Divinarum Litterarum, & Ecclesiæ auctoritatem in rebus etiam naturalibus, & physicis obtainere vim omnem suam, & certissimum administrare veritatis argumentum distinctius probabimus in 1. parte Logice, sect. 3. cap. 7. ubi & nonnulla argumenta dissolvemus.

Objicies. 1. Si philosophari non licet, post habita Sacra Auctoritate, jam ruit omnis libertas philosophandi. Tum Philosophiæ jurisdictio perturbatur. Neque enim Philosophus sententias illas tenere posset quas per lumen rationis, & per experientiam exploratas habet; sed captivare deberet intellectum suum in fidei obsequium, etiam dum de rebus mere naturalibus disserit. Atqui hoc omnino incongruum est. Ergo &c.

Respondetur, libertatem philosophandi non esse libertatem ad errores adoptandos, ac defendendos. Libertas ita philosophandi suos habet limites, & humana ratio debet infirmitatem suam, ac imbecillitatem agnosceré, nec inflare sese adversus supremam Dei, aut Ecclesiæ auctoritatem. Quemadmodum ergo leges non tollunt libertatem; unde optime dicebat Aristoteles 5. Politicorum: *Non enim vivere ad Politicam, & leges, putare servitutem, sed salutem oportet.* Hinc S. Augustinus, epist. 101. ad Memorium, num. 2. de naturalibus scientiis loquens, quæ iecires liberales dicuntur, quia li-

be-

berum hominis animum supponunt, inquit: *Quid aliud dicendum est eis, qui cum sint iniqui, & impii, liberaliter sibi videntur eruditii, nisi quod in litteris vere liberalibus legimus, SI VOS FILIUS LIBERAVERIT, TUNC VERE LIBERI ERITIS?* Per eum namque prestatur, ut ipse etiam, que liberales disciplinae ab eis, qui in libertatem vocati non sunt appellantur, quid in se habeant liberale noscatur. Neque enim habent congruum libertati, nisi quod habent congruum veritati.

Jurisdictio autem Philosophiae circumscripta est, & cum ab humana pendeat ratione erroribus subjecta, debet semetipsam agnoscere, & super excellentem Sacram auctoritatem revereri, quæ divino innitur testimonio prorsus infallibili. Ita & sensus subditus est intellectui, velut facultati longe perfectiori, à quo emendari, & corrigi potest. Quemadmodum igitur potius corrueret rectus agendi modus, si à sensum operatione ad tribunal intellectus appellandum non esset; ita legitima veritatis assequendæ regula deficeret, si à Philosophiae judicio ad Sacrae Auctoritatis tribunal provocare non liceret.

Objicies 2. Absurdum est res philosophicas ex Fide stabilire: ut colligitur ex doctrina S. Augustini, lib. 1. de Genesi ad litteram, cap. 18. & seq. Et sane Veteres Patres, & Augustinus ipse, lib. 16.

de Civitate Dei, cap. 9. Antipodas veluti commentarios rejiciebant; aliqui dicebant, Cælum, tanquam fornicem, constitutum esse, cum in S. Scripturis Tabernaculi nomine appelletur. Quin immo Zacharias Papa, urgente Bonifacio Episcopo Moguntino, sententiam suspensionis à Sacris tulit aduersus Virgilium Presbyterum, quod antipodas extare affirmasset: ut referunt Historici Ecclesiastici ad annum Christi 748. quem hac de causa in Synodo nationali damnatum scribit Avenanus, lib. 3. Historiæ Bavariae. Hæc tamen omnia nihil commovent Philosophos, quo minus certo affirment, Antipodas existere. Demum Philosophi rationibus, & experienciis moventur, non vero Sacra Auctoritate, quæ ad Philosophiam non pertinet. Igitur &c.

Respondetur, S. Augustinum solummodo velle, Philosophos non statim debere opiniones quas libet suas, velut Scripturæ Sacrae consentaneas, venditare, oppositasque sententias, ut hæreticas, traducere. Quod nos ipsi approbamus. At ubi sententia aliqua ita colligitur ex Sacrae Auctoritatis testimonio, ut opposita erroris convincatur, priorem sententiam à Philosopho Catholico tenendam esse, posteriorem abjiciendam dicimus. Verba Augustini: *In rebus obscuris, atque à nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta, etiam divina, legerimus, que possint*

sint salva fide, qua imbuimur, alias, atque alias parere sententias; in nulla earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus: ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus: non pro sententia Divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est; cum potius eam, qua Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.

Fatemur autem, Augustinum, nonnullosque alios Veteres inficiatos fuisse Antipodarum existentiam. At Patres illi, qui cælum, fornicis instar, esse dixerunt, vulgarem exposuere opinionem, nec distincte quæstionem ipsam evolvere de Antipodarum existentia; sed nec ita conceptis verbis de cælo loquuntur, ut aliam Scripturarum expositionem tradi posse inficiantur. Neque unanimi SS. Patrum consensu, aut Ecclesiæ auctoritate Antipodarum existentia olim rejecta fuit.

Zacharias enim Papa anathematizandum judicavit Virgilium, non quod iis Antipodas existere asseveraret, sed quod errores plurimos huic sententiæ permiscere ferebatur. Alium enim Solem à nostro, aliamque Lunam incolis illis tribuisse, & pejora fortassis delirasse Virgilium referebant: Unde Zacharias in sua epistola 11. ad Bonifacium scripta, anno 748. non eos perstringit, qui dicebant An-

tipodas existere, sed perversam, & iniquam vocat doctrinam asserentem, quod alius Mundus, & alii homines sub terra sint. Et quidem hoc ab Ecclesia merito reprobatum fatebuntur Catholici omnes. Quamobrem nec quicquam habent Recentiores, quo judicium Ecclesiæ circa res physicas, & naturales, audiendum non esse conclament. Verba Zachariæ in epistola laudata, quæ extat tom. 2. Epistolarum Decretalium Romanorum Pontificum: De perversa autem, & iniqua doctrina, quam contra Dominum, & animam suam locutus est, si clarificatum fuerit ita eum confiteri, quod alius Mundus, & alii homines sub terra sint, seu Sol, & Luna; hunc, habito Concilio, ab Ecclesia pelle, Sacerdotii honore privatum. Conditionalis igitur erat Zachariæ Papæ sententia: & cum revera Virgilius absurda illa non commentaretur, iccirco damnatus minime fuit; immo ad Episcopatum postea electus, demum à Gregorio IX. Sanctorum albo adscriptus fuit.

Postremo nos in præsentiarum non disserimus cum Philosophis Ethniciis, sed cum Catholicis, qui Sacram Auctoritatem suscipiunt, ac venerantur, ut par est. Adversus Ethnicos sola ratione naturali pugnandum est; at cum Catholicis & ratione, & sacra etiam auctoritate rite disserimus.



PHILOSOPHIÆ PARS PRIMA:

LOGICALES DISPUTATIONES COMPLECTENS.

IN LOGICAM

PRÆFATIO.



LOGICA est scientia rationalis discretiva veri à falso. Facultas nimurum, ceterorum habituum instar, intellectui insidens, rationemque dirigen^s in veri acquisitionem. Quamquam enim homines, etiam sola ratione ducē, recta quādam judicia, & plerasque aptas ratiocinationes conficiant per naturae lumen à Deo Creatore omnibus inditum, quod *Logicam naturalem* rite nominamus: attamen ut præcaveantur errores, & in quibuscumque exercitationibus possimus recte disserere, *Logica artificiali* opus est, quæ certis regulis, ac præceptis in veritatis indagationem facilius nos, tutiusque dirigat. Quamobrem summa Logicæ disciplinæ utilitas hinc eluet. Imo vero Logica reliquis omnibus scientiis perfecte comparandis prorsus est necessaria. Nemo enim potest perfectam alicujus scientiæ notitiam habere, nisi suorum ratiociniorum vim cognoscat, & primorum principiorum pondere judicia sua valeat obfirmare: quod sane solius Logicæ proprium est, cum aliæ scientiæ argumentationis quidem materiam ministrent, sola autem Logica vim ipsam argumentationis declareret. Quo factum est, ut ab Augustino Logica appellaretur *Scientia Scientiarum*. Quia ve-

ro Scholastici necessarium bifariam distribuunt ; nām aliud dicitur necessarium absolute, seu *simpliciter*, sine quo finis nullatenus obtineri potest, alterum nominatur necessarium conditionate , seu *secundum quid*, quatenus etsi finem sine illo assequi valeamus, non tamen tanta facilitate , aut modo perfecto; hinc liquido appetit, Logicam esse tantummodo necessarium *secundum quid* ad alias scientias acquirendas. Quod si quis præfracte dicat, Logicam esse necessarium *simpliciter* ad alias scientias comparandas in statu perfecto, is manifesta labitur abusione terminorum ; quippe necessarium *simpliciter* ad substantiam finis obtinendi refertur : quæ vero perfectionem finis præ se ferunt , aut modum ipsius , ineptissime cum ejusdem substantia confunduntur.

Logica nuncupatur etiam *Dialectica* , Facultas nempe disputatrix, tametsi aptiore vocabulo nomen illud *Dialecticæ* ad eam disserendi partem contrahatur , quæ de probabilibus agit : ut postea declarabimus.

Facultatem Logicam in duos habitus secant Scholastici. Eorum primus *aptiorem reddit intellectum ad regulas* , & *præcepta rectæ rationationis cognoscenda* , & *exponenda* , atque *Logica Docens* appellatur. Alter vero habitus dicitur *Logica Utens* , cuius ope non jam ipsa regularum perceptio , aut declaratio , sed earumdem usus , & *applicatio facilis redditur*. Utramque nos facultatem , *Docentem* nempe , & *Utentem* , cum Subtili Doctore in quæst. 4. Prologi , reali discrimine secernimus. Etenim *Logica Docens* in sola sistit præceptorum contemplatione , at *Logica Utens* ad exercitium refertur , & ad opus suum efficiendum. Illa proinde contemplatrix est, hæc operatrix. Quamobrem realiter distinguuntur , ut duplex cognitionis , & exercitii difficultas , quam experimur , multiplici habitu adimatur. Compertrum etiam est , ea invicem realiter distingui , quæ possunt separari , adeo ut illorum unum sine altero quandoque existat. Porro *Logicam docentem* in tyronibus sine *utente* sæpe deprehendimus , quod præceptis opprime licet instructi , & materia etiam dicendi parata , in eorumdem exercitatione nutent : *Utentem* vero *Logicam* sine *docente* in proiectioribus Theologis conspicimus , quorum maxima est in exercitio vis , nec tamen facilis regularum expositio. Igitur ut in ceteris artibus omnibus , ita & in *Logica* , habitum *Docentem* , & habitum *Utentem* realiter distingui merito arbitramur.

In confessu est apud omnes *Logicam ordinare* , & dirigere mentis nostræ operationes. Hæ porro tres recensentur , nimirum *simplex Apprehensio* , quando intellectus objectum ita attingit , ut ab omni prorsus judicio abstrahat ; *judicium* , quo intellectus aliquid affirmat , vel

negat; & *Discursus*, quo intellectus ex præhabita notitia alteram colligit, & subinfert. Quamquam, si rite loqui velimus, una tantum sit specie operatio nostri intellectus: Cognitio nempe variis tantummodo discreta modis, quorum tertius, nempe discursus à creaturæ cognoscentis imperfectione originem suam trahit. Quo fit, ut discursus, divino intellectui infinita perfectione pollenti minime conveniat. Directio igitur operationum mentis nostræ finis est Logicæ, nam finis illud dicitur, *cujus gratia aliquid fit*: Logica autem regulas tradit ad eas operationes dirigendas. In iis autem facultatibus, que *organicae*, seu instrumentariæ appellantur, (cujusmodi sane est Logica scientiæ omnibus deserviens) duplarem distinguimus finem, *intrinsecum* nempe, quem facultas ipsa per se se asequitur, & *extrinsecum*, qui non à facultate, sed ab illo obtinetur, cui facultas deservit. Ita sane Ars fræni effectrix formationem ipsius fræni pro suo fine intrinseco habet; directio autem equi est illius artis finis extrinsecus, quippe non ars ipsa eam equi directionem assequitur, sed Equester, cui ars famulatur, & frænum, sive instrumentum eidem directioni aptum administrat. Eadem ratio habenda est in Logica. Facultas hæc *modos*, seu instrumenta sciendi parat, quibus utitur intellectus, ut suas dirigat operationes, & verum à falso discernat. Quamobrem instrumentorum effectio est finis intrinsecus Logicæ, directio autem operationum mentis nostræ finis est extrinsecus ejusdem Logicæ Facultatis.

Atque hinc facile est declarare, quodnam sit objectum Logicæ, Regulæ enim, & præcepta, ac potissimum tres modi, seu tria instrumenta sciendi sunt objectum, quod appellant *attributionis*, ipsius Logicæ: nimirum *definitio*, quæ rei naturam declarat; *divisio*, quæ ipsius partes explicat; & *argumentatio*, quæ unum ex altero colligit. Horum gratia contemplationes suas Logica perficit, in illis expendens tota occupatur, omnem operam suam in eo impendit, ut instrumenta veritati assequendæ idonea depromat. Hæc ipsa instrumenta Facultas Logica definit, & eorum proprietates ostendit, & quidquid in Logica traditur, ad ea instrumenta refertur. Ipsa autem Logica Facultas in regulis, & instrumentis illis unice versatur, nec per se se operationes intellectus attingit; atque hoc ipso ab aliis Artibus discriminatur, quoniam mere Instrumentalis est: & *Organum* proinde ab Aristotele appellatur.

Jam vero cum scientia sit cognitio certa, & evidens rei necessarie per caussam acquisita, Logica Docens rectissime dicitur scientia. Plurimas sane notiones certas, & evidentes complectitur, que in syllogismorum figuris, & modis, & in efficaci illationis vi potissimum apparent:

rent; tum præcepta Logicalia ex certissimis, evidentissimisque principiis demonstrantur: plures etiam extant in Logica propositiones necessariæ. Et quamvis in Logica pleraque proponantur probabilia, hæc tamen vim certitudinis, & evidentiæ aliis non adimunt, & Logica semper in omnibus demonstratione procedit. Est autem Scientia Simpli-citer instrumentaria, ut diximus; adeoque aliis præponenda, unde Aristoteles lib. 2. Metaphysicæ absurdum esse scribit, *quærere simul scientiam, & modum sciendi*, nempe Logicam, quia istius notitia debet alias scientias præcedere, quarum ipsa Organum est, & janua; atque hoc ipso non est aliis scientiis accensenda, sed inter facultates organicas, seu instrumentarias enumeranda est: ut innuit idem Philosophus, lib. 1. Ethicorum, cap. 3. At vero Logica Utens, quæ ad opus ordinatur, ars est liberalis, quoniam *ars* rite describitur *habitus cum recta ratione operativus*.

Utrum autem Logica sit scientiæ practica, vel theoretica, sive speculativa, altercantur Scolastici. Sed hæc una est ex iis quæstionibus, quæ solo verborum cortice continentur. Qui enim Logicam ajunt esse practicam, docent præxim esse quodcumque opus, quo semel concesso, evidens est Logicam esse scientiam practicam, quippe ordinata, est ad operationes mentis nostræ dirigendas. At è converso Philosophi illi, quibus arridet Logicam accensere scientiis theoreticis, sive speculativis, praxis nomine non quodlibet opus, sed opus tantummodo morale, hoc est, in genere moris bonum, aut malum, adeoque à voluntatis imperio, & electione procedens, significari contendunt. Manifestum porro est hoc sensu Logicam non esse practicam: dirigit enim operationes mentis nostræ in veri acquisitionem, non in bonum moris. Jam vero tametsi firmum ratumque habeamus, nullam verborum contentionem à nobis instituendam esse; dicimus eos abuti terminis, qui praxis nomine quodcumque opus intelligunt. Nam si ita est, nulla omnino Scientia appellari posset Theoretica, seu Speculativa. Nulla quippe extat Scientia, quæ suapte natura non referatur ad aliquod opus. Geometria sane efformationem docet Trianguli, Astronomia Spæræ. Quemadmodum igitur Facultates istas Speculativis accensemus, licet operis effectiōnēm dirigant, idem de Logica affirmamus. Ut nimirum Facultatis Practicæ, notio, si rite verbis uti velimus, non veritatem, sed bonitatem moralem respiciat, cui obtinenda Facultas per se se inserviat. Hinc merito Philosophus, lib. 2. Ethicæ, cap. 2. ajebat: *Directio practica non fit, ut cognoscamus quid sit virtus, sed ut boni efficiamur.* Hinc tritum illud: *Intellectus extensione fit practicus, quoties nempe non in sola veritate sistit quæ est*

est ipsius objectum: sed ex voluntatis imperio velut extra se ipsum se se extendit, & in bonum fertur, quod ad voluntatem pertinet. Quam obrem Praxis non est opus quocumque, sed opus per se dirigibile in genere moris. Hinc actus intellectus non fit praxis; nisi per voluntatis imperium, quo bonus, vel malus afficiatur. Cum igitur instrumenta sciendi, & operationes intellectus suapte natura non nisi in veritatem referantur, Logica non est scientia practica, sed theoretica; quamvis operationes illae ex voluntatis imperio, & ex agentis intentione possint per accidens dirigiri in bonum moris.

Ex dictis subinferre licet, non posse eamdem scientiam simul esse practicam, & speculativam. Quippe haec in sola contemplatione versatur, illa in opus morale fertur; adeoque notio practici, & notio speculativi sunt veluti differentiae essentiales scientiae universim acceptae, & invicem pugnant contradictione. Idem intellectus per actus, vel facultates diversas potest quidem simul esse practicus, & speculativus: quemadmodum potest simul esse scientificus, & opinatus respectu ad diversa objecta; quippe haec omnia ex accidenti convenient intellectui, ex facultatibus nimirum, vel habitibus in ipso *accidentia* liter existentibus. Objectum quoque secundum diversas rationes potest esse terminus operationis practicae, & contemplationis, nam utrumque eidem ex accidenti convenit: sicuti potest simul esse terminus cognitionis, & visionis. At in scientia ratio practici, & ratio speculativi sunt differentiae essentiales, a quibus proinde constituantur scientiae *specifie* diversae. Quemadmodum ergo liberum & naturale, quæ differentia- tum instar dividunt principium activum metaphysice, & universim acceptum, non possunt eidem principio metaphysico convenire. licet simul esse queant in eadem anima; ita ratio practici, & ratio speculativa, cum sint differentiae essentiales scientiae generatim consideratae, non possunt eidem scientiae convenire, etsi scientia practica, & scientia theoretica in eodem hominis intellectu simul existant.

Hæc universim de Natura, & Objecto Logicæ disseruimus. Praesstat autem nobis Facultatem Logicam in duas partes secare. Harum prima notiones, regulas, & præcepta complectetur, quibus mens nostra in veri acquisitionem dirigitur. Altera disputationes tradet presa subtilique scholastica methodo exagitatas, quibus & priores regulæ ab Adversantium objectis vindicantur, & quæ primo summatim dicta sunt, distinctius exponuntur, ac nostræ demum sententiæ, aliorum opinionibus rejectis, confirmantur.

LOGICÆ DISCIPLINÆ

PARS PRIOR,

Quæ regulas, & præcepta complectitur.

SECTIO PRIMA.

De iis, quæ ad primam intellectus operationem attinent.

CAPUT PRIMUM.

De Terminis:



UOD mente percipi-
mus, appellari potest
Notia, quia nobis inno-
tescit. *Idea* autem no-
mine aliquando ob-
jectum ipsum significatur, quod per-
cognitionem exprimitur, propriore
tamen sensu cognitio ipsa intelligi-
tur, seu forma intellectui insidens,
qua objectum cognoscimus. Nos,
quod jam in consuetudinem venit,
usurpare satius ducimus ut simpli-
cis apprehensionis objectum dicamu-
s *Terminus*, quoniam in illo per-
ceptio nostra quodammodo sicut sit.
Nec tamen de verbis impræsentia-
rum contendimus; ratione siquidem
non vocibus res ponderantur. Ipsa
quoque Facultas Logica per se se-
vices minime exposcit, nec in iis
tradendis, docendisque occupatur,
nam spirituales Angelicae substanc-

tiæ omni scientia sunt exornatae,
neque tamen verbis utuntur. Pro-
inde ex accidenti tantum conti-
git, ut nos vocibus utamur, quia
non alia ratione declarare possimus
mentis nostræ conceptus. Mente
igitur exercetur Logica, sed vo-
cibus exprimitur. Voces autem sig-
na sunt arbitraria rerum ex com-
muni hominum placito instituta
velut instrumenta in rerum noti-
tiam perducentia.

Enunciatio, scilicet propositio suis
partibus coalescit invicem, nexit,
quoniam in ea quidpiam alteri
attribuitur, vel ab altero amovetur:
ut cum sapientiam inesse Deo as-
sentimur, dicendo: *Deus est sa-
piens*. In qua propositione Subjec-
tum, Copulatio, & Prædicatum
apparet. Etenim *subjectum est il-
lud, de quo alterum affirmatur*,
vel

vel negatur : ut Deus. Prædicatum vero illud , quod de altero affirma- tur , vel negatur : ut sapiens . At Copulatio verbo significatur , prædi- catum ordinante ad subjectum , vel removente illud ab isto : ut est . Porro Subjectum , & Prædi- catum à Logicis appellantur Ter- mini Propositionis . Unde Terminus , quantum ad præsens attinet , apte describitur : Extremum Propositio- nis , in quod ipsa resolvitur , re- luit in subjectum , & prædicatum .

Quia vero termini ad res signifi- candas ordinantur , hinc operæ pretium est animadvertere , quid sit signum . Signum porro ex sen- tentia S. Augustini lib. 2. de Do-ctrina Christiana c. 1. rite descri- bitur illud , quod prater sui cogni- tionem , quam ingérit sensibus , in- ducit nos in cognitionem alterius : & hoc appellatur signum Instru- mentale , quia eo utimur velut ins- trumento ad aliud cognoscendum . Naturale autem dicitur , si suapte natura notitiam alterius pariat : quo modo respiratio signum est vitæ in animalibus . Arbitrarium vero , seu ad placitum appellatur , quando ex hominum libito , & institutio- ne dicit nos in alterius notitiam : atque res ita se habet in vocibus , in terminis logicalibus , aliquæ rebus ex hominis arbitrio aliud significantibus . At Scholastici sig- nificatiæ Formæ distingunt , quod absque sui prævia cognitione indu- cit nos in cognitionem alterius . Ita sane cognitio , seu idea rei alicujus

rem ipsam nobis representat , nec tamen cognitionem , seu ideam prius cognoscimus .

Multiplex porro est Termini Logicalis distributio . Nam alter Compositus , sive Complexus dici- tur : alter Simplex , & Incomplexus . Prior ille est , quo auditu , non una- tantum , sed plures res menti nos- tra representantur : ut cum dico , Philosophus ; terminus enim iste & hominem indicat , & amatorem sa- pientiæ . Alter unam tantummodo rem exprimit : ut Marcus Tullius Cicero ; quippe tribus istis termi- nis unus homo significatur . Uter- que illorum Terminorum una potest , vel pluribus conflari vo- cibus .

Ubi vero Terminus perfectionem aliquam significat à subjecto suo abstrahentem , dicitur Abstractus : ut Sapientia . Sed Concretus erit , quo- ties perfectionem subjecto insidentem exponat , ut Sapiens . Ex quo col- ligimus , ambos illos Terminos sola subjecti indicatione discrimi- nari , atque in præcipua , & prin- cipali significatione convenire . Hinc vox ista , Sapiens primo du- cit nos in cognitionem sapientiæ , deinde subjectum indicat , cui sa- pientia inesse intelligitur .

At quoniam perfectio , seu for- ma , alia est substantialis , ut Dei- tas , Humanitas , & similia , quæ ad suppositum , seu personalitatem referuntur ; alia vero accidentalis , ut albedo , sapientia &c. quæ suis insunt subjectis ; siccirco duplex dis-

distinguitur Concretum *Substantiale*, & *Accidentale*. Quærimus porro, undenam derivanda sit unitas, vel pluralitas utriusque concreti, utrum à forma, an à subjecto, vel supposito? Quia in re arbitramur, unitatem, aut pluralitatem concretorum *accidentalium* à solo subjecto colligi: concretorum autem *substantialium* pluralitatem necessario postulare multiplicationem tum suppositi, tum naturæ, seu formæ. Quod ipsum affirmamus de attributis, seu prædicatis illis, quæ tametsi ad essentiæ notionem non pertineant, sunt tamen realiter indistincta ab eadem essentia. Et sane termini numerales, ex. gr. *duo*, *tria*, *quatuor*, quibus concretorum pluralitatem significamus, sunt adjectivi, ac proinde ad substantivum, ultimo referuntur, & ab isto pendere intelliguntur. Atqui forma *accidentalis* est & ipsa quidpiam adjectivum, nec per se se habet rationem substantivi. Ergo termini illi numerales inconcretis *accidentalibus* non ad formam, sed ad subjectum ipsum referuntur. In istis adeo unitas, vel pluralitas ex solo subjecto rite colligitur. Hinc licet unus homo plures habeat scientias, unus tamen dicitur sciens, non plures scientes.

At in concretis *substantialibus* ad eorum pluralitatem necessaria est multiplicitas tum suppositi, tum formæ quippe & illud, & ista, cum sit *substantialis*, rationem ha-

Tom. I.

bent *substantivi*, & posunt terminare dependentiam adjectivi numeralis: forma quidein substantialis non ultimo, suppositum autem, seu personalitas ultimo. Hinc Deus unus dicitur, etsi tres sint Personæ; Et Christus appellatur unum vivens ex unitate suppositi, seu personæ, licet in illo sint duæ naturæ viventes. Neque sola pluralitas formæ substantialis subinfert pluralitatem concretorum, quemadmodum ejusdem formæ unitas sufficit ad unitatem concreti. Siquidem unitas propria est naturæ, pluralitas vero suppositorum, adeoque natura, seu forma ex se se unitatem facit, sed se sola non sufficit ad pluralitatem. Eadem pariter habenda est ratio de attributis, seu prædicatis realiter indistinctis, quippe unum sunt re ipsa cum natura, seu forma substantiali; unde in Divinis unus dicitur immensus, & unus æternus ex unitate immensitatis, & æternitatis, tametsi multiplices sint Personæ. Quod diximus, substantialiem formam esse aptam terminare non ultimo dependentiam adjectivi numeralis, id locum babet etiam in forma accidentalis, si hæc *substantive* accipiatur: ut quando à subjecto abstracta, & separata intelligitur; & veritatem quoque obtinet in concretis accidentalibus *substantive* consideratis: ut cum dicimus, Pater, Opifex, & similia. Hoc enim modo accepta substantialibus æquivalent.

Terminus alter est *absolutus*, alter *connotatus*, alter *relativus*. Si principali significatione contineatur, nec aliud quippiam significet, *Absolutus* nominabitur: ut *Corpus*. *Connotatus* erit, si ultra primariam significationem in alterius cognitionem nos ducat: Ita *Conservatio* rei eamdem & nunc esse, & jam antea fuisse notat. *Relativus* autem est, qui rem significat aliud resipientem, adeo ut sine isto ordine intelligi non possit: ut *Pater*, qui ad *Filium* refertur, & sine isto ordine concipi nullatenus potest. Hinc Terminus *Absolutus*, quatenus *Relativo* opponitur, ille est, qui rem significat sine ullo ordine ad alteram: ut *Substantia*, quæ ad se ipsam est.

Accipiuntur impræsentiarum Termini, prout rem aliquam, aut perfectionem seu formam significant: quo sensu quilibet Terminus *Positus* nuncupatur. Huic opponuntur *Negatio*, & *Privatio* quarum utraque rem, seu formam amovet: ut cum dico, *Bruta* carent ratione. *Negatio*, & *Privatio* in se nihil sunt, nec per se se cognoscuntur; dicuntur autem percipi, quatenus intellectus cognoscit, res ipsas, seu formas non inesse: hoc sensu tenebras percipere dicimus, quia lucem non intuemur; quamquam modus ille loquendi non satis aptus videatur. In eo tamen *Negatio* discriminatur à *Privatione*, quod *Privatio* connotat subjectum esse aptum perfectioni illi suscipiendæ,

quæ ab eodem removetur; secus *Negatio*: Ita sanitatis privatio de animali dicitur, quod capax est sanitatis; *negatio sanitatis* de reanimata potest utcumque enunciari.

Negationes, quæ de rebus prædicantur, vel sunt ab illis realiter distinctæ & separabiles, vel ab iisdem realiter insdistinctæ sunt, & separari nequeunt. Negationes primi generis meram dicunt formæ parentiam; at Negationes secundi generis connotant quidpiam positivum, à quo derivari intelligantur. Id porro inductione declaratur. *Negatio* enim corporeitatis in Angelo rationalitatis in Bruto, similitatis in Deo, aliæque similes indicant in iisdem rebus positivum aliquod prædicatum, vi cuius de illis necessario enuncientur. Aliæ autem negationes, ut caloris in corpore, albedinis in pariete &c. cum dicantur de illis contingenter, solam formæ remotionem significant.

Terminorum alias *Communis* est, seu *Universalis*, alias *singularis*. Hic uni tantum aptari potest: ut *Socrates*; Ille pluribus: ut *Homo*. Quandoque etiam Terminus *Communis* convenit rebus omnibus: ut *Bonum*; & hoc sensu *Transcendens* nominatur.

Terminus *Communis* distribuitur in *Univocum*, *Equivocum*, & *Analogum*. *Univocus* est, quando non solo nomine, sed ipsa etiam *reper nomen significata pluribus con-*

gruit;

gruit : ut *Substantia*. *Equivocus* dicitur , si sola voce pluribus conveniat : ut cum *Canis* nomen marino pisci , & animali latrabilis , & sideri cuidam commune facimus. *Analogus* is est , qui rebus natura sua invicem diversis siccirco attribuitur , quoniam illæ proportione quadam sibi invicem respondent. Ita *Sensitivi* vocabulum animalibus tantum cognitione præditis rite attributum , cuius etiam plantæ Philosophi concedunt , quod illa humanæ manus contactum refugiens , folia sua , & se se totam colligat. Cum tamen rerum proportio non uniusmodi sit , sed variis gradibus diserta , multiplice quoque ratione , *Analogum* Terminum accipere possumus. At si rem spectemus. *Analogum* necessario pertinet ad *Univocum* , vel ad *Equivocum*. Etenim vel notio essencialis rei significatae eadem est , vel diversa ? Si eadem ad *Univocum* ; si diversa , ad *Equivocum* necessario pertinet. Porro cum idem esse & diversum esse pugnent invicem contradictione , dubio procul necessse est , unum , vel alterum ipsorum re ipsa veritatem obtinere ; neque fas est medium inter illa comminisci.

Communis itidem *Terminus* vel *Collectivus* est , vel *Distributivus* , *Collectivus* , quando pluribus convenit collectum tantummodo , & simul acceptis : ut *Senatus*. *Distributivus* , quando pluribus etiam

singillatim consideratis convenire potest : ut *Planta*. *Collectivus* autem *Terminus* plura quidem complectitur , sed sub aliqua unitatis , & ordinis notione ; atque hoc ipso discriminatur à *Termino Complexo* , qui plura significat secundum eorum multiplicitatem.

Habent *Termini* suam *oppositionem* , ratione cuius *Contradictorii* , vel *Privativi* , vel *Contrarii* , vel *Relativi* appellantur. *Contradictorii* , sunt , quoties eorum unus amovet illud omne , quod ab altero affirmatur : ut *homo* & *non homo*. *Privativi* eadem descriptione significantur , nisi quod unus *perfectio* nem inesse indicat , alter eam tollit à *subjecto* , cui eadem *perfectio* convenire potest : ut cum humanum corpus anima præditum , vel destitutum esse dicimus : *Contrarii* duas præ se ferunt formis , se se invicem ab eadem subjecti parte explodentes ; ut calor summus , & fumum frigus. *Relativi* demum significant relationes invicem adversantes , quas simul eidem convenire impossibile est : ut *Pater* , & *Filius* , si respectu ejusdem considerentur ; neque enim uterque hic ordo eidem convenire potest respectu ejusdem termini. Adnotare autem lubet , *Terminos* aliquos appellari *Disparatos* , qui nimirum invicem collati nec connexionem habent , nec repugnantiam , adeo ut simul eidem convenire queant : & possint etiam invicem esse separati : ut *album* , & *dulce*.

Synategoremata, voces nempe, quæ ex se se nihil significant, sed cum alio termino conjuncta sententiam efficiunt; ut *omnis*, *nihil*, *aliquis*, vera Logicalis termini notione minime donamus. Unde omnis Terminus dicitur *Categorematicus*, quia per se se aliqd significat, proindeque in propositione potest esse subjectum, vel prædicatum.

Postremo Termini illi; quorum ope quidpiam significatur, quod re ipsa non est, sed à mente nostra effingitur, & denominationem accipit; ii appellantur Termini secundæ intentionis. Qui vero aliqd indicant reale, dicuntur Termini primæ intentionis.

CAPUT SECUNDUM.

De Terminorum Affectionibus, seu Proprietatibus.

REI ordo postulat, ut exposita jam terminorum Logicalium notione, illorum Affectiones, seu Proprietates explicemus. Hæ porro octo recensentur, nimirum *Suppositio*, *Status*, *Distractio*, *Ampliatio*, *Diminutio*, *Alienatio*, *Restitutio*, & *Appellatio*.

Cum igitur in Propositione Terminus vicem gerit rei illius, quam significat tunc *suppositio* habetur. Si Terminus ille, qui subjectum est propositionis, sit Terminus Communis, *Suppositio quoque communis* erit. Si subjectum est singulare, *suppositio quoque est Singularis*.

Exemplum primæ, *Homo est animal*. Exemplum secundæ, *Socrates est homo*.

At *Communis* illa *Suppositio* trifariam dividitur: nempe pro varia Termini Concreti significacione. Hic enim, ut diximus, primo dicit nos in agnitionem formæ, tum in notitiam subjecti; quare forma appellatur primaria significatio Concreti, subjectum vero secundaria. Quoties ergo Terminus in propositione pro utraque illa significacione usurpatur, *Suppositio* est *Absoluta*; si Vices gerat solius formæ seu primaria tantummodo significacionis, *Suppositio* est *Simplex*; Personalis autem dicitur *Suppositio*, quando Terminus solius subjecti loco substituatur, seu pro secundaria tantum significacione.

Hinc vero prodit generalis quædam regula, cuius ope unam Suppositionem ab altera discernere valcamus. Etenim *Prædicati natura determinat subjectum Propositionis ad unum*, vel alterum *Suppositionis genus*. Si *Prædicatum* tam formæ, quam subjecto conveniat, *Subjectum Propositionis*, pro utrisque supponit, & *Suppositio* habetur *Absoluta*: ut cum dico, *Homo est animal rationale*. Hoc enim prædicatum non soli convenit *Humanitati*, quæ veluti forma est hominis, sed etiam convenit *Individuali*, quæ sunt subjectum *Humanitatis*. *Simplex suppositio* tunc habetur, quando *Prædicatum* soli

potest forma convenire : ut in hac Propositione , Homo est species . Notio enim speciei non potest individualis attribui , sed soli convenit Humanitati . Quod si Prædicatum non conveniat nisi subjecto forma , seu individualis , Suppositio dicitur Personalis : ut Homo est currrens . Nam currere ad individua pertinet .

Hæc Personalis suppositio in alias quatuor multiplicatur , nempe in Distributivam , Collectivam , Determinatam , & Confusam . Suppositio Distributiva tunc habetur , quando subjectum propositionis convenit omnibus suis inferioribus , tam seorsim , quam conjunctim acceptis : ut cum dico , Bruta sunt viventia . Suppositio est Collectiva , quando terminus substituitur pro illis tantummodo collectim sumptis : ut si dicas , Planetæ sunt septem . Suppositio determinata appellatur , quotiescumque terminus in propositione accipitur pro particulari aliquo inferiori , quod saltem a Deo possit singillatim designari : ut in ista , Aliquis homo currit . At suppositio erit confusa , si terminus in propositione accipiatur pro aliquo inferiori , quod nullatenus possit speciatim designari : ut cum dico : Oculus est necessarius ad videndum . Neque enim declaratur , aut singillatim determinari potest , quoniam ex duobus oculis oporteat uti ad videndum .

Suppositio Distributiva duplex est , una pro singulis generum ,

altera pro generibus singulorum . Prior tunc habetur , quando terminus pro omnibus , & singulis inferioribus accipitur : ut in ista propositione : Omnis circulus est rotundus . Posterior tunc est , quando terminus non pro singulis inferioribus , sed pro omnibus tantummodo speciebus accipitur : ut cum dico : Omne animal fuit in Arca Noe ; quatenus non omnia animalia individua , sed ex omni animalium specie quædam ibi conclusa fuere .

Demum si locutio sit metaphorica , Suppositio dicatur Impropria , ut Christus est agnus . Si terminus pro voce substituatur : Suppositio dicitur Materialis : ut Petrus est vox bissyllaba . Solet etiam altera annumerari suppositio , quam appellant Accomodam , quando terminus universim accipitur , sed prudenti exceptioni locus manet ut cum dico : Oculus videt omnia , id est præter se ipsum .

Secunda terminorum affectione est Status , tertia Distractio , quarta Ampliatio . Hæc porro proprietates convenientiunt termino per ordinem ad tempus à verbo designatum . Si terminus eam temporis differentiam significet , quam verbum propositionis p̄ se fert , Status termini dicitur : ut , Sedens disputat . Si terminus ab eo tempore abducatur , Distractio est : ut cum dicitur , Cæci vident ; is enim tantummodo sensus redditur : Illi , qui erant cæci , nunc vident .

Quod

Quod si terminus extendat se se ad plures temporis differentias, nec in ea solum sistat, quam verbum præ se fert, Ampliatio nominatur, ut in ista propositione: Sancti Deum videbunt. Id quippe veritatem obtinet, non solum si loquamur de Sanctis futuris, sed etiam rite dicitur de Sanctis, qui jam extiterunt, & qui nunc existunt.

Restrictio est coarctatio illius significationis, quam subjectum propositionis ex se se designat. Ita adjectiva nomina plerumque significationem contragunt, ut in ista: *Homo sapiens* dominabitur astris. Cum enim vox *homo* universim feratur, adjectivum illud, *sapiens*, illius vocis significationem coarctat.

Alienatio contingit, quando adjectivum aliquod tollit propriam, & naturalem termini significationem: ut cum dico: *Homo pictus*.

Diminutio tunc habetur, quando amplior termini significatio coarctatur, & ministratur ob adjunctam particulam aliquam: ut si dicas: *Ethiops* est albus secundum dentes. Hoc enim additum minuit significationem prædicati.

Appellatio est unius termini ab altero denominatio: ut cum dicimus: *Cicero optimus* est *Orator*; vox illa, *optimus* ad *Oratorem* pertinet, non ad *Ciceronem*. Aliando significatio unius vocis refertur ad eam formam, quam terminus primo significat; quandoque vero refertur ad sub-

iectum formam. Prima est appellatio formalis: ut cum dico *Philosophus* est amator sapientiae. Secunda dicitur Appellatio materialis; ut si dicas, *Musicus* est *Philosophus*. Nec enim homo ille siccirco Philosophiam callebat, quia Musica peritus est; sed illa propositio hunc sensum reddit: Musica, & Philosophia eidem homini convenient.

CAPUT TERTIUM.

De Nominis, Verbo, & Oratione.

U T ea, quæ in hoc capite trandum facilius, distinctiusque percipiuntur, tria distinguere oportet, nempe significare tempus, connotare tempus, & significare cum tempore. Quando terminus nobis manifestat partem unam, vel alteram temporis, dicitur significare tempus. Ita vox hæc, *Annis*, longam illam dierum revolutionem expedit. Si vox, *eam rem*, quam primario significat, nos etiam dicit in notitiam alicujus temporis, dicitur connotare tempus. Ita Conservatio demonstrat rem jam fuisse in tempore præterito. Quod si actionem aliquam, vel passionem significat cum relatione ad eam temporis differentiam, in qua illæ evenerunt, tum dicitur significare cum tempore: ut si dicas, *Amo*.

Nomen igitur arbitaria hominum vox est, qua quidpiam signifi-

ficant; nullus habita ad tempus relatione; adeoque Nomen sibi tempore significat.

Verbum autem relationem exprimit ad eam differentiam temporis, vel prateritam, vel praesentem, vel futuram, in qua operationem, vel passionem significat. Quamobrem Verbum dicitur significare cum tempore; atque hoc

ipsum in Vermis omnibus appetit.

Oratio ex pluribus conflatur verbis invicem nexitur copulatione, aut connexione grammatical: Ut dum dico, Deus est coenus; vel dum ajo, Animal rationale. Porro Oratio perfecta est, si integrum sententiam declarat, ut in primo ex nuper allatis exemplis. Secus, erit imperfecta.

SECTIO SECUNDA.

De iis, quæ pertinent ad secundam intellectus operationem.

CAPUT PRIMUM.

De Enuntiatione, sive Propositione.

Quoties nos de rebus velut judices pronuntiamus, illas conjungimus, aut separamus, prout easdem inter se convenire, vel differre animadvertisimus, quod ipsum est affirmare, vel negare. Hinc Enuntiatio dicitur *Oratio affirmans vel negans aliquid de alio*. Appellatur etiam *Propositio*, quatenus alteri præponitur ad rationationes efformandas.

Propositio ex subjecto, & prædicato, & eorum copulatione coalescit. Bifariam autem primo distribuitur, nam alia est *categorica*, alia *Hypothistica*; seu alia *Simplex*, alia *Composita*. Propositio *Categorica* ea est, quæ *subjecto*, *prædi-*

cato, & *copulatione* componitur, velut *principis* sui *partibus*. Nam si addantur adverbia, aut syncategoremata, nihilominus *Propositio Simplex* est, seu *Categorica*. *Propositio autem Hypothetica* ex pluribus *categoricis* conflatur aliqua *particula connexis*. Exemplum primæ. *Homo est animal rationale*. Exemplum secundæ, *Si homo est animal rationale, homo est risibilis*.

Si in propositione addatur Modus, quo *prædicatum jungitur subjecto*, vel ab eo ammovetur. *Propositio* dicitur *Modalis*; si secus, *Absolute* vocatur. Sunt autem *Modi affectiones quadam*, quibus signifi-

sicutur & quānam ratione predicatum conveniat subiecto, vel ab illo removetur; Utrum nempe ex necessitate, an ex accidenti id locum habeat; sive ut dicunt, *necessario*, aut *contingenter*. Nam & ad hos Modos reducuntur alii, qui negantes appellantur: ut consideranti manifeste apparet. Idem est enim dicere: *Impossibile est hominem esse lapidem*, ac affirmare, *Homo necessario excludit à se naturam lapidis*.

Propositio ratione terminorum ex quibus, velut ex materia, coalescit, triplex est, *Necessaria*, *Impossibilis*, & *Contingens*. *Necessaria* dicitur, quando prædicatum necessario convenit subiecto: ut dum dico, *Deus est sapiens*. *Impossibilis* appellatur, quando prædicatum nullatenus potest subiecto convenire: ut si dicas: *Cubus non est quadratus*. *Contingens* denique Propositio nominatur, quando prædicatum per accidens convenit subiecto: ut cum dicimus, *Homo est sapiens*.

Ex dictis consequens est, Propositiones gaudere suis affectionibus, quas appellant ipsarum Qualitates. *Affirmativa* est enim Propositio, in qua prædicatum jungitur subiecto; *Negativa* vero si prædicatum à subiecto amoveatur: ut notissimum est. Hinc sit, Propositionem esse *Veram*, vel *Falsam*. *Vera* est quando rem exprimit, ut ea est in se se; Si secus, *Falsa* erit. Propositio *Necessaria* est immuta-

biliter vera. Propositio *Impossibilis* est immutabiliter falsa. Propositio autem *Contingens* potest vera esse, vel falsa.

Veritas itaque Propositionis est consonantia, seu similitudo, vel, ut ajunt *conformitas*, ipsius propositionis cum objecto, quod per eamdem significatur. Hinc falsitas Propositionis in carentia istius consonantiae sita est. Quia autem dividimus Veritas, & Falsitas sunt veluti qualitates Propositionis, & propositio *Contingens* capax est utriusque; ideo querimus, an eadem propositio contingens semel vera possit in falsam mutari pro objecti sui variatione. Porro dubium non est de ea propositione contingenti, quæ ad tempus futurum refertur; hanc enim esse determinate veram, vel determinate falsam demonstrabimus in secunda Logices parte, disp. 5. Ea quoque propositio contingens, quæ tempus præteritum notat, jam habuit veritatem, vel falsitatem, quantum vel fuit objecto suo convenientis, aut ab eo dissona; proindeque nunc dicitur incomutabiliter vera vel falsa, nam & Deus ipse non potest ea infecta facere, quæ facta sunt. Itaque de propositione contingenti disserimus temporis praesenti affixa, an videlicet ejusmodi propositio, eadem manens, & essentialiter immutata, possit modo veritatem, modo falsitatem habere, & ab una istarum affectionum ad alteram transire

pro objecti sui variatione. Negan-
tem porro sententiam tenemus.
Etenim hæc propositio , ex. gr.
Socrates sedet , componitur ver-
bo, velut sui forma : verbum au-
tem significat cum tempore , seu
relationem habet ad differentiam
temporis; adeoque propositio illa
unam , vel alteram differentiam
temporis includit , etsi non expli-
cite. Ergo ea propositio absolute
prolata ad eam temporis differen-
tiā resertur , in qua judicium
mente concipitur. Mutato igitur
tempore, & ipsa propositio muta-
tur; & si quis perseveret in eo judi-
cio : *Socrates sedet* , multiplicia
tunc fert judicia , & distinctæ nu-
mero propositiones habentur, quip-
pe tunc multiplicia numero objec-
ta occurunt , nimirum Socratis
sessio pro primo instanti temporis,
& Socratis sessio pro secundo, iti-
demque pro aliis sequentibus. Non
ergo illa propositio eadem manens
potest transire de veritate in falsi-
tatem. Quod si qui illam proposi-
tionem efformat, judicio suo com-
plectatur determinatum temporis
spatium puta horam integrum; se-
dente Socrate in prima medietate
horæ , & non in altera , evidens
est propositionem illam esse fal-
sam , quia ad sui veritatem totam
horam complectitur. At si judi-
cium abstrahere dicatur ab omni
temporis determinatione , ut sens-
sus sit , *Socratem aliquando sedere*,
ad veritatem propositionis satis est,
si in aliqua temporis differentia

Tom. I.

Socrates sedeat; tunc enim propo-
sitio æquivalet disjunctivæ.

Veritas autem, & falsitas dicun-
tur accidentia propositionis con-
tingentis, quatenus propositio po-
tuit ab initio vera esse, vel falsa,
quoniam ipsius objectum erat om-
nino indifferens. At cum proposi-
tio sit essentialiter alligata tempo-
ri, ut diximus, mutato tempore
ipsa quoque numero mutatur, adeo-
que semel ac veritatem suam ha-
buit, transire non potest in falsita-
tem. Atque hinc apparet discri-
men inter propositionem, & alias
res accidentia sua recipientes: ut
corpus ex. gr. caloris , & frigo-
ris capax. Nam corpus non de-
pendet essentialiter ab istis af-
fectionibus. Propositio autem ra-
tione verbi pendet essentialiter à
tempore.

Hæc de Veritate , & Falsitate
Præpositionis dicta sint. Habet
etiam Propositio suam quantita-
tem per quam significatio propo-
sitionis vel ampliatur , vel coarcta-
tur: ut prædicatum quandoque om-
nibus aptari dicatur , quandoque
non. Hinc propositio quadrifariam
distribuitur , nimirum in *Uner-
salem , Particularē , Singularem ,*
& *Indefinitam*.

Si subjectum propositionis sit af-
fectum nota quadam universalī: ut
sunt , *Omnis nullus* , Propositio
est *Universalis*: ex. gr. *Omnis im-
pius est stultus*. Si subjectum affi-
ciatur signo particulari : ut *Ali-
quis. Quidam* , Propositio est *Par-*

ticularis : ex. gr. *Aliquis homo est impius*. Si subjectum sit terminus singularis, aut saltem determinetur à pronomine demonstrativo, Propositio quoque singularis est: ex. gr. *Hic homo est stultus*. Demum si subjectum propositionis sit terminus ex se se communis, sed nulla nota affectus, Propositio appellatur *Indefinita* ut cum dico, *Homo est animal*; vel *Homo est sapiens*. Oportet autem in Propositione *Indefinita* distincte animadvertere, quenam sit illius materia. Quoties enim propositio contingens est particulari equivaleret: ut in secundo exemplo relato cognoscimus. Quando propositio est necessaria, vel impossibilis, æquivaleret universaliter in primo exemplo. Nam ea, quæ ex necessitate uni convenient, aut repugnant, omnibus rebus ejusdem naturæ æqua proportione respondent; quæ autem alicui convenient per accidens, non debent omnibus convenire.

CAPUT SECUNDUM.

De Propositione composita, & modali.

Propositio *composita*, ut in præcedenti capite diximus, est illa, quæ ex pluribus conflatur propositionibus simplicibus nexus aliquo invicem conjunctis. Si nexus ille sit particula conditionalis, Si, Propositio itidem dicitur *Conditionalis*.

Ergo, Propositio est *Rationalis*. Si nexus præ se ferat particulam *Quia*, Propositio erit *Causalis*. Si nexus fiat per particulam *Et*, Propositio est *Copulativa*. Denique ubi nexus particula *Vel*, efficiatur, Propositio erit *Disjunctiva*. Quæ omnia ex se manifesta sunt.

Usus obtinuit, ut in Philosophia præsertim ocurrant passim Propositiones *Conditionales*. Proinde cum Subtili Doctore in 1. dist. 11. quæst. 2. animadvertisimus omnem illam *Hypotesim*, sive *Conditionalem* admitti posse, quæ contradictionem minime includat, nec semetipsam destruat. Alias enim *Hypotesis* invicem pugnantia simul adstrueret: ut si quis supponere vellet effectum existere, & non existere caussam illam, sine qua effectus nec extare, nec intelligi posset.

Priorēs illæ tres Propositiones, *Composita conditionalis* nimirum, *Rationalis* & *Causalis*, talem præ se ferunt suarum *simplicium* connexionem, ut una ex altera duatur, & inter eas habeatur illatio. Quamobrem *Compositæ* illæ Propositiones non possunt esse *contingentes*. Aut enim illatio est legitima, aut non? Si primum, Propositio *composita* est *necessaria*. Si secundum, ea est *impossibilis*. Quippe particula connectens est *forma* Propositionum *compositarum*. *Copulativa* autem Propositio, & *Dis-*

junctiva non præ se ferunt unius *simplis* illationem ex alia: adeoque possunt esse contingentes.

In illis etiam tribus primis propositionibus quantitas ex ipsis *simplibus* eas componentibus ducitur. *Affirmatio* autem, vel *negatio* à particula connectente derivatur, ut nimurum negativa sit *propositio composita*, quando negatio adiungitur particulae connectenti; si secus affirmativa. At quantum attinet ad *veritatem*, & *falsitatem*, *Propositio conditionalis*, ut vera sit, non aliud exposcit, nisi legitimam illationem: ut cum dicimus: *Si bene vivunt homines, justè vivunt*; *Propositio Rationalis* duo requirit, & illationem legitimam, & veritatem illius *simplis*, à qua altera subinfertur: ut in hac, *Sol apparet in nostro Horizonte, ergo in illo lucem diffundit suam*; *Propositio Caussalis* non tantum duo hæc expostulat, verum etiam tertiam aliam conditionem, quod nempe sub illata propositio à priori originem suam ducat, velut effectus à sua causa. Hujuscem conditionis defectu vera non est ista propositio: *Quia ignis est approximatus, comburit*. Non enim ignis approximatio est caussa combustions, sed conditio tantum præsupposita.

Propositio Copulativa, & *Disjunctiva* omnia habent à suis *simplibus*: nisi quod *Copulativa*, ut sit vera, exigit veritatem omnium *simplium*, quippe omnia simul

complectitur, unde semper est *universalis*. *Disjunctiva* autem mutatur veritatem suam ab unius tantummodo *simplis* veritate, & semper est *particularis*, quia unius tantum veritatem expostulat: Alioquin re ipsa esset *junctiva*, non *disjunctiva*. *Affirmatio* demum, vel *negatio copulativa*, & *disjunctiva* derivatur à particula easdem connectente.

Ad propositiones *caussales* pertinent illæ, quæ *reduplicativa* appellantur, quando nempe illarum *subjectum* repetitur, adjuncta particula reduplicante, *Quatenus*, *Prout*, aut simili: ut cum dico, *Homines, quatenus homines, sunt rationales*. Propositiones istæ quandoque significant, *prædicatum* ad *subjecti* *essentiam* pertinere: ut apparet in allato exemplo; quandoque significant, *subjecti* notionem esse *caussam* *prædicati*: ex. gr. *Homino prout rationalis, est risibilis*; aliquando denotant, terminum affectum particula reduplicante esse conditionem, propter quam *prædicatum* conveniat *subjecto*; ut in hac propositione, *Ignis ut applicatus comburit*. Verum hæc propositio ad *Conditionalem* pertinet, atque, si rite loqui velimus, vera non est.

Istæ *præpositiones* particula reduplicante affectæ dicuntur etiam reddere sensum *specificativum*, quando nempe significant, terminum affectum particula reduplicante non obstat, quominus *præ-*

dicatum possit convenire subjecto: ut si quis diceret, *Musicus*, prout *Musicus*, potest esse *Logicus*. Sensus autem iste tunc solum haberi potest, quando solam enunciamus possibilitatem, nec prædicatum re ipsa subjecto quidpiam conjungit; alioquin enim sensus semper esset *reduplicatus*: ut si dicas, *Musicus, quatenus Musicus, est Logicus*. Quæ propositio est falsa.

Inter propositiones, etsi non voce, sensu tamen compositas, duæ hæc enumerantur, *Exclusiva*, & *Exceptiva*. *Exclusiva* ita prædicatum subjecto convenire designat, ut illi soli conveniat: ex. gr. *Solus Deus est sapiens*. Potest etiam exclusiva particula afficere tantummodo prædicatum, atque tunc alia removet prædicata ejusdem generis: ut cum dico, *Petrus est tantum Logicus*. Significatur enim Petrum sola Facultate Logica instructum esse, nullamque aliam scientiam callere.

Exceptiva propter particulam excipientem amovet à participatio ne prædicati particolare aliquod à communi subjecto comprehensum: ex. gr. *Omnis Apostolus, prater Judam, est beatus*. Excipitur enim à beatitudine Judas, qui tamen sub communi voce, *omnis Apostolus*, significabatur. Ex quo colligitur, ad propositionem *exceptivam* duas conditiones requiri, ut nempe terminus, à quo fit exceptio, sit *universalis*, & ut terminus ille, qui excipitur, contineatur sub

prædicto universalis termino. Unde ista propositio non est *exceptiva*: *Omnis Apostoli, prater Neronom, Deo fruuntur*; & hæc: *Aliquis miles, prater Achilem, fuit strenus*, æquivalet propositioni copulativæ; & significat tam Achilem, quam alterum aliquem militem fuisse strenuum.

Propositio *Modalis*, quam in capite præcedenti descriptimus, ita debet esse compacta, ut Modus afficiat propositionem ipsam, determinando conjunctionem verbalem. Alioquin si Modus subjectum tantummodo, vel prædicatum afficeret, Propositio esset *absoluta*. Ipse autem Modus vel *nominativer*, id est ut nomen, vel *adverbialiter*, seu ut adverbium, potest in propositione colocari. Prioris exemplum, *Hominem esse lapidem est impossibile*, & hoc in casu propositio illa infinitivi modi habet rationem subjecti, & Modus est prædicatum. Posterioris exemplum, *Deus necessario est bonus*.

Si ergo Modus est affirmativus, & universalis Propositio affirmativa erit, & universalis. Secus, particularis, aut negativa. Ipsa tamen quantitas *Modalis* propositionis respicit tempus. Hinc vel extendit propositionem ad omnem temporis differentiam, ut cum dico, *Homo necessario est animal*; significat enim, hominem pro quacumque temporis differentia esse animal. Vel coarctat propositionem ipsam ad unam temporis dif fe-

ferentiam : ut si dicas , *Homo contingenter currit* ; innuit enim , hominem aliquo tempore currere.

Vera est Propositio *Modalis*, quando modus correspondet , & debite proportionatus est materiæ propositionis : ut in ista , *Homo necessario est rationalis* , nam ipsa quoque propositio est necessaria. Si secus res contingat , propositio *modalis* erit falsa.

CAPUT TERTIUM.

De Proprietatibus Propositionum.

Quartuor esse Propositionum genera jam diximus ; uni-

Asserit A , negat *E* ; verum generaliter ambo.

Asserit I , negat *O* ; sed particulariter ambo.

Apparet autem has omnes propositiones ex uno , eodemque subiecto , & prædicato conflari , atque invicem sola *Quantitate* , vel *Qualitate* discrepare : Quod Oppositio nuncupatur. Et hæc quadrisfariam dividitur. Alia enim Oppositio est *Contradictoria* , quando propositiones quantitate , & qualitate ita discrepant , ut una sit universalis affirmativa , altera particularis negativa. Alia *Contraria* , quando duæ propositiones universales sola qualitate differunt , quoniam una affirmativa est , altera negativa. Oppositio dicitur *Subalterna* , quoties ambæ propositiones affirmatiæ sunt , vel negativæ , & sola

versalem affirmativam , universalē negativam , particularem affirmativam , & particularem negativam , pro varia propositionum *Quantitate* , vel *Qualitate*. Ad memoriae sublevamen prædictæ propositiones solent quatuor vocabilibus notari , *A* , *E* , *I* , *O*. *A* , significat propositionem universalē affirmativam , *E* , universalē negativam , *I* , particularem affirmativam , *O* , particularem negativam. Prioris exemplum: *Omnis homo est sapiens* ; Secundæ : *Nullus homo est sapiens* ; Tertiæ : *Aliquis homo est sapiens* ; Quartæ : *Aliquis homo non est sapiens*. Unde versus.

quantitate opponuntur , quia una est universalis , alia particularis. Postremo Oppositio est *subcontraria* cum videlicet duæ particulares propositiones sola Qualitate sunt diversæ , quia una est affirmativa , altera negativa. Quæ omnia exemplis allatis illustrantur.

Propositiones *Contradictoria* ita se habent quoad veritatem , & falsitatem , ut earum una sit semper falsa: quacumque illæ materia componantur. Nullum itaque medium effingi potest inter *Contradictroria* , cum aut prædicatum conveniat subiecto , aut non; nec simul possit eidem convenire , & non convenire. Quod si propositiones *Contra-*

di-

dictione constant syncategoremate, non habent inter se eam oppositionem, nisi quando negatio afficit etiam ipsum syncategorema: ut in his, *Homo est ex sui natura sapiens*, *Homo non est ex sui natura sapiens*.

Propositiones *Contrariae*, si ratione materiae sint necessariae, aut impossibilis, ita se habent, ut una sit vera, altera falsa. Si materia eorum sit contingens, possunt esse ambæ falsæ, nunquam tamen ambæ veræ.

His assimilantur Propositiones *Subcontrariae*, nisi quod in materia contingentis possunt ambæ obtinere veritatem, non tamen ambæ possunt esse falsæ.

Propositiones *Subalternae* hanc habent legem: Quoties necessariae sunt, aut impossibilis, si universalis vera est: etiam particularis erit vera. In materia autem contingenti, si universalis sit vera, etiam particularis erit vera, potest tamen particularis esse vera, etiamsi universalis sit falsa. Apparent hæc omnia in exemplis ab initio exaratis.

Altera Propositionum affectio est *Conversio*, & tunc habetur, quando mutatur prædicatum in subjectum, & subjectum in prædicatum, sive invertitur propositione, variata quandoque quantitate eadem tamen veritatis, vel falsitatis qualitate permanente. Potissimum autem *Conversio* duplex es; nimirum *Simplex*, quando eadem

quantitas, & qualitas propositionis permanet. Altera dicitur *Conversio per accidens*, quæ cum quantitatis variatione contingit.

Propositio universalis negativa utroque modo converti potest: ut cum dico, *Nullum animal est lapis*; & eam sic converto, *Nullus lapis est animal*, vel ita, *Aliquis lapis non est animal*. Similiter propositio particularis affirmativa suscipit conversionem simplicem: ut hæc, *Aliquod animal est rationale*, in hac mutatur, *Aliquod rationale est animal*. Universalis autem affirmativa potest solum converti per *Accidens*: ut *Omnis Leo est animal*, Non enim valet, *Omne animal est Leo*; sed tantum, *Aliquod animal est Leo*.

Pro particulari negativa constituitur *Conversio per Contrapositionem*; quæ fit sola additione particularis negantis utriusque extremo propositionis. Sed hæc *Conversio* nequaquam usui est in Syllogismis, in quibus alias duas *Conversiones* exerceri notabimus.

Equipollentia dicitur tertia Propositionum proprietas, vi cuius duæ propositiones oppositæ in eundem sensum reducuntur ob negationem vario modo illarum partibus applicatam. Sed hæc parvi omnino momenti sunt,

CAPUT QUARTUM.

De Definitione, & Divisione.

Definitio explicat essentialem notionem rei, *Divisio* partes rei distribuit. Hoc ipso dicuntur *Modi sciendi*: Is enim est ratio manifestativa ignoti. Ratiocinatio est tertius *Modus sciendi*, de qua agendum erit in Sectione sequenti.

Definitio est *oratio*, quæ explicat naturam, seu essentiam rei: ut cum dicimus, *Homo est animal rationale*. Hæc dicitur *Definitio rei*, quia ipsam rei naturam declarat. Est autem alia *Definitio nominis*, seu *interpretatio ex vulgaris idiomatis usu*, vel *etymologia*.

Definitio rei alia est *accurata*, seu *propria*, & *perfecta*, quæ nempe rem ipsam per illius *predicata essentialia exponit*; alia vero *minus accurata*, *minusque perfecta*, quæ rem declarat per illius *affectiones*; & *descriptio* potius *nominatur*. Ita horologium describitur *Machina ex ferro*, variis *rotis constans*, quarum motus *regularis est idoneus ad horas indicandas*.

Si *definitio perfecta essentiales partes physicas rei exponit*, *Physica* appellatur: ut ista, *Homo est ens compositum ex anima, & corpore*. Quam initio retulimus, *Metaphysicam dicimus*, quoniam hominis *naturam per metaphysica predicata declarat*.

Quatuor characteres obtinere debet definitio, ut sit legitima. Primo componi debet ex *genere*, & *differentia*, quatenus una ipsius pars sit *communis*, altera autem sit propria rei illius, quam definimus. Secundo debet clarius esse re *definita*, nempe essentia illius; alioquin non explicaret naturam rei. Tertio æque tantum extendi debet, & patere, ac res ipsa, ut videlicet illi tantum rei conveniat, & vicaria quadam relatione definitio rem definitam subinferat, & hæc definitionem. Quarto brevis esse debet, quantum fieri potest: ut proximum rei definitæ genus, ultimamque essentialem ipsius differentiam in se contineat, & aperiat.

Hinc propria, perfectaque definitione solum *Ens reale* donamus, quod in varios possimus partiri conceptus, & unam tantummodo essentiam completam habeat: Sive, ut ajunt, sit *Ens per se*.

Divisio est *totius in omnia, quæ continet, distributio*; sive est *oratio*, quæ explicat partes componentes aliquod totum. Unde rem exponit, illius partes resolvendo.

Totum bifariam dividitur, nam aliud ex partibus reipsa distinctis coalescit quas *integrantes* appellant; aliud *essentialibus* constat partibus à quibus reipsa non distinguitur. Proinde *Divisio* alia est *integralis*: ut cum dico, Cor-

poris humani alia pars caput, alia brachium &c. altera est essentia-
lis: ex. gr. *Hominis* alia pars
animalitas, alia *rationalitas*. Hæc
divisio dicitur *Methaphysica*, quia
partes *Metaphysicas* explicat; Tunc
appellatur *Physica*, quando par-
tes *physicas* exponit: ex. gr.
Hominis alia pars *anima*, alia pars
corpus.

Est etiam aliud *Totum*, quod
appellatur, *Omne*, nimirum *Ge-
nus*, quod universale est, & in
suas *species* distribuitur: ut in
secunda Logices parte declarabi-
mus. Hæ autem *species* dicuntur
partes *subjectiva*, seu *inferiora*
generis. Istius divisio appellatur
potentialis, quia conceptus *Ge-
neris* in se se non includit par-
tes, potest autem in illis esse
Exemplum: *Animalis* aliud *ra-*

tionale, aliud *irrationale*.

Regulæ quatuor congruunt di-
visioni legitimæ. Harum prima
est: divisio fieri debet per par-
tes, sive membra pauciora, quan-
tum fieri potest, ut omnis con-
fusio tollatur; confusum est enim
quidquid in pulverem sectum est.
Secunda regula: Non debet una
pars divisionis in altera contineri.
Tertia regula est: Partes dividen-
tes ita designari debent, ut æqua-
les sint *Toti*; tunc enim divisio est
perfecta, & natura *Totius* distinc-
tius appareret. Quarta regula: Di-
visio per ea membra tradi debet,
quæ sunt *Toti* proximiora, non
remotiora. Ita optima est divisio
animalis in *rationale*, & *irratio-
nale*; inepta autem esset ista dis-
tributio: *Animalis* aliud *Petrus*,
aliud *Bucephalus*.

SECTIO TERTIA.

De iis, quæ ad tertiam attinent intellectus operationem.

CAPUT PRIMUM.

De Argumentatione, ejusdemque generibus Præceptis.

Argumentatio est oratio qua consequente, & consequentia. An-
tecedens est illud, ex quo aliud
infertur: ut prior illa propositio.
Consequens est id, quod est alio
ducitur: ut est altera descripta
pro-

propositio. *Consequentia* vero utrumque illud connectit, & significatur per particulam illativam, ergo, aut consimilem. *Consequen-*
tia, seu illatio est *forma argumentationis*, nec distinctioni locum concedit. Vel enim *conse-*
quens rite colligitur ex *antecedenti*, & *consequentia* est bona; vel *consequens* non rite subinferatur ex *antecedenti*, & *consequen-*
tia est mala: Tunc autem non habetur vera argumentatio.

Sex recensentur argumentationis genera, nimirum *Enthymema*, *Inductio*, *exemplum*, *Gradatio*: *Dilemma*, & *Syllogismus*.

Enthymema est *Syllogismus imperfectus*; nempe duabus tantum propositionibus constat, cum in *Syllogismo* tres habeantur expressæ. Attamen propositio illa, quæ in *Enthymemate* reticetur, facile ab omnibus rite rem perpendentibus intelligitur. Ita cum dico: *Ego cogito, ergo existo*; profecto altera hæc propositio tacite exprimitur: *Quidquid cogitat, existit*. Ex quo apparet, *Enthymema* facile ad *Syllogismum* reduci posse.

Inductio est *argumentatio*, que ex particularibus recte enumeratis universalem colligit propositionem: ut si dicas: *Stannum liquari potest, plumbum liquari potest, ferrum liquari potest, cuprum liquari potest, argentum liquari potest, aurum liquari potest; igitur metallum omne liquari potest*.

Tom. I.

Neque tamen absolute id accipiendum est. Sed quia prædicatum aliquando necessario conexum est cum subjecto, aut etiam nullatenus ille convenire potest: quandoque vero per accidens illi convenit: Iccirco diversa habenda est ratio *Inductionis* in propositionibus necessariis, aut impossibilibus; ac in propositionibus contingentibus. Animadvertit proinde *Subtilis Doctor*, lib. 2. Priorum, quæst. 8. in propositionibus contingentibus posse quidem nos *Inductione* uti, ut probabilem efficiamus argumentationem, etiamsi particularia singula nequam distinctorum enumerauntur: dummodo tamen minime compertum sit particulare aliquid nostræ assertioni obstare; non tamen certam tunc colligi posse ratiocinationem. At ubi prædicatum necessario convenit subiecto, vel illi repugnat, profecto sat est, si unum, vel alterum particulare in medium proferamus, ut possimus certam subinferredre propositionem universalem; quippe omnia particularia sunt omnino ejusdem rationis in iis, quæ necessaria sunt, vel ad essentiam pertinent.

Oportet etiam, ut *Inductio* sit legitima, particulares propositiones non solum esse veras, sed etiam simul veras, sive earum veritatem conjunctim ipsis aptari. Hinc explicamus, quoniam sensu à *Distributivo* ad *collectivum* va-

K teat

leat consecutio. In prædicatis essentialibus hæc semper est legitima; unde recte dicimus, *Hæc creatura contingens est, illa quoque, & illa, &c.* ergo omnis simul creatura est contingens. Atsi prædicatio quantitatem respiciat, seu majorem, vel minorem vim, non tenet ea argumentatio à distributivo ad collectivum: quippe major vis quibusdam tantum propria esse potest, & minime convenire omnibus. Ita si quis asseveraret: *Petrus potest hunc suum hostem vincere, illum quoque, aliosque singulos;* ergo Petrus valet simul omnes superare; non rite concluderet.

Quam exposuimus, Inductionem, ascensum nominant, quoniam per illam à singulari ad universale veluti ascendimus. Admitti tamen poterit genus alterum inductionis, quæ dicatur *descensus*, cum nempe ab universali ad singularia descendimus: ut si dicas: *Metallum omne liquari potest, ergo stannum, plumbum, ferrum, &c. liquari potest.*

Exemplum est argumentatio, quæ ex uno singulari aliud colligit: dummodo tamen similitudinis ratio in utroque eluceat: ex. gr. *Deus pepercit Petro pænitenti, ergo & Jude pepercisset, si Judas pænitentiam egisset.*

Gradatio tunc habetur, quando ex pluribus propositionibus invicem ordinatis aliam universaliorē colligimus ex. gr.

Avari multa desiderant; qui multa desiderant, multis egent; qui multis egent, sunt miseri: ergo Avari sunt miseri. Vel si dicas: *Petrus est homo, homo est animal, animal est vivens, vivens est corpus, corpus est substantia:* ergo Petrus est substantia, corpus, vivens, animal, & homo.

Dilema est argumentatio duabus partibus constrans, quarum utraque idem colligit. Ita cum Chinensis quidam, ut narrat Pontanus in Atticis Bellariis, part. 2. cap. 16. Regi suo persuasisset, repertum à se pharmacum, quo fieret immortalis, poculum in Aulam delatum unus ex Aulicis Ministris involavit, & hausit. Tum is Regem sibi nudato ferro mortem comminantem, atque furentem, hoc dilemmate sedavit: *Aut potio illa immortalem facit, aut non facit? Si facit, frustra mibi necem intentas. Si non facit, ergo deceptus es: nec mortem mereor qui te hac fraude liberavi.*

Do Syllogismo in sequenti capite dicturi sumus. Nunc animadvertisimus, prædictas omnes Argumentationes facile ad Syllogismum reduci posse, si illis alteram adjungamus propositionem, quæ in ipsis subobscure intelligitur.

Regulæ universim ad Argumentationem pertinentes, breviter sic exponi possunt. Prima Regula. Si habeatur aliquid inferius,

habetur etiam in illo prædicatum superius. Attamen cum Superius ponitur, non continuo determinata inferior res intelligitur. Sic rite disserimus: Hoc ens est homo, ergo est animal. Non tamen valet: Hoc ens est animal, ergo est homo.

Secunda regula: *Si determinatam tollas rem inferiorem, non inde excluditur prædicatum superius. Quod si superius neges, inferiora quoque amoves. Ita non est apta Ratiocinatio, si dicas: Hoc ens non est homo, ergo non est animal. Bene tamen si disseres: Hoc ens non est animal, ergo non est homo.*

Tertia regula: *Quidquid enuntiatur de prædicato superiori, secundum suam essentiam considerato, & juxta suppositionem absolutam, profecto cūcumque rei inferiori convenit. Unde valet, Animal est substantia corporea vivens, sensitiva: ergo etiam homo est substantia corporea, vivens, sensitiva.*

Quarta regula: *Si quid convenire non potest prædicato superiori, secundum suam essentiam, & juxta suppositionem absolutam accepto, illud ipsum nullatenus congruere potest inferiori. Ita rite dicimus: Animal non est lapis, igitur homo non est lapis.*

Harum quatuor regularum hæc est ratio; quia inferior includit prædicata superiora, velut constitutiva suæ essentiæ. At prædi-

catum superius non accipit essentiam suam ab inferiori.

Alteram possumus adjungere generalem regulam, nimirum consequens ex vi ratiocinationis necessario imitari naturam sui antecedentis, à quo originem trahit, & in quo virtute continetur. Unde consequens mutuatur ab antecedenti suam veritatem, certitudinem, & evidentiam. Nihilominus per accidens contingere potest, ut consequens sit ab antecedenti diversum, propter materiam ipsius propositionis, quæ ex se se veritatem habet, nec eam accipit ab antecedenti.

CAPUT SECUNDUM.

De Syllogismo.

Syllogismus est oratio, in qua ex duabus propositionibus constituis, certoque ordine dispositis, altera subinfertur, velut effectus ab illis originem trahens. Quæ definitio per se se clara est, & apperta. Idem declarat alia Syllogismi descriptio, quam tradit Aristoteles Analyticorum Priorum, lib. I. cap. I. *Syllogismus, seu Ratiocinatio est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quidam diversum ab his, quæ positæ sunt, necessario accedit, eo quod hec sunt. Nimirum quia, assensu duabus prioribus propositionibus præstito, debet intellectus conclusionem ipsam approbare.*

K 2 Exem-

Exemplum Syllogismi *Omnis animal est vivens, omnis homo est animal*: Ergo *omnis homo est vivens*. Apparent hic tres propositiones, quarum prima dicitur, *Major*, secunda *Minor*, tertia *Conclusio*. Cognoscimus etiam in Syllogismo tres tantum terminos constitui. Horum prior nominatur *medius terminus*, quoniam terminos alios secum in præmissis connectit, unde eorum profluit in conclusione societas. Qui terminus majorem propositionem cum *medio termino* componit, dicitur *major extremitas*. Qui minorem efficit cum *medio termino* propositionem, *minor extremitas* nuncupatur. At ille *medius terminus* nequaquam in conclusione reperiri potest, alioquin hæc non esset quiddam diversum ab una, vel altera præmissarum. Demum

si in conclusione *major extremitas* enuncietur de *minori extremitate conclusio* appellatur *directa*; Si oppositum contingat, erit *conclusio non directa*.

Hæc ad materiam pertinent Syllogismi. Illius vero *Forma* est *materie dispositio*, & duplex distinguitur; *Figura* nempe, & *Modus*. *Figura* est *apta mediū termini cum duobus extremis colligatio*: ut videlicet ista subjecti, vel prædicati loco constituuntur. Quod quidem trifariam contингere potest. Aut enim *medius terminus* est subjectum in majori propositione, & prædicatum in minori; aut est prædicatum in utraque: aut in utraque est subjectum. Si primum, *Figura prima*, habetur; si secundum, *secunda*; si tertium, *tertia*; Unde versus;

Prima prius subjicit Medium, post prædicat ipsum:

Prædicat altera bis: Tertia bis subjicit.

Placet aliis quartam adjungere *figuram*, in qua *medius terminus* sit in majori propositione prædicatum, & in minori subjectum. Sed hæc per solam præmissarum transpositionem à prima secernitur; & *Medius terminus* semper in una propositione subjectum, in altera prædicatum est, proindeque à signis universalibus eodem modo semper afficitur: ut notat Doctor lib. I. Priorum, quæst. 34. Quamobrem, veluti superfluam, eamdem merito omittimus.

Modus est *recta dispositio propositionum Syllogismi secundum quantitatem, & qualitatem*. Sylogismorum modi novemdecim recensentur, quorum primi novem ad *primam figuram* attinent, sed quatuor priores *directe*, reliqui *indirecte* concludunt. Quatuor alii assignantur secundæ *Figure* & *directe* concludunt, quemadmodum ultimi sex qui *tertiæ Figure* adscribuntur. Ut autem modi altius infligi possint memoriae, carminibus sequentibus designantur artificio-

ciose efformatis. In horum carminum dictionibus tres tantummodo priores Vocales *modi* respondent. Vocales autem istae sunt quatuor, *A*, *E*, *I*, *O*, & qualita-

tem, ac quantitatem determinant propositionem *modis* correspondientem: ut jam diximus in præced. sect. cap. 3. Carmina porro sunt haec:

Barbara, Celarent: Darii, Ferio, Il Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum, Il
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Il Darapti,
Felapton; Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.

Exempla hic adjicere libet: *Modorum omnium*, quibus regularum illarum usus facilius reddatur.

Modi prima Figura, quorum conclusio est directa.

- Bar* Omne Corpus est extensum.
- ba* Omnis Materia est Corpus, Ergo
- ra.* Omnis Materia est extensa.
- Ce* Nullus Spiritus est Corpus,
- la* Omnes Angeli sunt Spiritus; Ergo
- rent.* Nullus Angelus est Corpus.
- Da* Omnis homo est substantia,
- ri* Aliquod Animal est homo;
- i.* Ergo aliquod Animal est substantia.
- Fe* Nullum vitium est bonum,
- ri* Aliqua operatio est Vitium; Ergo
- o.* Aliqua operatio non est bona.

Modi prima figura, quorum conclusio est indirecta.

- Ba* Omne Animal est vivens,
- ra* Omnis homo est Animal, Ergo
- lip.* Aliquod vivens est homo.
- Ce* Nulla virtus est vitium,
- lan* Omnis justitia est virtus: Ergo
- tes.* Nullum vitium est justitia.
- Da* Omne animal est vivens,
- bi* Aliquod rationale est animal; Ergo
- tis.* Aliquod vivens est rationale.

- Fa.* Omne animal est corpus.
pe. Nullus lapis est animal; Ergo
mo. Aliquod corpus non est lapis.
Fri. Quidam homo est doctus,
se. Nullus Angelus est homo; Ergo
so. Quidam doctus non est Angelus.

Modi secundæ Figuræ.

- Ce.* Nullus spiritus est mortalis.
sa. Omne brutum est mortale; Ergo
re. Nullum brutum est spiritus.
Ca. Omne Corpus est extensum,
me. Nullus Spiritus est extensus; Ergo
stres. Nullus Spiritus est corpus.
Fe. Nullum rectum est obliquum,
sti. Quædam linea est obliqua; Ergo
no. Quædam linea non est recta.
Ba. Omnis Circulus est curvilineus,
ro. Quædam Figura non est curvilinea; Ergo
co. Quædam Figura non est circulus.

Modi tertia Figuræ.

- Da.* Omne Sidus est cælestis,
ra. Omne Sidus est luminosum; Ergo
pti. Quoddam luminosum est cælestis.
Fe. Nulla Planta est lapis,
la. Omnis Planta est vegetativa; Ergo
pton. Aliquod vegetativum non est lapis.
Di. Quoddam animal est homo,
sa. Omne animal est vivens; Ergo
mis. Quoddam vivens est homo.
Da. Omnis Arbor est vivens,
ti. Aliqua Arbor est vegetabilis; Ergo
si. Aliquod vegetabile est vivens.
Bro. Quoddam vinum non est suave.
car. Omne vinum est fluidum; Ergo
do. Aliquod fluidum non est suave.

Fe Nullum mendacium est laudandum.
ri Aliquod mendacium est vitium; Ergo
son. Aliquod vitium non est laudandum.

Quæ de Syllogismo exposuimus, maxime pertinent ad Syllogismos simplices, & simplicibus declarata fuerunt exemplis. Attamen plerique passim occurrunt Syllogismi Compositi nimirum qui ex hypotheticis propositionibus coalescunt: ut cum dico, *Si Avarus multa cupit, multis eget;* *Avarus multa cupit;* Ergo *Avarus multis eget.* Horum Syllogismorum vim facile cognoscet, qui singulas distincte notaverit propositiones, & propositionum Compositorum formam secreverit ab iis, quæ vel subjecti, vel prædicati vices gerunt. Atque adeo his perspectis, Syllogismi Compositi facile reduci poterunt ad Simplices; poterunt etiam disponi in Modo, & Figura.

Syllogismi omnes, sive Simplices, sive Compositi triplici hac celebri divisione ratione materiæ distribuuntur: in Demonstrativos, Topicos, & Sophisticos.

Syllogismus Demonstrativus ille dicitur, qui ex præmissis necessariis, & evidentiis necessariam, atque evidenter conclusionem colligit: ex gr. *Omne animal rationale est risibile, Omnis homo est animal rationale; Ergo omnis homo est risibilis.*

Syllogismus Topicus ex præmissis probabilibus probabilem conclu-

sionem subinfert: ex. gr. *Omnis, qui vitam agit militarem, dies ducit malos, Liburni agunt vitam militarem; Ergo Liburni dies ducunt malos;*

Syllogismus Sophisticus ex præmissis apparentibus falsam conclusionem colligit: ex. gr. *Omnis Leo rugit, Sidus caeleste est Leo; Ergo Sidus caeleste rugit.* Quamquam hæc argumentatio videatur non habere veram Syllogismi formam. De hisce tribus Syllogismi generibus singillatim postea agemus.

Tanta porro inest vis in argumentatione perfecta, seu Syllogismo, ut si intellectus noster perspectam habeat veritatem præmissarum, ejusdemque assentiatur, necessario etiam debeat assensum præstare conclusioni ex præmissis velut ex causa naturali deductæ: & hoc quidem tum necessitate specificationis, quæ oppositos specie actus respicit, assensum nempe, & dissensum, & dicitur contrarietas; tum necessitate exercitii, quæ præ se fert actum cohiberi non posse, & appellatur contradictionis. Semel ergo concessis duabus prioribus propositionibus, intellectus noster si in operatione persistat, necessario conclusionem elicit, eique assentitur. Tunc enim est causa naturalis, & totalis ipsiusmet conclusionis, quip-

pe intellectus tunc præditus est omnibus necessariis ad agendum, proindeque talis caussa est, quæ debito modo applicata, necessario operatur; secus ac in voluntate contingit, nam hæc, utpote facultas libera, proposito bono potest illud non amare. Neque intellectus potest tunc impediri à voluntate, quæ in nobis dominatur. Quemadmodum enim Visiva Facultas, semel ac recte applicata sit, omnibusque instructa necessariis ad agendum, voluntate etiam reluctantे operatur: ita intellectus, posito præmissarū assensu, recte applicatus conclusiōnem quoque elicit, eidemque assentietur, etsi voluntas obsistat. Vi autem libertatis voluntas tantummodo potest intellectum alio divertere, & ab assensione præmissis exhibenda retrahere. Quod si conclusio ad Fidem pertineat, atque alterutra ex præmissis per rationem naturalem sit evidens, ut in hoc Syllogismo contingit: *Quidquid Deus revelavit, verum est; Porro Deus revelavit Incarnationem Divini Verbi; Igitur vera est Incarnatio;* sane assensus huic conclusioni præstitus, semper est meritorius, & quia intellectus ex imperio voluntatis poterat non assentiri minori propositioni, & quia in assentiente pius extat affectus, quo veritatem Incarnationis credere, & confiteri paratus est, tametsi ex illis præmissis non duceretur.

CAPUT TERTIUM.

De Principiis, & Regulis Syllogismorum.

Inter Principia, quorum ope vis Syllogisticæ Argumentationis inititur, præcipuum obtinet locum Regula illa, quæ extremorum connexionem firmat, vel eorum separationem ostendit. Quæ enim sunt eadem uni tertio, sunt quoque eadem inter se: *Quod si duorum unum sit idem cum tertio, cum quo aliud non est idem, illa profecto non sunt eadem inter se.* Hinc siquidem appetit conjunctio extremorum in conclusione, si illa uniantur cum *Medio Termino* in præmissis: & illorum invicem separatio, quando unum tantummodo extremorum unitur cum *Medio Termino*. Non tamen excogitari potest unio major extremorum ad invicem, quam sit eorumdem cum *Medio* associatio. Quapropter Subtilissimus Doctor in 1. dist. 2. q. 7. animadvertis, Principium illud etiam in Divinis veritatem obtinere. Nam uti Personæ Divinæ idem sunt realiter cum Divina Essentia, non in personali notione, sed in ratione essentiali; ita quoque inter se sunt idem, si naturæ, seu essentiæ notio consideretur, non tamen si rationem ipsam Personæ accipiamus.

Huc pertinent Regulæ illæ, quas in primo capite exhibuimus.

Ad-

Aduotare etiam oportet, in propositione negativa prædicatum semper universaliter accipi, quoniam negatio præcedens penitus amovet prædicatum illud: quod in propositione affirmativa minime contingit, nam affirmatio non continuo distribuit, aut omnia jungit.

Quatuor quoque designantur Regulæ in universum pertinentes ad rectam Modorum dispositionem. Prima Regula hæc est: *Ex duabus præmissis negantibus nihil sequitur.* Ex eo enim quod duo quædam sint ab uno tertio secretæ, non hinc sequitur, ea vel juncta esse inter se, vel divisa. Hinc minime valet hæc ratiocinatio: *Nullus lapis est homo, nullum animal est lapis: Ergo nullum animal est homo.*

Secunda Regula: *Ex premissis mere particularibus nihil sequitur.* Cum enim, ut jam diximus, Syllogismus rite dispositus, tribus tantum terminis constare debeat, si duæ præmissæ sunt particulares, *Medius Terminus*, etsi unus videatur, revera duplex est, & quasi in extremas partes divisus; adeoque extrema ipsa minime conjungeret, nam quatuor in Syllogismo haberentur termini. Ita non concludit Syllogismus iste: *Quoddam substantia est lapis, Quoddam animal est substantia; Ergo quoddam animal est lapis.* Hoc est igitur quod inquit, debere Medium Terminus saltem in una præmis-

Tom. I.

sarum distribui, sive accipi secundum omnem extensionem suam. Ex quo fit, ut si *Medius Terminus* sit quidpiam, non particulare, sed singulare omnino, & determinatum, valeat argumentatio, quoniam tunc potest esse vinculum utriusque extremi.

Tertia Regula sic exponitur. *Conclusio semper sequitur debiliorrem partem.* Nimirum quoniam conclusio, velut effectus, à præmissis oritur, si illarum una sit negativa, aut particularis, conclusio etiam hujusmodi erit. Negativa etenim propositio est affirmante imperfectior, & particularis imperfectior est universalis, quia illa nihil subjecto tribuit, particularis vero subjectum coarctat. Est autem hic diligentissime notandum, non esse id absolute omnino accipendum. Quotiescumque enim duæ caussæ in eundem effectum collineantes ita se habent, ut una sit imperfectior, & vim habeant infringendi, sive imminuendi virtutem activam alterius causæ; tunc certe effectus debiliori parti magis assimilatur: ut in re nostra. At ubi imperfectior caussa non minuit, sed potius coadiuvat alteram perfectionem, res è converso contingit: ut palam sit in duobus inæquali virtute activa præditis, eundemque currum trahentibus.

Postrema Regula generalis plurima complectitur. Termini conclusionis non debent in ipsa uni-

L ver-

versarius accipi, quam in præmissis. Enim vero ex particulari ad universale, ex parte ad totum, nulla est consecutio; nec conclusio tunc esset effectus præmissarum, sed complectetur plura per præmissas non probata. Hac etiam de causa ex præmissis ajetibus conclusio negans non potest rite colligi. Demum oportet vivare æquivocationes omnes.

Quæ diximus, locum habent ex ipsa ratiocinationis natura. Tamen oppositum potest per accidens contingere, nempe ratione materiæ, quæ Syllogismum componit, sed non vi formæ ejusdem Syllogismi. Nam ubi vera est Syllogismi forma, tum consecutio semper vera est: non ex accidenti, & temere.

Tres quoque Syllogismoru*m* *Figuræ* habent suas speciales regulas. Unde colligimus, non posse effingi alios Syllogismorum *Modos*, sed in illis sistendum esse quos exhibui-mus, quoniam regulæ necessariæ ad legitimam conclusionem iis tantum convenire possunt.

Regula pro prima *Figura*. Sit minor affirmans, nec major sit specialis. Etenim si *Propositio minor* esset negativa, in conclusione negante terminus aliquis distribueretur, qui tamen in præmissis nunquam fuisset acceptus universaliter. Ita etiam, si *major* sit particularis, cum *minor* debeat esse affirmativa, *Medius terminus*, qui ejus prædicatum est, in ea *minori*

particulariter sumetur. Debet igitur accipi universaliter in *majori*, cuius est subjectum; alioquin Syllogismus non constaret *Medio Termino* aliquando saltem distributo.

Regula pro secunda *Figura*. *Una negans p̄e eat, nec major sit specialis.* Nam si ambæ præmissæ essent affirmativæ, *Medius Terminus*, qui in utraque prædicatur, sumeretur semel atque iterum particulariter. Et cum conclusio *Modorum secundæ Figuræ* sit negativa, *major extremitas* in conclusione distribueretur, & in *majori* propositione non fuisset distributa, si hæc sit particularis.

Regula pro tercia *Figura*. *Sit minor affirmans, conclusio sit specialis.* Prima pars regulæ apparet, quia *major extremitas* in conclusione distribueretur, non distributa in præmissis. Atque hinc elucet secunda pars. Alioquin enim *minor extremitas* in conclusione esset universalis: & in *minori* propositione, cuius est subjectum, fuisset particularis. Adeoque plus conclusio præ se ferret, quam sit in præmissis probatum.

CAPUT QUARTUM.

De Reductione Syllogismorum.

Efficacia Argumentationis, juxta Artis *Modos* rite dispositæ, vel tantum ex eo deprehendi potest, quod conclusio in præmissis appareat, velut in caussa, si dili-

gen-

genter præmissas ipsas comtemplemur. Nihilominus in primis quatuor *Modis* primæ *Figure* id ad sensum elucet: non item in aliis omnibus, in quibus distinctius scrutandis oportet immorari. Quocirca Logici facilem exhibent methodum, qua *Modos* istos imperfectos valeant reducere ad priores quatuor perfectos, ut in his eamdem ostendant propositionem, quam in illis demonstrare nitebantur.

Igitur Syllogismi imperfecti ad perfectos deduci possunt, primo quidem per *Ostensionem*, nempe declarando vim argumentationis juxta illos dispositæ, per efficaciam *Modorum* perfectorum.

Itaque spectanda est initialis littera imperfecti *Modi*, tum illa etiam, quæ *Modi* perfecti initium est, atque ad hunc perfectum *Modum* ille

erit reducendus; ut *Celantes* ad *Celarent*, *Bardipton* ad *Barbara*. Nempe vel præmissas transmutando, ut *Majoris* locum *Minor* occupet, & *Major* ad *Minoris* locum descendat; vel propositionem unam convertendo.

Proinde quatuor hæ consonantes sunt in Modis attendenda, *S*, *P*, *C*, *M*. Si in *Modo* imperfecto reperiatur prior littera *S*, propositione signata per vocalem præcedentem debet converti *simpliciter*. Si habeatur secunda littera *P*, propositione convertenda est *per accidens*. Littera *M* denota transponendas esse præmissas. At littera *C* significat Modum illum reduci non posse, nisi *per impossibile*: de qua reductione postea. Ita notant sequentes Versus in memoriae subsidium expositi.

S, vult *simpliciter* verti. *P*, vero *per acci.*

M, vult *transponi*. *C*, *per impossibile duci*.

Ita si illum Syllogismum, quem in *Cesare* exhibuimus, vellis reducere ad *Celarent*, converte *simpliciter*, primam illius propositionem, id exigente littera *S*, & dic: *Nullum mortale est spiritus*; habebis enim eamdem conclusionem in *Modo Celarent*.

Secunda Syllogismorum reducetio effici potest, ut inquiunt, *per impossibile*. Nam si quis neget conclusionem *Modi* imperfecti, concessis præmissis, ita perstringitur, ut à concessis, aut negatis recede-

re debeat, vel duo simul contradictoria asseverare. Sume igitur tibi propositionem expresse contradictem illi conclusioni, quam inficiatus est is, quocum disputas. Tum illam propositionem substitue loco unius ex præmissis Syllogismi jam propensi; & hujus præmissarum una rejecta, alteram adjunge propositioni præfatæ contradictenti, & conclusionem ex his collige. Hæc conclusio erit ex diametro opposita doctrinæ jam concessæ.

Hæc erit tibi lex.	{	Pro prima Figura.	Major fit Minor, fit contra- dictio Major,
		Pro secunda Figura.	Dempto Celantes, in quo convertitur ordo.
		Pro tertia Figura.	Servat Majorem, variatque secunda Minorem.

Tertia majorem variat,
servatque Minorem.

Ut autem appareat, ad quem perfectum Modum reducendi sint singuli Modi imperfecti, dictiones istre assignantur: *Nesciebatis, Odiebam, Letare, Romanis.* Quinque Vocales primæ dictionis singillatim respondent primis quinque Modis imperfectis; quatuor Vocales secundæ dictionis quatuor itidem Modis secundæ Figurae; aliæ sex reliquis. At vero Vocales illæ respiciunt perfectos Modos eadem vocali desinentes, & significant, Modos ipsos imperfectos ad Modum illum esse dirigendos.

Exemplo res declaratur. Sit iste Syllogismus in Baralipton: *Omnis visibile est rationale, Omnis homo est visibilis; Ergo aliquod rationale est homo.* Si quis neget hanc conclusionem, primo accipiendum est hoc illius contradictorium: *Nullum rationale est homo;* & ponitur loco *Majoris.* Tum prædicti Syllogismi *Major fit Minor;* & denique in Celarent ita concludimus: *Nullum rationale est homo, omne visibile est rationale:* Ergo *nullum visibile est homo.* Vides ut hæc conclusio contradictione opponatur.

Minori jam concessæ in Syllogismo imperfecto. Idem in aliis omnibus Modis juxta præscriptas regulas servandum est.

Possunt etiam Syllogismi tertiae Figurae demonstrari per expositionem. Sumatur terminus singularis contentus sub medio communis, quod expressum erat in Syllogismo, atque illi termino singulari utrumque extremum tribuatur. Inde sit, eamdem colligi conclusionem, quæ erat in Syllogismo imperfecto. Sit ex. gr. Syllogismus iste in Darapti: *Omnis homo est animal, Omnis homo est rationalis: Ergo aliquod rationale est animal.* Si quis hanc conclusionem inficietur, ea ita probatur per Expositionem. *Si omnis homo est animal, Petrus est animal. Si omnis homo est rationalis, Petrus est rationalis.* Tum argumentatio sic instituitur: *Petrus est animal, Petrus est rationalis; Ergo aliquod rationale est animal.* Sed de his satis.

CAPUT QUINTUM.

De Syllogismo demonstrativo.

SYLOGISMUS Demonstrativus, quem in Præcedenti capite descripsimus, *Demonstratio* dicitur, & magni semper usus est in scientiis omnibus. Bisariam porro *demonstratio* dividitur. Nam altera dicitur *à posteriori*, qua nimirum ex effectis caussam colligimus; altera *à priori* nominatur, quando ex ipsa caussa effectum probamus. Prioris exemplum elucet maxime in ea ratiocinatione, qua Deum existere convincimus, quoniam existunt, creaturæ, quæ, ut pote contingentes, ens quodpiam necessarium præsuponi denotant. Posterioris illustre specimen exhibetur, dum Luna eclipsim colligimus ex interpositione Telluris Solem inter, ac Lunam.

Demonstratio itidem altera dicitur *Ostensiva*, alia *Redarguitiva*. *Ostensiva* tunc est, quando manifestat clare distincteque veritatem illam, quam inquirimus. *Redarguitiva* contrarium sentientes ad abscon, & impossibilia deducit. Unde non tantum inscitiae eliminandæ confert, quantum ad obstinationem vincendam. Proinde vi illius ipsa quoque prima, & generaliora principia persuadere possumus, ac confirmare adversus protervos, pervicacesye.

Demonstratio *à priori* tunc ha-

betur, quando ex rei essentia proprietates illius comprobamus: ut cum dicimus: *Omne animal rationale est risibile*, *omnis homo est animal rationale*: *Ergo omnis homo est risibilis*. In hac ratiocinatione risibilitas per rationalitatem, veluti per hominis essentiam, demonstratur; proprietas est enim hominis, quæ ipsius essentiam, ut sui caussam, respicit. Risibilitatem porro ita accipimus, quatenus vis est oris certo quodam modo contrahendi, & deducendi sed conjuncta cum cogitatione, & indicans eum motum ita à cogitatione proficiendi, ut lætitiam interiore manifestet: quo sensu solius hominis propria est.

Neque tamen talem venditamus *Demonstrationem à priori*, quæ ex clara, distinctaque, idea essentiae proprietates ipsius ostendat. Nullam sane nos mortales homines, peccatique infirmitate fracti claram, distinctamque ideam habemus, quæ vel unius rei essentiam patefaciat & ultimæ rerum differentiæ nos latens: ut interioris etiam conscientiæ vox disertissime fatetur. Quod ipsum evincunt tot, & tam variae Philosophorum opiniones, ubi de intima rerum natura, & essentia disserimus. Unde Philosophia tot sæculorum inventis existentiam equidem, & varias rerum affectiones, multaque Naturæ phænomena detexit; sed nullam omnino claram distinctamque ideam

de

de essentiis rerum, ut sunt in se
se, proferre unquam potuit.

Igitur confusam tantummodo,
& subobscuram ideam essentiaæ re-
rum tenemus. Hanc vero non
aliunde colligere fas est, nisi ex
specialibus rei, cuiusque effe-
ctis, & sensibilibus characteri-
bus. Horum ope innotescit no-
bis intimior rei proprietas, at-
que ex hac ipsa essentiam descri-
bimus, velut ipsiusmet proprietatis
caussam, & radicem. Hinc
vero demonstratione à priori eam-
dem illam proprietatem singula-
ribus convenire concludimus,
quippe caussa certum est indicium
illius effectus, qui eam naturali
necessitate consequitur: quo mo-
do proprietas ab essentia pro-
fluit.

Propositiones illæ, quæ de-
monstrationem componunt, &
evidentem conclusionem gignunt,
notiores esse debent ipsam conclusionem. Nam cum hæc suam ab
illis evidentiam mutuetur, expres-
sior utique in istis evidentialia de-
bet elucescere. Semper enim id
magis tale est, propter quod unum-
quoque est tale: ut ait Philo-
phus lib. 1. Posteriorum, cap. 1.

Hoc autem Aristotelis axioma
generatim per omnia vagari po-
test, si tamen determinatae con-
ditiones serventur quas ex ne-
cessitate postulat. Harum prima
est, ut prædicatum illud, in quo
sit comparatio, suscipiat magis,
& minus: hoc est, majorem in

uno, ac in altero perfectionem
seu quasilatitudinem habete queat.
Hujusce conditionis defectu in
substantiis minime concludit; unde
non valet: Petrus est homo
propter Joannem: Ergo Joannes
est magis homo, quam Petrus. Eadem
de causa licet conclusio ve-
ritatem suam à præmissis mutue-
tur, non tamen præmissæ dici
possunt veriores conclusione, quo-
niam veritas sita est in ratione nul-
latenus divissibili. Debet etiam
prædicatum illud utrique extre-
mo, nempe caussæ, & effectui
reipsa convenire. Ob id nulla est
illatio ista: Petrus est ebrios pro-
pter vinum; Ergo vinum est magis
ebrium, quam Petrus. Tertio tam-
dem ea res, quæ veluti caussa
assumitur, debet esse caussa tota-
lis, & immediata effectus. Hinc
minime concludit hæc argumen-
tatio: Paries est albus propter
dealbatorem; Ergo de albator est
magis albus, ac sit paries.

Postremo animadvertisimus con-
sueisse Logicos distinguere gradus
varios, quibus essentialia prædi-
cata exponunt, & quos appellant
Modos dicendi per se. Itaque, ut
summatim rem perstringamus, es-
sentia in primo modo dicendi per
se constituitur, quipe nihil est
in re, quod sit prius essentia.
Proprietates autem rei præ se fe-
runt secundum modum dicendi per
se, quoniam essentiam ipsam rei
præsupponunt.

Caveat tamen quisquis dispu-

ta-

taturus est , ne principium petat , ne videlicet conclusionem per præmissas demonstret , & vicissim has per illam probet . Hic est circulus ille ineptus , & vitiosus , quando nempe eodem demonstrationis genere idem probatur per idem . Ergo si demonstratione à priori quidpiam probaveris , poteris quidem alio demonstrationis ordine , quæ nempe à posteriori dicitur , conclusionem uti ad ostendendam veritatem præmissarum , non tamen eodem demonstrationis genere unum ex altero suadere .

CAPUT SEXTUM.

De Syllogismo Topico, & Sophistico.

SYLLOGISMUS *Topicus* , sive probabilis , ut jam cap . 2. diximus , suadere potest , intellectum certum reddere non potest . Quamobrem non scientiam , sed opinionem parit . Illius proinde opere Problemata dissolvere nitimur , in quibus perspicua veritas obtineri non potest : Tunc enim probabilitia adoptamus , quod in tota pene Philosophia passim occurrit .

Oportet igitur veram probabilitatis notionem exponere , quod brevibus præstavimus . Ut proposicio aliqua sit probabilis , satis non est , si unus vel alter homo eam dicat probabilem . Id vere probabile est , quod etsi non vindicet sibi firmiter assensionem nos-

tri intellectus , tamen excludit omnem actualē dubitationem oppositam ; adeo ut qui probabili tenetur opinione , possit quidem dubitare nequaquam tamen re ipsa sit in anticipi dubietate constitutus . Hinc debet probabilitatis modo contraria enodare argumenta . Quod si propositio illa probabilis ad mores præsertim spectet , plurimum etiam , eorumque gravium Doctorum auctoritate fulciri debet . Duo hæc si animadvertis , & veram probabilitatis ideam habebis , & plerasque verborum contentiones , quæ circa probabilitatem versantur , infumum abire conspicies .

Hæc de Syllogismo probabilis sufficient , nam , & regulas , quæ ad probabilitatem pertinent , sequenti capite complectentur .

De Syllogismo itidem *Sophistico* pauca sunt exponenda . Nec enim Logica in id incumbit , ut Sophismatum efformationem doceat . Illorum tantummodo notitiam proponit , ut cavillationes , & fallacias , quas plerique Dialectica Arte abutentes , obtrudunt , evitare , dissolvere , dissipare valamus .

Et quidem non admodum difficile est ex regulis , quas usquemmodo exhibuimus pro construendis legitimis argumentationibus , Sophismata ; seu Paralogismos detegere . Attamen fugendorum exempla altius animo defigere juvat .

Quæ

Quæ Sophismata in ipsa dictione, seu vocis æquivocatione, amphibologia, accentu & simili desinencia sunt posita, adeo crassa sunt, ut de illis, speciatim agere nequam débeamus. Sponte enim liquido apparent iis, qui Grammaticæ regulis imbuti sunt. Igitur posteriora tantum Paralogismorum exempla exarabimus.

Itaque Ignoratio Elenchi primum est fallacia genus: Nempe aliud probare, quam quod est in questione. Ea passim occurrit, quoties probatur contra Adversarium id, quod ab eo non negatur; vel concluditur contradictione, quæ revera non est. Ut si quis diceret: *Pater non est filius, & filius non est pater. Sed Petrus est Pater sui Filii, & filius Patris sui.* Ergo Petrus est Pater, & non Pater; filius, & non filius.

Secunda Fallacia est Petatio principii; nimirum id suponere, quod est in questione; aut ignorantum aliquod ex æque ignoto comprobare. Ex. gr. *Simia non potest ridere: ergo non est risibilis.*

Tertia est non causa pro causa, sive causam assignare, quæ causa non est. Ex. gr. *Vinum caussat ebrietatem, ebrietas est mala: ergo vinum est malum.* Nec enim vinum caussa est ebrietatis, sed immoderatus vini usus.

Quarta est imperfecta enumeratio; quoties nempe quibusdam tantum enumeratis causis conclusio subinfertur, quæ ab aliis causis

omisis falsi ostenderetur. Exemplum hoc esto: *Titius capite damnatus est, vel sua culpa, vel judicium pravitate.* Hæc est enumeratio imperfecta. Potuit enim Titius damnari vel improborum hominum testimonio, vel aliis de causis.

Quinta dicitur *Accidentis*; nimirum de re pronuntiare ex eo, quod illi tantummodo convenit per accidentem. Ut si dicat: *Id malum est, quod malum est.* Atqui ex Dialectica plerique mala collegunt; Ergo Dialectica est mala. Neque enim Dialectica, sed illius abusus, & pravus hominum affectus mala pepererunt.

Sexta appellatur *Consequentis*, quæ tunc habetur, quando ex affirmatione prædicati superioris colligimus etiam inferius; vel ex negatione inferioris removetur superiorius. Ut si dices: *Est animal; Ergo est homo;* vel *non est homo: ergo non est animal.*

Septima est Fallacia *Compositiōnis, & Divisionis*; scilicet argumentari à sensu diviso ad sensum compositum; vel à sensu composito ad sensum divisum. Ut dicendo: *Peccatores salutem eternam consequuntur non possunt: sed plures homines sunt peccatores: ergo plures homines salutem eternam consequuntur non possunt.* Major etenim propositione vera est solum in sensu composito, quandiu homines peccatores sunt: ex qua male dederunt consequentia in sensu diviso.

Octava est à secundum quid ad sim-

simpliciter ; quando ab eo ; quod verum est tantummodo secundum aliquantulam significationem , vel proportionem , argumentamur ad id , quod verum est absolute , vel secundum significationem perfectam . Ut si dicas : Qod est album , non est nigrum , Æthiops est albus secundum dentes : ergo Æthiops non est niger .

CAPUT SEPTIMUM.

De Præcipuis Logicæ Regulis.

Ratiocinationis argumenta fœcunditas ingenii , & perspicacia , studium , atque exercitatio nobis administrant . Logici autem munus est ; regulas , & præcepta quædam proponere , seu , ut ajunt , loca , pleraque exhibere , è quibus momenta de promantur disputationibus efficiendis , dirigendisque accomodata . Hæc in præsentiarum distinctius explicare intendimus .

Primus locus à substantia rei ducitur .

Hic locus præcepta ista continet . De quocumque diffinitionem rei affirmaveris , vel negaveris , itidem rem ipsam vel illi adjicies , vel ab eo tolles . Id enim significat definitio , quod rei naturam præ se fert . Ex quo fit , ut attributum aquæ conveniat , vel repugnet rei , sive illa accipiatur uti definitur , sive secundum se .

Tom. I.

Secundum est toto ad partes .

Si totum sit universale , cuius partes dicuntur inferiora , hac exhibet regulas . Destruo genere , destruitur species ; ut qui numquam judicat , inique non judicat . Itidem affirmando in hoc toto ad partes argumentamur sub disjunctione ; ut dico : Hoc Ens est animal : ergo vel est rationale , vel non rationale . Ut autem diximus in cap . I . ab ipsa parte ad totum valet affirmatio , sed non negatio .

Si torum sit integrale , hæc valent . Posito toto integrali , ponitur etiam quælibet ejus pars principali : ex . gr . Dominus existit , ergo quoque existunt parietes , & tectum . Pariter remota parte principali , removetur totum : ex . gr . Nec paries existit , nec tectum , ergo nec domus .

Quod si totum pertineat ad locum , vel tempus , hæ habentur leges . Cuicunque convenit totum in loco , vel in tempore ; eidem convenit quilibet ejus pars : ex . gr . Deus est ubique , ergo est hic . Deus fuit semper , ergo fuit etiam ante mundi creationem . A parte autem ad totum negative concludimus ; nimilum cui pars non convenit , nec totum . ex . gr . Petrus non est hic , ergo non est ubique . Petrus non extitit sacerulo praterito ; ergo non fuit semper .

Tertius à rei productione , vel destructione .

Hæ porro regulæ habentur . Cu-

M jus

jus productio bona est, res illa est bona, & cuius productio mala est, mala quoque ipsa res est. Quod quidem etiam è converso valet. At ex opposito, si alicujus destructio est bona: res quæ definit, mala est; si vero destructio sit mala, res bona reputatur. Quod vicissim etiam concludit. Loquimur autem hic de bonitate, vel malitia, quæ rem ipsam afficit ex se se, atque ad illius naturam per se consequitur; non vero de ea bonitate, vel malitia, quæ ex altera accidentaria causa quandoque colligitur. Hoc sensu Christi mors fuit bona Ecclesiæ ob extrinsecam Dei ordinationem; atque adeo in se se mala semper fuit, & Christus optimus.

Quartus locus à rei usu derivatur,
& ex iis, quæ passim eveniunt.

Etenim cuius usus bonus est, vel malus, res quoque bona, vel mala est. In iis vero, quæ ut plurimum eveniunt, si affirmes id, quod posterius est, indicabis etiam fuisse id: quod est prius; & hoc priori remoto: posterius quoque amoveri oportet. Ita dicimus: Petrus mortuus est, ergo vixit. Numquam fuit, ergo nec mori potuit.

Quintus est ab oppositis.

In Contradictoriis hæc viget lex. Si illorum unum est verum necesse est, alterum esse falsum. In Privativis. Si cuidam rei attribuas unum

privativorum, aliud ab ea tollis; si unum amoveas, alterum de ea re affirmas. Hæc intellige, quoties subjectum capax est suscipiendæ formæ: quemadmodum ipsa notio privationis præ se fert. Ita rite dicimus: Corpus Petri non est sanum, ergo est ægrum. Itidem: Sanum est, ergo ægrum nequaquam est. Ut enim sanitas ordinem dicit, seu æquilibrium inter solidas, & fluidas partes corporis animalis, ita ægritudo in istius æquilibrii privatione sita est. In contrariis hæc est regula: Posito uno contrariorum, removetur alterum. Verbi gratia: Aqua est frigida, ergo non est calida. Quod si contraria sint talis naturæ, ut nequaquam admittant medium, possumus etiam ab unius amotione alterum concludere: ex. gr. Hoc animal non est rationale, ergo est irrationale. Hac lege comprehendimus etiam membra illa, quæ totum aliquod dividunt. Pro relativis hæc habetur lex: Posito, vel remoto uno relativorum, ponitur, vel removetur etiam aliud: nimirum ut relata sunt. Ex. gr. Dominus reperitur, ergo existit etiam servus. Nemo est servus ergo ne nullus est Dominus.

Sextus à majori ad minus,
& è converso.

Lex est. Si quod magis videtur inesse, non inest; illud etiam, quod minus videtur inesse, non inerit. Ut cum dicimus: Imperator non potest

test expugnare Civitatem, nec ergo Dux. Si vero id, quod minus videatur inesse, inest, multo magis ine-rit id quod magis videtur inesse. Ex. gr. Si Dux potest expugnare Ci-vitatem, multo magis Rex.

Septimus à simili, & à proportione depromitur.

Exemplis utimur in dicendo ut facilius intelligatur illud, quod proponimus. In id etiam exempla, similitudinesque deserviunt, ut ex ipsis nostras assertiones comproba-re valeamus. Hinc hæc regula pal-maris est: *De similibus, & propor-tione invicem respondentibus idem judicium ferendum est.* Nimurum in eo tantum ordine, qui similitudinem, proportionemque præ se fert. Proinde que per comparationem di-cuntur non per omnia esse similia necesse est.

Ab hoc loco celebre ducitur ar-gumenti genus, quod à transmuta-ta proportione appellant, & ab Eu-clide proponitur pron. 16.1. 5. Ac-cipiuntur quatuor termini, & com-paratur primus cum secundo, & tertius cum quarto. Tum vero per commutatam proportionem primus cum tertio confertur, & secundus cum quarto. Subinfertur denique conclusio iisdem respondens. Sit ex. gr. argumentum istud. *Sicuti se ha-bet duo ad quatuor, ita tria ad sex: ergo per commutatam proportionem sicuti se habet duo ad tria, ita qua-tuor ad sex.* At qui duo ad tria est

proportio sesquialtera. (illa nem-pe, quæ quantitatem aliquam con-tinet, & dimidium ejus) Igitur qua-tuor ad sex erit proportio sesqui-altera. Hæc ita sunt disponenda in iis terminis, qui numeralem quan-titatem designant.

At si velimus argumentum pro-ponere in vocibus illis, quæ res ipsas significant, duas conditiones in id necessarias esse animadvertisit Doctor noster in t. d. 36. Etenim oportet, primum terminum contra-dictorie oponi cum secundo, & tertium cum quarto: oportet etiam primum, & tertium terminum in-ter se se talem connexionem habe-re, ut mutuo se se inferant. Si isto-rum alterutrum deficiat, inepta es-set ratiocinatio. Hæc vero est op-tima: *Sicuti se habet homo ad non hominem, ita rationale ad non ra-tionale.* Ergo sicuti se habet homo ad rationale, ita non homo ad non rationale. At qui Bucephalus est non homo: ergo neque rationalis.

Octavus locus est à caussis ad effecta.

Caussam id nominamus, quod reipsa & physice quidpiam facit, ita ut effectus ab eo principio pen-deat. Porro mundus, ut notat Phi-losophus, lib 2. Physicorum, ex quatuor caussis constat, nimurum Materiali, Formali, Efficiente, & Finali. Etenim quodcumque com-positum coalescit ex materia, & forma, nam materia ex se se non

habet specificam determinationem, adeoque perfici debet à forma; atque hinc *caussam materialem*, & *formalem* intelligimus. Hæ porro non habent esse ex se se; proinde *caussam efficientem* admittere oportet. Atista nequaquam temere operatur, sed propter finem, quo *caussa efficiens* ad agendum movetur; atque adeo admittere etiam oportet *caussam finalē*. De his in Physica disputabimus.

A *caussa autem materiali* hæ leges ducuntur. Posita *caussa materiali*, *effectus ipsius est possibilis*: ex. gr. *Adest ferrum, ergo gladius fieri petest*. *Caussa quoque materiali sublata, effectus obtineri non potest*. Ab effectu ad caussam materialem valet hæc regula: *Effectus existens subinfert materialem permanentem caussam existere*.

Pro *caussa formalī* hæc est lex. *Posita, vel amota caussa formalis, ponitur, vel amovetur effectus ipsius*. Quod idem vicissim de effectu respectu caussæ colligimus. Ex. gr. *Anima est in corpore, ergo corpus vivit. Corpus vivit, ergo anima est corpori communicata*.

Pro *Caussa efficiente*. Si *causa efficiens* est possibilis, *effectus quoque possibilis erit*. Si *causa efficiens reipsa operatur, effectus etiam reipsa existit*. Ab *existentia effectus colligimus caussam existere, vel saltem fuisse*.

Ad effectum producendum persæpe plurima exiguntur, quæ effectum ipsum præcedant. Præcedit

caussa, præcedunt & dispositiones, & pleraque etiam alia præcedunt, tametsi non sint caussæ, nec dispositio-nes. Rem proinde oportet diligenter ponderare, ne in fallatiā illam labamur: *Post hoc, ergo propter hoc*, sive ut diximus, *non caussam assignando pro caussa*. Hinc perperam videtur conclusum fuisse, Syrium, seu Stellam, quam Caniculam nominant, vehementissimos aestus immittere diebus caniculibus. Etenim, ut Gassendus, aliique observarunt, hæc Stella, cum Australē habet declinationem, vires suas deberet fortius exercere in iis locis, quibus magis foret perpendicularis, nihilominus diebus illis, quos hic Caniculares appellamus, hyems illic est: Quo fit, ut illius regionis habitatores potiori jure judicare queant, eam Stellam esse frigoris caussam.

Ergo, ut rite caussam à præquisitis, multo magis à concomitantibus discernere valeamus, hæc erit nobis sectando regula: *Causa efficiens determinatam quandam proportionem habet cum suo effectu*. Etenim caussa præcedit effectum, velut virtus productrix ipsius. Conditio autem præcedit velut ratio applicans ipsam virtutem. Reliqua possunt esse signa efficien-tiæ, & effectus; caussæ tamen rationem habere non possunt, defectu proportionis.

Ita quoque cum caussa efficiens alia fit *Univoca*, que ejusdem naturæ est cum effectu: altera *Equivoca*, que

qua perfectioris, & longe diversa natura est, ac effectus: Cum itidem nonnulli effectus à diversis caussis promanare queant, Fallimur, quoties ex communi effectu particularem caussam defendimus. Quamobrem non continuo caussam unam habere debemus, nec rite disserunt illi, qui, dum phænomeni cuiusdam caussa inquiritur, iudicio quasi præcipiti fixam determinatamque sententiam constituunt. Igitur oportet nos naturali ratione, velut lydio lapide, opinionem omnem expendere. Enim vero experientia sine ratione, veluti navis sine Rectore, fluctuat: & ratione non prælucente, cæca est, & fortuita, nec quidquam utile ac certum procreare potest.

A caussa demum finali hæc regula depromitur. *Cujus finis bonus est, vel malus, effectus quoque bonus, aut malus est:* quod itidem vicissim valet. Cum enim finis moveat, & alliciat caussam efficiētem ad operandum, debet præcognosci, & bonitatem aliquam præse ferre, vel realem, vel apparentem, qua voluntas operantis excitetur: Adeoque ubi bonitas est realis effectus est bonus: malus est autem, ubi bonitas sit solummodo apparens.

Nonus locus dicitur ab Auctoritate.

Ab Auctoritate argumenta depromi possunt, passimque ducun-

tur. Est autem duplex Auctoritatis genus, nam illa aut divina est, aut humana. Prior à Deo fonte veritatis descendit, qui nec decipi potest, nec decipere. Altera falibili innititur hominum testimonio. Quantum attinet ad humanam auctoritatem, sit prior hæc regula: *Nullius Philosophi, seu Doctoris auctoritas, & opinio tanti facienda est, ut ea certam notitiam pariat, infallibilem in rebus Philosophicis.* Enim vero quicumque magni nominis Philosophus, is profecto homo fuit, & in eo, ut in homine, plures eriores notari fortasse queunt.

II. Nihilominus præstantium *Phylosophorum, Doctorumque opinio non est facile reprehendenda, sed eorum auctoritas plurimum facienda est.* Nam ut fert communne proloquium, *uniquique experto in sua arte credendum est:* Proinde ubi res in ancipiti pendet, nec momenta præsto sunt, quibus veritatem deprehendamus summorum *Phylosophorum Doctorumque sententiæ acquiescere consenteantur.*

III. *Communis, & constans omnium populorum consensus certum facit veritatis argumentum.* Merito enim vox Naturæ reputatur.

IV. Probabile non est Doctores omnes in eamdem sententiam convenientes falli, aut fallere. Proindeque *communis Doctorum consensus magnum est veritatis ar-*

gumentum. Animadvertere autem oportet, communem merito reputari consensum, etsi unus, vel alter refragetur.

V. Imperitorum multitudo nihil commovere nos debet, ubi plures Sapientes opinionem aliquam tueantur: Quamobrem istis, non illis fides adhibenda est.

VI. In rebus Philosophicis Sanctorum Patrum auctoritas non majoris est ponderis, ac sint naturales rationes, quibus illi innuntur. Neque enim SS. Patres ex professo Philosophiam nobis tradidere, sed ea, quæ alias didicierant, occasione data conscripserunt. Hæc tamen regula non est omnino universim accipienda. Nam si Philosophicæ opiniones ad Fidei dogmata referantur, & cum istis connexionem habeant, maximum robur agnoscimus in SS. Patrum auctoritate, & sententia.

VII. In expendendis autem SS. Patrum, aliorumve Auctorum scriptis, & opinionibus, cavendum maxime est, ne dimidiatis ut amur sententias. Etenim quid illi senserint, non nisi ex plena verborum, & doctrinæ consideratione colligere possumus. Tum finem contemplari oportet, quem illi sibi met proposuere, & quid probandum assumpserint; Sensum denique pernosceré eorum, contra quos Sancti Patres, aliive Auctores disserunt.

VIII. In dijudicandis SS. Patrum, & aliorum veterum Scrip-

torum operibus, pro certo habendum est, opus illud esse germanum Auctoris fætum, quod antiqua, & constans traditio ut tale probaverit. Hæc enim firmum est veritatis argumentum.

IX. Sola autem stili diversitas non evincit opus esse supposititium. Nam sæpe contingit, ut pro varia Auctoris ætate, tum pro rerum explicandarum diversitate, tum etiam pro multiplici genere dicendi, nempe disputationis, aut concionis, non idem servetur stilius locutionis.

X. Lapsus quoque Auctore indigni, aut manifesta etiam contradic̄tio non satis probant opus esse supposititium. Multo sane viros, alioquin cordatos, errasse novimus, eos interdum suas retratasse opiniones, quandoque vero vel latitantes admisisse contradictiones, vel invicem pugnantia incaute tradidisse.

XI. At si opus non congruat etati Auctoris, cui attribuitur, quia videlicet facta, personas, aut vocabula refert etatis posterioris, supposititium illud esse credimus.

XII. In credendis vero eventibus illis, qui à fide humana pendunt, tum & miraculis, quæ enarrantur, certum est, solam facti possibilitatem non sufficere, ut assentiamur illud extitisse. Nulla quippe consecutio est à rei possibiliitate ad ipsius existentiam.

XIII. Oportet etiam circunstancias omnes expendere, siye quæ ad

ad rem ipsam pertinent, & intrinsecæ appellantur, sive quæ ad Auctores factum recensentes referuntur. Nam ubi istæ deficiente sint, fides minime adhibenda est.

XIV. Hinc cavendum est, ne omni fama rumusculo circumducamur, ne testi semel mendaci fidem prestemus, & ne iis temere assentiamur, qui facta sibi confingunt odio, aliisve passionibus abrepti.

XV. Itaque spectanda est Auctoris gravitas, & prudentia, tum maxime probitas, cui si doctrina accedat; inde certum habemus veritatis argumentum, ubi Auctor se testem oculatum fuisse contestetur. Hinc ex gratia cum S. Augustinus, Vir utique sanctitate, & doctrina spectabilis, plurima recenseat miracula, quæ se vidisse testatur, publiceque docuit coram iis, à quibus, si res aliter se habuisset, potuisset ipse erroris, aut mendacii convinci; despere dicendus esset, qui ea miracula credere nollet.

XVI. Quandoque etiam ex humana auctoritate talem, tantumque possumus certitudinem colligere, ut de mentis videatur oppositum sentire, atque illi fidem minime accommodare. Nimirum quoties ex testimonio continuo, obfirmatisque multorum hominum quidpiam cognoscimtis: aut quoties auctoritas multorum testimoniū oculatōrum: diversæ nationis, diverso

tempore eamdem rem confirmat. Etenim nullatenus probabile est eos conspiravisse ad aliquod pro vero testificandum, quod re ipsa verum non sit. Hoc sensu Antipodum existentiam certo tenemus.

XVII. Facta autem antiqua testimonio veterum ejusdem, vel proxima etatis Scriptorum testimonio initii debent, ut veritatis charactere donetur. Id ipsum de traditione sentimus, cujus origo à testibus coavis, vel proxime coavis duci debet, ut fidem sibi vindicet nostram.

XVIII. Etsi vero planissimum sit, nullatenus rem aliquam negari posse, quod unus, vel alter Veterum mentionem illius non fecerit: sive ut ajunt, ab auctoritate mere negativa nihil colligi posse; tunc enim omnia vel Aristoteles, vel quispiam aliis ex Veteribus aut scribere potuit, aut debuit: Attamen si quæstio ad rem facti pertineat, altum apud Veteres Scriptores ea de re silentium confirmat, factum illud pro suppositio esse reputandum. Id porro sic accipiendum est, quoties iidem illi Scriptores, & potuerint, & debuerint ejusdem facti memnisce.

Hæc de iis, quæ ab humana auctoritate pendent, dicta sunt.

Divina autem auctoritas dubium omne repellit, atque certissimos nos facit rei illius, quam compertum sit à Deo fonte veritatis

tis revelari. Id ipsum sentimus de Ecclesiastica auctoritate, quæ non ab homine, sed à Deo vim suam, & robur obtinet infalibile.

Sed hic dubium quodpiam exoritur, in quo enodando Peripatetici, & Recentiores plurimum altercantur; Nempe quis sit genuinus divinarum litterarum, atque Ecclesiasticarum definitionum sensus, quoties de rerum naturalium essentia, aut motu loquuntur.

Etenim Recentiores arbitrantur, eas divini Verbi sententias, non quid sit, sed quid hominibus videatur, exponere: ut Spiritus Sanctus accomodet se se ad vulgi captum, cuius est sensuum præjudicia omnino sectari. Profecto Spiritus Sanctus (inquietunt) naturalis Philosophiæ cathedram nusquam ascendit, Fidem tradit, moresque instruit, nec edocere nos voluit naturales res, quarum notitia neque ad fidem, neque ad morum institutionem pertinet. Hinc S. Augustinus, in lib. de Actis contra felicem Manichæum, cap. 10. disserte scribit: *Non legimus in Evangelio, Dominum dixisse: Mitto vobis Paraclytum, qui vos doceat de cursu Solis, & Luna. Christianos enim facere volebat, non Mathematicos.*

Verum nostra sententia est in ipsis etiam naturalibus rebus: & scientiis Sacram Auctoritatem præcipuum obtainere locum, atque

certissimum veritatis argumentum administrare. Nam cum omnia consonent vero, si quandoque Sacrae Litteræ, vel Ecclesiasticae Definitiones quidpiam aperte tradunt, quod ad res naturales pertineat; id ratum, firmumque habere nos oportet. Quamobrem Concilium Lateranense V. sess. 8. damnavit Philosophos quosdam asserentes, rationalem hominis animam esse immortalē secundum Fidem, mortalem vero secundum Philosophiam; Eos, inquam, damnavit, quoniam quæ Fidei contradicunt, vera secundum Philosophiam non sunt, nam veritas est una, & verum non opponitur vero.

Constans profecto regula est, Patrum, & Theologorum communī voto obsfirmata, quam S. Augustinus exposuit, lib. 3. de Doct. Christ. c. 10. Verba Divinarum Litterarum proprio semper, littoralique sensu esse accipienda, quotiescumque id non sit evidenter contrarium alteri veritati, quæ per ipsam Sacram Scripturam, aut per Ecclesiæ definitionem, vel per conspicuum naturalis rationis lumen nobis innotescat. Ubi ergo nihil horum nos commovet, Sacrae Auctoritati semper adhærere Catholicum Virum oportet, nec illi fas est thesim aliquam defendere, quæ tantæ auctoritati adversa videatur.

Intelligimus equidem, Deum in Sacris Litteris uti vocibus Vulgi, eo etiam sensu, quo illæ à Vulgo usur-

atisurpantur, juxta quod Deus ipse Isaiae præcepit, c. 8. v. 1. Sume tibi librum grandem, & scribe in eo, stylo hominis. At ubi de vocis significatione, & de errore intellectus loquamur, ecquisnam sibi persuadere poterit, Deum ea affirmare, quæ Vulgus opinatur? Hoc enim non est cum Vulgo loqui, sed cum Vulgo errare. Quamobrem dum Deus de rebus naturalibus disserens; juxta Vulgi sensum loqui dicitur, cui aptare, sese intendit; aut ille cum Vulgo sentit, aut non? Si primum, errat Deus cum Vulgo errante: quod absurdum est. Si secundum, mentitur Deus: quod pejus est. Nam quid est mentiri, nisi rem unam in mente tenere, & oppositam vocibus exponere?

Quod si licet litteralem Sacrae Scripturae sensum deserere, & ineptas Vulgi locutiones eidem adscribere, dum de rebus naturalibus. S. Scriptura disserit; jam pene nullus error Divinorum Oraculorum auctoritate convinci poterit, ac profigari. In promptu enim cuique responsio esset, Deum se se ad Vulgi opinionem accommodare.

Quamvis autem Spiritus Sanctus naturalis Philosophiae cathedram numquam ascenderit; non tamen eumdem aliquando mentitur fuisse possumus affirmare. Perfecto nec Spiritus Sanctus usquam ascendit cathedram Chronologicæ, Geographiæ; numquam Historici munus exercuit. Ea, quæ ad hasce

Tom. I.

Facultates pertinent, doctrinam Fidei, morumve directionem nequam respiciunt. Neque tamen arbitramur, Catholicum Virum suarum idearum amore in tantum abripi posse opinionis stuporem, ut parvipendenda reputet ea, quibus nos divinæ Litteræ bella docent, aut Civitates, Regionesque, vel Familiarum generationes, aut annorum supputationem describunt. Idem ergo æquunt judicium ferendum est in ea notitia, quam nobis Scriptura Sacra administrat, Cœlorum, Planetarum, Meteorum, Belluarum, Avium, aut Piscium, aliarumque naturalium rerum.

Nec S. Augustini sententia exposita Recentiorum commento suffragatur. Non disserit ibi S. Doctor de sensu Divinarum Literarum in iis, quæ ad Philosophiam pertinent. Argumentatur ibi, & quidem optime contra Manichæos. Horum hic error erat: Christus promisit, se missurum Spiritum Sanctum, ut nos doceat omnem veritatem: quemadmodum in Evangelio legimus; Atqui Manichæus docuit nos omnia, media, suprema & infima: cursum quoque Solis, & Lunæ; Ergo Manichæus fuit Spiritus Sanctus. Hac erat ridicula eorum argumentatio, quam sic solide S. Augustinus refelit: Christus non promisit, se misurum Spiritum Sanctum, ut nos doceat cursum Solis, & Lunæ; Ergo ex quo Manichæus ista do-

euerit, nequaquam colligi potest, eumdem fuisse Spiritum Sanctum. Ex quibus liquido apparet, intactam manere sententiam nostram. Nec enim in id venisse Spiritum Sanctum, somniavimus unquam, ut nos doceret Philosophiam. Nam, ut ibidem adjungit S. Doctor, sufficit, ut (Christiani) de istis rebus, quantum in Schola didicerunt, norerint, propter usus humanos. Id porro contendimus, nullam in Scholis tradi debere sententiam, quæ Divinarum Litterarum oracula adversa videatur.

CAPUT OCTAVUM.

Dé Methodo.

Methodus est recta dispositio, qua in scientiis tradendi & in cognitionibus ordinandis progressimur, tum ut veritatem assequamur, tum ut eamdem demonstremus. Bifariam porro id præstare possumus, Analysi nimirum, seu resolutione, & Synthesi, seu compositione. Dum enim quæstionis alicujus propositæ veritatem investigare nitimur, aut eamdem aliis suadere; rem ipsam, quæ subiectum quæstionis est, vel in sua principia eamdem componentia resolvimus, ut veritas pateat, vel ex peculiari principiorum declaracione ipsius compositionem assequimur, & ostendimus. Quamobrem Methodus duplex est; altera Analytica, seu resolutionis; altera

Synthetica, sive compositionis. Methodus Analytica tunc servatur, quando res in sua principia dividitur: ut totum in suas partes; proindeque ab universalis cognita veritate ad singularem procedit. Methodus vero Synthetica à partibus ad totum progreditur, & à singulare cognitione cognita veritate ad universalem incognitam.

In utraque Methodo servandus est ordo naturæ, quantum fieri potest; tametsi præstet aliquando ordinem potius doctrinæ sequi, quo ex una ad captum facilitiore notitia ad cognitiones difficiliores ascendimus, inverso, si opus sit; naturali rerum ordine.

Utraque Methodus scientiis simul theoreticis, & practicis, & etiam artibus addiscendis, tradendisque idonea est, pro varia eorum, quæ disputationem habent, natura. Ex humanæ etiam mentis imbecillitate, ex uniuscuiusque scientiæ, & artis limitibus cogimur aliquando in eadem una scientia pertractanda nunc Methodum Analyticam, nunc Syntheticam adhibere. Cum enim nobis aliquando notior sit caussa, aliquando vero notiores sint effectus; hinc vel ab illa, vel ab istis pro re nata progredimur, ut addiscamus, aliosve doceamus.

Neque tamen excogitandum est, Methodum esse alterum Instrumentum sciendi, à tribus illis, quæ superius exhibuimus, definitione nimirum, Divisione, & Ratiocina-

natione , diversum , atque discre-
tum. Etenim Methodus juvat qui-
dem mentis directionem , pluri-
mumque confert scientiarum ac-
quisitioni , nam ordo confusionem
tollit investigationi veritatis ad-
versam ; sed cum sit ordo , & dis-
positio communis ipsismet instru-
mentis sciendi , ut bene dirigant co-
gnitiones nostras , siccirco non est
novum aliquod instrumentum.

Placet aliquibus Methodum di-
cere quartam mentis nostræ ope-
rationem , quæ reliquas dirigat ,
rectoque ordine disponat. Sed fini
huic obtinendo non alia opus est
quarta operatione intellectus , cum
intellectus ipse simplici apprehe-
sione , judicio , & ratiocinatione
disponere queat , & in rectum
ordinem dirigere quidquid ad ve-
ritatis , scientiarumque acquisitione
pertinet.

Recta porro progrediemur Me-
thodo in veri acquisitione , scien-
tiisque tradendis , si regulis , &
præceptis Logicalibus utamur , iis-
demque judicia nostra , & ratioci-
nationes dirigamus : quemadmo-
dum in superioribus fuse distin-
cteque declaravimus. Speciatim
vero sequentes pro recta Methodo
regulas præstat exhibere.

I. Questionis subjectum clare dis-
tingueque definire ; illius sensum ni-
tide aperire , omnesque de illo dis-
sentientes opiniones candide ac di-
lucide proponere.

II. Subjectum questionis in suas par-
tes distribuere , easque invicem disser-
nere.

III. In ea ipsa re , quam inqui-
rendam suscepimus , persistere , nec
alio animum evocare.

IV. Res pertrahandas , cogni-
tionesque nostras rite disponere , ut
alia ex aliis oriri videatur. Ita
enim fiet , ut ex una faciliori cog-
nitione ad alteram difficultorem
ascendamus , & quæ sequuntur , ab
iis , quæ præcedunt , lucem acci-
piant.

V. Principia , seu axiomata sub-
jicere , quibus demonstratio innitur.
Ubi vero opus est , ab aliis scientiis
& artibus pro certis habita exhibe-
re , & presupponere , aut expe-
rimenta ad rem pertinentia decla-
rare.

VI. Verborum contentiones , ve-
cumque ambiguitatem vitare.

VII. Brevitati consulere , atque
à nimia prolixitudine cavere.

VIII. Objecta singillatim refer-
re , & distinctius diluere.

IX. Propositum persequi rectis
ratiocinandi regulis , & syllogisti-
ca forma , quæ ad probandum , ac
suadendum accommodior est , &
efficacior.

X. Iis autem , qui studio scien-
tiarum incumbunt , opus est , præ-
judicia exuere : uni Sectæ , & Ma-
gistro inhærente multorum librorum
lectionem vitare : que discenda sunt ,
memoria fideliter demandare : ad-
versa opinionis Auctores non adire ,
nisi propria sententia distincte ple-
neque perspecta : calamo non par-
cere , sed in tabulas referre quid-
quid scita dignum occurrit : cun-

Viris doctis conferre, & assidua exercitatione, ac disputatione ingenium acuere, & animum excitare.

In omni denique Disputatione, sive privata, sive publica verbis oportet usitatis dissenserere, cum de re constat, de verbis non contendere, propositum tenere, nec alio inutiliter vagari, quæstionis subjectum cum primis constituere, ne Andabatarum more pugnemus, uni veritati litare, & Christianæ moderationis, ac modestiæ specimen semper exhibere. Defendens vero argumenta sibi proposita repeatat summa interitate, ac quantum fieri potest, de verbo ad verbum; tum quæ sibi vera videbuntur, concedat: quæ ambigua, distinguat; quæ falsa, neget; à semel concessis nullatenus recedat: responsionesque suas ita exponat, ut ex objectis argumentis nihil in præteritis relinquit, sed omnia à se enodata fuisse perspicue ostendat. At qui argumentatur, brevità consulat, verbisque aptioribus utatur: quidquid probandum erit, recto ordine assumat: nihil, uti certum proponat, nisi re ipsa ejusmodi sit, vel à Defendente ultro admissum; atque summopere caveat, ne medium terminum suæ argumentationis mutet, & hoc, ac illuc inepte vagetur.

CAPUT NONUM.

De Terminis, & Distinctionibus, quorum usus in Scholis obtinuit.

Unaquæque Ars suis utitur verbis, ut ex Cicerone animadvertisimus, in Dissertatione Proœmiali ad Philosophiam universim acceptam, quæst. 5. in solutione ad ob. 7. Quocirca Philosophi, præsertim Peripatetici, nova quædam verba, novasque distinctiones excogitarunt, ut pressa, strictaque dicendi ratione disputarent, & una interdum voce, etsi minus latina, opinionem suam apertius, significantiusque exhiberent: quod alioquin longo opus haberet verborum circuitu, si dele&tis, perpolitisque verbis semper utendum esset. Philosophi autem Recentiores id, velut grave piaculum, in Scholasticis vehementer suggillant, atque ejusmodi voces, ac distinctiones si quando latini sermonis venustrati, ac regulis minime congruant, prorsus inanes esse, ac deridiculas clamant.

Verum nos etsi non nimium terminis illis, & distinctionibus indulgendum esse arbitremur, easdemque, quoad fieri potest, vocibus vere latinis exhibendas esse fateamur, nihilo tamen minus & quia earum usus jamdudum in Scholis obtinuit, & quia verbis inter Disputantes receptis sermo-

instituendus est, distinctiones illas, præciplias saltem, ordine alphabeticò hic tradendas ducimus, ut eadem apertius innotescant, & Scholasticorum sententiae in eorum editis libris expressæ facilius percipiантur. Bonorum enim ingeniiorum insignem esse indolem; notat sapienter S. Augustinus, lib. 4. de Doctrina Christiana, cap. II. in verbis verum amare, non verba. Cujus rei aptissimam affert similitudinem. Quid enim prodest (inquit) clavis aurea, si aperire quod volumus non potest; aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil querimus, nisi patere quod clausum est?

Itaque Termini illi, & distinctiones sic efferri possunt.

Absolute, & *Respective*. Absolute id est, in se se, absque comparatione ad aliud. Respective sive comparative, nempe non in se se, sed per meram comparationem ad aliud. Ita creatura dicitur nihil, non in se, sed comparative ad Deum.

Ad se, & ad aliud. Ad se, nimirum quod ad semet referri intelligitur. Ad aliud, quatenus relatum est, seu ad alterum refertur. Ita Deus ad se est, Creatura vero ad Deum refertur, quatenus creatura est.

In actu primo, & *in actu secundo*. Primum significat rem extare tantummodo in virtute sue causæ, sive potius solam indicat causæ virtutem valentis producere,

effectum. Alterum indicat, rem extare reapse extra suam caussam.

In actu, & *in potentia*. Ita quod re ipsa existit; dicitur esse in actu; Quod fieri potest, dicitur esse in potentia.

Adquate, & *inadquate*. Adequate, id est, in totum: Inadquate, nempe secundum partem aliquam sui.

Arithmetice, *Geometrice*. Primum idem significat ac ad æquilitatem. Secundum denotat proportionem aliquam haberi.

Causa in actu primo, & *causa in actu secundo*. Priore sensu causa consideratur secundum suam agendi virtutem, quæ pondum exercetur. Postiore sensu causa accipitur, quatenus virtute sua reapse operatur.

Consequens materialis, & *consequens formalis*. Prima habetur, quando illatio admittenda est tantummodo propter materiam, ex qua consequens componitur; nec tamen tunc vera est illatio. Altera legitimam dicit unius propositionis illationem ex altera, vi argumentationis ad regulas Logicas compositæ.

Conceptus formalis, & *conceptus objectivus*. Ille significat ipsam mentis perceptionem, quatenus est actus mentis. Iste objectum indicat à perceptione representatum.

Conceptus transcendentalis, & *conceptus predicamentalis*. Primus significat quidpiam omnino universim acceptum. Alter quidpiam sig-

significat in ordine, seu genere determinato contentum.

Directe, & indirekte. Directe hoc est per se se, & immediate. Indirecte; id est, ex accidenti, & gratia alterius. Idem est sensus, cum dicitur: *In resto, & in obliquo.*

Dubitative, & assertive. Primum idem est, ac dubie: & significat meram propositionem quæsiti, aut enuntiatum aliquod dubitationem annexam habens. Alterum idem est, ac asseveranter, seu affirmanter, & veram ex propria sententia assertionem determinatam indicat.

Effective, & directive. Effective, id est, ad modum caussæ vere efficientis, quæ tribuit existentiam effectui. Directive, id est, ad modum regulæ dirigentis causam, ut operetur.

Esse essentia, esse existentia, & esse subsistentia. Primum significat naturam rei, seu prædicata rem ipsam constituentia. Secundum indicat ipsam rei existentiam, qua re ipsa extat extra suas caussas. Tertium dicit naturam non esse alteri supposito, seu personalitati communicatam.

Esse per se & inhærere. Esse per se, nempe existere per se se: quod proprium est substantiæ. Inhærere, nimirum recipi, & dependere à subjecto diversi generis eique adjacere per modum affectionis accidentiarum: quod qualitatibus convenit.

Esse simpliciter, & esse secundum quid. Primum dicit veram existentiam re ipsa. Alterum solam præ se fert possibilitatem.

Esse simpliciter tale, & esse tale secundum quid. Illud præ se fert, rem ejusmodi esse in se se, & absolute, nulla addita coarctatione, seu imminutione: quemadmodum indicat posterior pars distinctionis relatae.

Essentialiter, & accidentaliter. Essentialiter; id est, quatenus pertinent ad essentiam, seu naturam rei. Accidentaliter, quatenus eidem ex accidenti convenient.

Evidentia consequentia: & evidētia consequentis. Prima est cognitio clara, & manifesta qua intelligimus veram, & legitimam esse illationem unius ex altero. Secunda est cognitio clara, & manifesta, qua percipimus propositionem ex altera subillatam esse veram in se se.

Formaliter, & concomitantē. Prima hujuscē distinctionis pars significat, quidpiam per se se, & gratia sui tale esse. Altera indicat, quidpiam rei convenire tantummodo gratia alterius, & ex consequenti.

Formaliter, & eminentialiter. Formaliter, id est, re ipsa, & secundum ipsam formam, seu affectionem, de qua disseritur. Eminentia vero, seu eminenter, quatenus unus est perfectius altero, unde & dicitur continere illud eminenter.

Formaliter, & **identice**. Primum idem significat ac in notione essentiali. Alterum indicat meram identitatem realem.

Formaliter, & **materialiter**. Primum significat quidpiam alicui convenire propter formam ipsius, non vero tantummodo propter subjectum formæ: Ita dicimus Doctorem docere, quatenus doctrinam habet. Alterum indicat subjectum ipsum: Ut cum dicimus, Musicum aliquem esse Logisticum; id enim verum est tantummodo pro materiali, quatenus subjectum, sive homo, qui Musicæ peritus est, calet etiam aliquando Logicam facultatem.

Formaliter, & **præsuppositive**. Illud præ se fert, unum esse idem cum altero in essentia, seu in notione ipsa essentiali. Istud significat, unum cum altero connexionem habere, quatenus suæ natura hoc ipsum præsupponit.

Formaliter, & **virtualiter**. Ita pronuntiamus, quidpiam inesse formaliter alicui rei, quando eidem reapse convenient. Si virtute solum in ea re contingatur, virtualiter inesse ipsi dicitur.

Falsitate complexa, & **falsitate incomplexa**. Falsitas complexa tunc habetur, quando judicium rei aliquuj efformatur à vero alienum. Falsitas incomplexa soli convenient simplici apprehensioni, quæ rem percipit secus ac sit in sese.

In gradu summo, & **in gradu remisso**. Distinctio hæc de quali-

tatibus dieitur, nam si maximam habeant intensionem, in gradu summo esse nominantur, si secus, in gradu remisso.

Immediate, & **mediate**. Immediate id est, per se se, nulloque alio mediante. Mediate, nempe per aliud, seu medio aliquo.

In concreto, & **in abstracto**. Illud significat formam, quatenus subjecto inest. Istud formam præ se fert, ut à suo subjecto vel re ipsa, vel mentis operatione separatam.

Inhesive, & **adhesive**. Primum dicit veram inherenteriam, quæ accidentariis affectionibus propria est. Alterum solam dicit unius rei materialis adhæsionem alteri.

Identitate perfectissima, & **identitate imperfecta**, seu **in gratiam tertii**. Prima identitas realis iis convenit, quorum unum, ut potest infinita polens perfectione, ex se se vindicat sibi alterum, ita ut separari nequeant. Alterum genus identitatis de prædicatis illis dicitur, quæ cum sint finita, limitata, non sunt idem re ipsa, nisi quia unam, eamdem rem constituant.

Infinitum categoreticamente, & **infinitum sincategoreticamente**. Utrumque tot numero partes continet, ut earum ultima per enumerationem nullatenus queat designari. At primo repugnat quæcumque additio, non item secundo.

Intensive, & **extensive**. Primum sig.

significat augmentum qualitatis in eadem subjecti parte; Alterum dicit augmentum quantitatis in diversa parte subjecti.

Intentive, & executive. Aliud est proponere sive efformationem operis faciendam, aliud vero efformare opus re ipsa, & propositum exequi, quod jam quis intenderat. Ita qui statuit animo finis alicujus assecutionem, finem dicitur *intentiya* velle, dum vero media elicit, & disponit fini assequendo idonea, *executive* finem ipsum velle dicitur. Prior voluntas *intentiva* appellatur, posterior *executiva*. Illa porro si efficax est, hanc sibi adjungit; nam qui intendit efficaci volitione finem, media etiam siti assequendo necessaria, & dona parare debet, ut horum adminiculo consilium suum exequatur, & propositum compleat. Volitus autem finis præcedit necessario ipsiusmet finis assecutionem; unde cum primum est *intentive* ultimum est *executive*.

In instanti natura, & in instanti temporis. Priori sensu unum dicitur prius vel posterius altero, quatenus suapte natura unum præcedit aliud, aut notitia, intelligentiaque invicem ordinantur. Posteriore sensu comparantur res ad invicem prout re ipsa existunt earumque duratio tempore conamen suratur.

In se, & quod ad nos. In se, id est accepta re secundum suam natu ram, aut suas affectiones. Quoad

nos, prout nempe rest nobis innotescit, eamdemque nos explicamus.

In se, & in alio. Prius significat, rem nullo modo inesse alteri. Posterius indicat, rem aliquo modo inesse alteri.

Intrinsicæ, & extrinsicæ. Primum de eo dicitur, quod in ipsa re extat, & intrinsicus eamdem afficit. Alterum illi convenit, quod rei extraneum est, & ipsam afficit extrinsecus.

Intuitive, & abstractive. Distinc tio hæc cognitioni aptatur. Dum rem aliquam existentem, & nobis præsentem cognoscimus, cognitio dicitur *intuitiva*, sive res ipsa percipiatur in se se, sive in aliqua specie. Quod si res cognita non sit præsens, cognitio ipsius erit *abstractiva*.

Motive, & terminative. Hanc etiam distinctionem objectis cognitiis aptamus. Nam id, quod moveat, excitatque intellectum ad cognitionem, sui dicitur *cognoscendi motive*. Si autem unice cognoscatur gratia alterius, terminative tantum cognosci dicitur.

Necessitate absoluta, & necessitate conditionata. Necessitas absoluta, quæ etiam dicitur *necessitas simpliciter*, & antecedens, ea est, quæ antecedit usum nostræ libertatis, & oritur à caussa nobis neutiquam libera; unde fit, rem nullatenus posse non esse. Necessitas autem conditionata est illa, quæ subsequitur liberam nostræ volun-

tatis determinationem, originemque trahit à caussa nobis libera; unde necessitas hujusmodi appellatur etiam consequens, & necessitas secundum quid, atque ex ea fit, rem nesario quidem esse, posse tamen, vel saltem potuisse aliter contingere.

Negatio extra genus, & negatio intra genus. Prior ea est, quæ nullum indicat subjectum: ut cum dico: Non ens, seu nihil. Posterior subjectum aliquod indicat: ut cum dico: Non album.

Negatio simpliciter, & negatio secundum quid. Prima est reipsa indistincta à suo subjecto, à quo nullatenus separari potest: ut negatio materie in Angelo. Secus se habet altera: ut negatio albedinis, in pariete.

Nominliter, & verbaliter. Hoc est per modum nominis, & per modum verbi.

Numerus transcendentialis, & numerus prædicamentalis. Ille metaphysicis etiam prædicatis aptatur; iste solis rebus attribuitur inter se se re ipsa distinctis.

Objective, subjective, & effective. Objective illud dicitur esse in intellectu, quod ab eo cognoscitur, seu ideam, & imaginem sui in eo habet. Subjective illud est in intellectu, quod in illo recipitur. Idemque dicas de aliis affectionibus, quæ uni, vel alteri subjecto adjacent. Effective significat veram efficiatiam, qua unum est causa alterius.

Objective, & entitative. Pri-

Tom. I.

mum dicitur de re, aquatenus in mentis cognitione reluet. Alterum rem significat, ut est in se se.

Objectum materiale, & objectum formale. Objectum formale est illud, ad quod per se se scientia, & facultas activa respicit, sive cuius gratia cetera omnia contemplatur. Objectum vero materiale illud dicitur, in quod facultas fertur gratia objecti formalis. Ita corpus vivens, & sensitivum est objectum materiale Medicinæ; quatenus autem sanabile est, dicitur objectum formale ejusdem facultatis.

Per excessum perfectionis, & per modum inclusionis. Sive aliis terminis: *Per excessum, & per continentiam.* Prior sensu unam dicitur altero perfectius, quatenus perfectione sua supereminet aliud: quomodo Angelus homini præstat. Posteriore sensu res perfectior dicitur continere imperfectiorem, adeo ut illa queat exhibere effectus istius. Hoc autem bifariam intelligi potest. Nam vel res perfectior continet reipse imperfectiorem, & ut ajunt, entitatem: quomodo quantitas infinita continere deberet in se se omnes quantitates palmares; vel res perfectior continet virtutem sua imperfectiorem, quatenus se sola virtutem habet præstandi omnes illos effectus, quos res imperfectior efficeret: ita Deus continet creaturas.

Per se, & per accidens. Primum significat idem ac gratia sui, & ab intrinseco, seu etiam ex intentio-

ne agentis. Alterum idem est ac gratia alterius, & ab extrinsecos seu etiam præter intentionem agentis.

Physice, & moraliter. Illud declarat veram actionem, & physicum agentis influxum, seu efficientiam. Alterum significat consilium, vel iussionem, ex qua sequitur effectus: Dicitur etiam de his, quæ movent caussam efficientem physicam ad operandum.

Positive, & negative. Ita unum dicitur positive excludere aliud, quando definite, & per se se illud excludit. Negative autem se habet, cum ex se se indifferens est, ut sit cum alio, vel sine illo.

Potentia proxima, & potentia remota. Prima expedita est; altera præpedita externis obstaculis.

Potentia physica, & potentia logica. Illa de eo dicitur, quod re ipsa possibile est, & physicè effici potest. Altera tantummodo significat, quidpiam suapte natura non repugnare; tametsi alia obstant, ne re ipsa fiat.

Potentia objectiva, & potentia subjectiva. Prima præ se fert, rem posse existere. Secunda dicit, rem posse in se se alteram recipere.

Primario, & secundario. Primario, seu per se se, immediate, sive etiam ex intentione. Secundario, nempe ex accidenti, mediaente, aut præter intentionem.

Problematice, & determinative. Problematice disserimus, cum intramque partem quæstionis dispu-

tamus, neutram approbantes. Determinative loquimus, dum unam præ alia partem seligimus, & definite tuemur.

Proprie, & metaphorice. Proprie, id est vera significatione. Metaphorice, hoc est, per similitudinem quamdam, proportionem, & metaphoram.

Primo intentionaliter, & secundo intentionaliter. Prius illud significat idem ac reipsa, & sublata quacumque intellectus nostri operatione. Posterius indicat mentis nostræ figmentum, quamquam reipsa administretur nobis occasio effingendi.

Principaliter, & instrumentaliter. Hæc de caassis dicuntur, nam quæ propria virtute operatur, principaliter agere dicitur; quæ vero alteri inservit, & ipsius virtute agit, dicitur operari instrumentaliter.

Prioritate temporis, prioritate naturæ, & prioritate originis. Primum de eo dicitur, quod existentia, & tempore præcedit alterum: Si duo simul, eodemque momento temporis existant, unum tamen eorum prius altero intelligatur, atque ab isto suapte natura nullatenus pendeat; dicitur præcedere istud prioritate naturæ. At prioritas originis significat, unum esse ab alio, seclusa nihilominus quacumque imperfectione, ac subjectione. Hoc sensu Theologi docent, Patrem in Divinis præcedere Filium prioritate originis.

Quan-

Quantitate virtutis, & quantitate molis. Illud significat virtutem agendi, istud extensionem corpoream.

Quantum, & non quantum. Primum idem est ac perfectum. Secundum idem est ac non perfectum. Neque tamen istud hoc ipso intelligitur esse imperfectum; quamvis enim non præ se ferat perfectiōnem, consequens non est, illud notione sua carere perfectione sibi debita, aut esse inconveniens.

Quoad essentiam, & quoad existentiam. Illud significat connexionem prædicati cum subjecto, quatenus unum mutuo exposit alerum. Posterius indicat existentiam ipsam, seu reipsa existere.

Realitas objectiva, & realitas subjectiva. Illa est prædicatum metaphysicum sola sua essentiali notionē definitum, & à modo existendi abstrahens. Ista prædicatum præ se fert metaphysicum cum modo existendi.

Realiter, & intentionaliter. Realiter, id est re ipsa intentionaliter, nempe in mentis idea, seu cognitione.

Reduplicative, & specificative. Primum significat, prædicatum convenire subjecto, quatenus tale est. Alterum indicat, prædicatum convenire subjecto, non quatenus subjectum tale est, sed velut ex accidenti.

Sensus compositus, & sensus divisus. Ille unionem dicit antecedentis cum consequenti. Iste è

contra præ se fert, ejusmodi unionem minime extare.

Secundum quid distractens, & secundum quid diminuens. Prius omnino auferit veram vocis significatiōnem; posterius hanc minuit, & coarctat.

Signate, & exercite. Signate, nempe quasi significando quidpiam futurum, seu actionem aliquando efficiendam. Exercite, id est reapse accionem efficiendo, vimque operatricem exercendo.

Simpliciter tale, & secundum quid tale. Quod in se se, vero, ac proprio sensu habet affectionem aliquam, seu attributum, perfectionemve, dicitur tale simpliciter. At si hæc illi convenire dicatur sola comparatione, vel similitudine, erit tale secundum quid.

Speculative, & practice. Primum significat idem ac veritatis inveniendæ gratia. Alterum declarat, finem referri ad bonitatem moralem; tametsi lata significatio ne complectatur opus quodcumque.

Univoce prædicari, & univocum prædicatum. Primum idem est ac prædicari essentialiter, nempe præ se fert prædicatum pertinere ad rei naturam, seu essentiam. Univocum autem prædicatum dicitur, si prædicati significatio eadem sit in pluribus, etiamsi non pertineat ad essentiam rei.

Univoce, equivoce: & analogice, seu proportionaliter. Univoce, id est nomine, & nominis signi-

ficatione. *Æquivoce*, nempe solo nomine. Analogice, hoc est, similitudine aliqua, & proportione.

Ut quo, & ut quod. Primum significat formam, qua alteri denominationem tribuit; vel indicat virtutem, qua quis operatur. Alterum significat id, quod denominatio-

nationem accipit, seu quod re ipsa agit. *Unum formaliter, & unum entitative.* Ea dicuntur unum formaliter, quæ constant eadem natura, seu prædicatis essentialibus ejusdem rationis. Unum autem entitative eamdem omnino dicit, & indivisam entitatem prædicati.

LOGICÆ DISCIPLINÆ

PARS POSTERIOR.

DISPUTATIO PRIMA.

De Idoneo Veritatis Criterio.

QUÆSTIO UNICA.

Quodnam statuendum sit legitimum veritatis dijudicandæ

Medium, seu Criterium?



Uia regulas Logicæ accomodatas esse diximus menti nostræ in veritatis acquisitionem dirigendæ, ut hoc ipsum tueamur, in præsentiarum varias Philosophorum opiniones ad trutinam evocamus. de Criterio, seu Medio, quo in veri agnitionem perduci possimus. Legitimum dijudicandæ veritatis

Criterium, Philosophorum omnium consensu, tanto robore confirmatum esse debet, ut errori non sit obnoxium, nec alterius ope, aut directione indigeat, sed per se se regula sit infallibilis, & certa quædam nota, ac perspicualux, quæ verum à falso aperte distinguat. Epicurus præcipuum veritatis Criterium in sensu constituit, adeo ut idea illa habenda sit vera, cui

suf-

suffragatur, vel saltem non refragatur evidentia sensuum; si secus, falsa sit omnis. Sensum vero nunquam falli putat. Quæ omnia distinctius explicat, & tueri nititur Gassendus.

Cartesius ad cognoscendam rerum incognitarum veritatem, docet in prima Meditatione, semel in vita de rebus etiam certis; & manifestis dubitandum esse. Hinc supponit, cuncta adspectabilia non aliud esse, nisi ludificationes somniorum, Deum non optimum fontem veritatis, sed genium aliquem malignum, se denique re ipsa non habere corpus. Tum obstinate defixus in hac sua meditatione, omnia inficiatur, id unum affirmans secogitantem existere. Quia vero eatenus repugnare intelligit, se cogitantem non existere, quoniam in idea cogitantis clare distinetque relucet idea existentis, concludit in 3. Medit. & in lib. de Methodo, illud omne, quod à nobis clare, & distincte percipitur, verum esse, nihilque admitendum esse, tamquam verum, quod à nobis clare, & distincte non percipiatur.

Criterium hoc veritatis inventiæ his verbis reddunt Cartesiani: *Quidquid in idea clara, & distincta rei alicujus comprehenditur, id de ea re certissime potest affirmari.* Hujus autem propositionis sensus est apud Cartusianos. Ideas quascumque intellectus nostri à Deo nobis fuisse inditas, clarae proinde, & distinctas, adeoque

veras esse; alioquin Deus esset nostrorum errorum origo, & caussa; sola porro phantasmata obnoxia esse erroribus. At alii Recentiores ajunt, principium illud adoptant hoc solo sensu, quatenus ideæ illæ, quæ re ipsa claræ sunt, & distinctæ, profecto veræ sunt, & nos in errorem ducere nequeunt.

Peripatetici autem, ut jam diximus, Criterium veritatis in regulis logicalibus, ac præsertim in tribus sciendi Modis, Definitione, Divisione, & Argumentatione constituunt.

Dicimus, nec sensum, nec generalē dubitationem, nec ideam claram, & distinctam constitui posse ut legitimum veritatis Criterium, sed id convenire solis regulis logicalibus, præsertim vere tribus prædictis instrumentis sciendi.

Probatur prima pars. Criterium veritatis debet esse regula quedam generalis, certa, & infallibilis. At qui sensus fallax est, & occasionem præbet erroris: ergo sensus non est legitimum veritatis Criterium. Major est evidens: Alioquin enim necessaria esset altera regula, & potius sola hæc dici deberet veritatis Criterium. Minor probatur: Sexcentis experimentis compertum est, sensus nostros falli, & rem alteri repræsentare, ac sit re ipsa, tum propter mediæ diversitatem, tum propter distantiam; adeoque sensus occasionem nobis præbet erroris. Igitur &c.

Respondent Epicurei, in sensu

qui-

quidem non semper esse veritatem judicii, quæ soli intellectui convenit, in eo tamen semper haberi veritatem existentiæ, qua simplex sensuum apprehensio conformis est cum specie objecti repræsentati; hæc enim in se se talis semper exsistit, qualis est in sensu externo. Ajunt autem hoc satis esse, ut sensus dicatur veritatis Criterium.

Sed contra est. Nam etsi falsitas judicii, quam *complexam* nominamus, soli intellectui convenire possit; attamen sensus capax est veritatis, & falsitatis *incomplexæ*: veritatis quidem, dum rem nuntiat ut ea est in se se; falsitatis vero, dum eam repræsentat aliter ac sic reapse. Ergo sensus obnoxius semper est erroribus, atque adeo nostrum reddit argumentum. Species etiam objecti, sive illius repræsentatio semper existit, sed & ipsa species fallax est, & sensuum operatio non ad speciem ipsam refertur, sed comparatur ad rem, ut se habet reapse. Hinc quod ajebat Epicurus apud Laertium, *Magnitudinem Solis*, quo ad rem ipsam; aut paullo maiorem esse, aut tantam præcise, quanta videtur, omnimo ridiculum est, & falsum omnibus ratiocinantibus appetit.

Objicies. Si sensus est capax erroris, intellectus noster nullatenus posset verum certo cognoscere. Hoc absurdum est. Ergo sensus errare non potest. Majoris sequelam sic probat Gassendus. Intellectus noster ita dependet à sensu, ut quid-

quid cognoscit, ejus interventu cognoscat. Unde inquiunt Peripatetici: *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit sub sensu*. Ergo si sensus est fallax, non poterit intellectus verum certo cognoscere.

Respondeatur ex dictis in quest. de Existentia Philosophiae: distinguo majorem: Si sensus est *per se* capax erroris, concedo majorem; si *per accidens* tantum, nego maiorem. Ad illius probationem, distinguo antecedens: intellectus noster dependet à sensu, veluti à *nuncio*, concedo; tanquam ab *organo*, aut caussa intellectivæ cognitionis, nego antecedens, & consequentiam. Itaque, ut diximus loco citato, sensus nostri decipiuntur, non *per se* se atque ex sui natura, persæpe enim rem, ut se habet, exponunt; sed solum per accidens decipiuntur, ex rectæ, ac sibi debitæ dispositionis defectu, ex distantia objecti, ex varietate intermedii. At intellectus noster à sensibus quidem pendet, velut à *nunciosis*, sive conditionibus ad intelligendum præviis; non autem tamquam ab *organis*, sive causis, quarum virtute spiritualis cognitionis producatur. Atque adeo intellectus noster potest verum certo cognoscere, etsi sensus sint fallaces.

Instabis primo. Si in fabrica regula prima sit prava, & norma fallax, necesse est omnia fieri mendose, absonta esse. Ergo si fallax sit prima operatio sensus, quam intellectus, ut cognoscat, presupponit, fallax quoque erit omnis in-

tel.

tellectiva cognitio subsequens.

Confirmatur. A re jucunda non nisi voluptas oriri potest; à re molesta non nisi molestia. Ergo à perceptione sensus fallaci non nisi phantasma fallax, & cognitio falsa poterit oriri. Adeoque, &c.

Respondetur. Nego paritatem. Etenim Fabrica inititur regulæ, tanquam unico suæ constructio- nis, & perfectionis fundamento, nam ab Artifice dirigitur ob regulam, quam ideaæ sua Artifex impressam habet. At intellectus noster non innititur sensui, tanquam fundamento suarum perceptionum, nec ab eo accipit directionem suam, aut regulam expectat veritatis assequendæ.

Ad confirmationem. Nego paritatem ex dictis. Quippe voluptas rem jucundam rescipit, ut sui caussam, eamque consequitur, ut illa est in se se, nec mutare eamdem valet. Quod ipsum de molestia dicendum est. At intellectus non respicit sensum, ut causam sua cognitionis, nec determinatur ab illo ad ferendum judicium simile perceptionibus sensitivis; sed, ut alias diximus, tum virtute sua, tum ope sensus bene valentis potest emendare, & corrige deceptionem alterius sensus errantis.

Instabis secundo. Atqui intellectus non potest corrige errorem sensus. Ergo mentis judicium sequitur necessario ipsam sensus perceptionem, nec potest ab illa

dissentiri. Minor subsumpta probatur. Si intellectus corriger posset errorem sensus aut id valeret præstare per se ipsum, aut ope alterius sensus. Neutro modo id potest. Etenim intellectus non operatur, nisi sensu demonstrante. Porro alter itidem sensus, quemadmodum & intellectus ipse, fallax est: ergo uterque ineptus est ad emendandum alterius sensus errorum; & potius ab ipso responsionem istam merito accipiet: *Medice, cura te ipsum.* Igitur &c.

Respondetur. Nego minorem subsumptam. Ad illius probationem dico intellectum utroque modo posse corriger errorem sensus. Quipe cum sensus non sit per se se fallax, potest intellectus ope sensus recte dispositi, defectum alterius sensus errantis deprehendere; & cum virtus intellectiva sit potentia superior, & excellentior sensu conferre simul potest sensitivas operationes, & falsas à veris discernere, caussas erroris in sensu pernoscere, & luminis proprii adjumento corriger errorem sensus, & si quid etiam in suis cognitionibus falsi irreperserit, hoc totum emendare; atque ita verum certo attingere. Superior autem, excellentiorque facultas corripi non potest ab inferiori.

Colligite, evidentiam quamdam sàpe in sensu reperiri, quia, ut diximus, per se se, & ex sui natura non fallitur. Ita sane Christus Dominus, Lucae cap. 24. ut resurre-

etio.

ctionis suæ fidem adstrueret, testimonio sensuum usus est : *Palpate, inquit, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Sed & omnis nostra cognitio, quæ inductione, & experimentis acquiritur, non alio ferre, quam sensuum testimonio comprobatur. Eapropter optime dicebat Phylosophus, lib. 8. Physic. sum. 2. cap. 1. *Dicere omnia quiescere, & hujus caussam investigare, pretermissio sensu, impotentia mentis est;* & lib. 3. de Gen. animal. cap. 10., quæ de Apum generazione per ratiocinationem dicuntur, sic concludebat : *si quando satis cognita habebuntur, tunc magis sensui erit, quam rationi credendum.* Quippe experientia parit evidenter demonstrationem rerum, quoties omnia distincte, circumspecterimus.

Probatur secunda pars. Generalis Cartesiana Dubitatio impossibilis est, & inutilis; ergo nullatenus conferre potest veritati inventiæ, adeoque non est veritatis Criterium. Antecedens probatur. Experientia cuique ostendit, memoriam non posse à nobis pro votis excuti, & judicia facta ita perseverare habitu, & signorum instar sic nobis hærere impressa, ut ea ad placitum eluere, atque eradicare non sit in nostra potestate. Tum res fallibilissima, & incertissima non potest esse objectum assensus certi; Ergo res certissima, & infallibilissima non potest esse ob-

jectum assensus dubii, & incerti. Res etiam prudenter indubitata ea dicitur, de qua nullus homo prudens potest dubitare. Atqui rerum sensibilium existentia vocari in dubium non potest certissima etiam est, & infalibilissima. Nam id demonstrat quotidiana generalis experientia, quæ indubitata est cum neminem decipiatur, atque hoc ipso ab experientia particulari discriminetur. Ergo impossibile est de omnibus dubitare. Tum hæc dubitatio est inutilis; Quippe sine sufficienti ratione adstruitur, & post ambages, ac circuitus, eo denique redeundum est, ut Dei, & corporum existentiam, & cetera, de quibus dubitare nos vult Cartesius, eadem omnia vera esse credantur. Igitur &c. Denique nihil ineptius, immo vero nihil absurdius effungi potest, quam omnia habere pro falsis, & de ipsiusmet Dei existentia dubitare, ac temporalem saltem Atheismum inducere, eo fine ut Veritas magis elucescat, & fonte ipso Veritatis sublato, via aperiatur ad veritatem inveniendam.

Objicies primo. Multi decepti sunt in iis etiam, quæ nos certa tenemus. Ergo de omnibus dubitare fas est.

Respondetur. Distinguenda antecedens: Multi decepti sunt in rebus, quas sola particularis experientia, & ratio confirmabat, concedo: in rebus, quas generalis experientia, & ratio manifestabat, nego ante-

cedens, & consequentiam. Decepti sunt plerique in rebus particula-ri ratione, & speciali experientia innotescientibus, dum sibi nimium fidentes, tritam à Sapientibus viam, & usitata apud illos prin-cipia neglexerunt. In iis tamen, quæ generali comperta sunt experimen-to, aut generalibus principiis à na-turali rationis lumine petitis, ne-mo nisi extreme amens, deceptus est: ut in corporum adspectabilium existentia.

Instabis primo. Consentaneum videtur nostræ libertati, ut in iis etiam, quæ generali experientia confirmantur, dubitare valeamus. Hinc scimus, Academicos olim in dubium omnia revocasse. Igi-tur &c.

Respondetur. Nego antecedens: Libertas nostra non adeo valet in nobis, ut dubium reddere possit intellectum etiam de rebus gene-rali experientia obfirmatis. Ete-nim intellectus noster operatur naturaliter, & necessario assentitur perspicuis, & evidenteribus, quam-diū eadem recogitat. Quod illus-trari potest ex dicto in prima parte, sect. 3. c. 2. Voluntas ra-tione sue libertatis potest intellec-tum retrahere à consideratione hujus, vel alterius rei; potest etiam facere nos præfacte negantes, & mentientes, si prudentia limites non teneamus. Ita contingit in Academicis, qui verbis quidem affir-mabant, se de omnibus dubi-tare, quia mentiri poterant: ut

autem animitus hoc dicent, pro-cessus & illis impossibile fuit; adeo ut Pyrrhonismus mentientium Secta ceisenda sit, non hominum ea, quæ persuasa haberent, profiten-tium.

Instabis secundo. Atqui plura nobis occurruunt momenta, quibus ad generalem dubitationem duca-mur. Ergo tanta tribuenda est li-bertati vis, ut intellectui hanc generalem dubitationem imperare valeat. Antecedens probatur, quia sensus nostri, ut diximus infirmi sunt, & fallaces; tum pleræque ex præconceptis suasionibus nos deceperunt, atque adeo præstat omnes abjecere, dictante pruden-tia fidem illi non adhibendam, qui vel semel nos deceperit; tum de-nique quia inter somniandum si-milia quandoque agimus; perinde ac dum vigilamus: neque modus eluet, quo certi esse possimus, vigilantes potius nos cogitare, an dormientes. Igitur &c.

Respondetur. Nego minorem subsumptam. Ad hujus probatio-nem, quod attinet ad primum, dicimus, sensus nostros non esse fallaces in iis, quæ generali ex-perientia manifestantur: ut supra declaravimus, & in quæst. de exis-tentia Philosophiæ. Ad secundum eadem est responsio. Nulla enim præconcepta suasio per generalem experientiam confirmata nos de-cepit. Sed neque prudentia dictat, omnem suasionem iccirco haben-dam esse dubiam, aut falsam, quo-

niam aliqua originem trahens à particulari experientia nos decepit; verum è contrario docet, eam suasionem ut veram esse admittendam, quæ vera constanter deprehensa est, & quam falsam esse nihil sit quod demonstret. At Cartesianus ea ratiocinatione perinde facit, ac si, quia cibus aliquis semel nocuit, sumendum nunquam ullum cibum censeret. Ad tertium, argumentum illud ridendum est potius, quam refellendum. Profecto prudens homo optime discernit inter vigiliam, & somnium, dum re ipsa vigilat, & accurate perpendit circumstantias suarum operationum. Inter somniandum autem omnia contingunt modo quodam confuso.

Objicies secundo. Qui baculum curvum efficere volunt rectum, inflectunt illum in alteram contrariam partem. Et quemadmodum fer commune proloquium, *Via deveniendi ad medium est declinare ad aliud extreum.* Ergo simili ratione ut mens nostra in veritatem dirigatur, præstat in extremam alteram dubitationis partem descendere. Hinc Aristoteles ipse sæpe laudavit dubitare, ut ediscamus, præsertim lib. 2. Metaph.

Confirmatur. Ideo passim homines errant, quia methodum istam Cartesianæ dubitationis negligunt, & contemnunt. Ita docere videtur S. Augustinus, lib. 6. de Musica c. 11. ubi ait: *Sequun-*

tur nonnulli phantasmatæ sua tam præcipites, ut nulla sit alia materies omnium falsarum opinionum, quam habere phantasias, vel phantasmatæ pro cognitis.

Respondeatur. Nego paritatem. Inulta sane est similitudo illa baculi à Cartesio proposita. Etenim dum baculus incurvatur, per rectitudinem transit, sicque assuescit se se paulatim ad illam componere. At Cartesius non præstat menti dubiæ transitum per veritatem, sed menti in falsitatem deflexæ impulsu[m] versus eamdem præbet, & ex curvitate parva, aut mediocri curvitatem maximam facit. Existimare autem, mentem nostram fieri capaciorem veræ perceptionis ex deflexione ad falsitatem, perinde videtur ac existimare, deberre quempiam, ut dealbetur, fieri prius Æthiopem. Eadem responso ad morale illud proloquium est adhibenda. Aristoteles vero nunquam commendat generalem illam dubitationem, quam Cartesiani configunt; sed assensum cohibendum esse scribit, quoties res non satis appetit, & mens nostra rationum momentis in varias partes distrahitur.

Ad Confirmationem. Nego antecedens. S. Augustinus loco citato unice intendit, iudicia nostra non esse præcipitante ferenda, omnesque circumstantias diligentissime prius perpendi oportere, nec assensum temere phantasmatis præstandum, quod ultro fatemur.

Unde & subdit: *Quare his potissimum resistamus, nec eis ita mentem accommodemus, ut dum in his est cogitatio, intelligentia ea certi arbitremur.* Nullibi tamen docet, falsitatem assumendam esse ut medium quo in veritatis agnitionem perducamur.

Instabis. Astronomi ad veritatem investigandam assumunt falsa pro veris, quando Æquatorem, Zodiacum, aliosque Circulos imaginantur in Cælo. Sic procedunt Geometre passim, & Philosophi; Theologi quoque, dum falsum aliquid, & hæreticum supponunt in Processione Spiritus Sancti, ut inde verius realem Divinarum Personarum distinctionem, & Processionis naturam inquirant, disputantes: *An si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, nihilominus ab eo realiter distingueretur?* Ergo licet etiam, & præstat dubitare de omnibus, ut exinde verum à falso clarius discerni possit.

Respondetur. Transeat antecedens, & nego consequentiam, ac paritatem. Maximum extat discrimen inter Astronomicam suppositionem & Cartesianam dubitatem. Nam Astronomi certum quidpiam habent, observata nempe Planetarum loca; unde ut cælestium corporum motum exponant, circulos imaginantur, non quos falsos putent, sed quos explicandis motibus illis idoneos esse intelligunt; argumentoque est, quod si idoneas magis, ac probabiliores

hypotheses alias reputarent, eas haud dubie sequerentur. Quamobrem permisimus antecedens, quia Astronomi pluribus præcognitis veris innituntur, & circulos, non ut veros, sed ut verisimiles supponunt, nec falsa pro veris habent. At Cartesiana dubitatio nihil certi relinquit, ad quod suppositionibus suis Philosophus collineet: & pro objecto suo Cartesianus tunc non aliquid verum, aut verisimile, sed ipsamet falsitatem habet. Idem dicimus ad alia exempla. Theologi autem non inficiantur, Spiritum Sanctum procedere à Filio. Ab hac ipsa Spiritus Sancti à Filio processione mentem retrahunt hypothesis gratia, & pro eo tunc illam nec asserunt, nec negant. Proinde nec falsum approbant, nec mentiuntur; sed ut Scholæ loquuntur, abstracthant tantummodo ab ea processione. *Abstracthentium autem non est mendacium, bene vero dividentium.* Cartesius vero supponit omnia esse falsa, & præcognitas veritates omnes inficiatur.

Colligite, virum prudentem, qui in certa nummorum aureorum multitudine quosdam repererit deficientes, operari juxta leges prudentiæ, probando eos omnes quippe tunc experientia particularis est; neque tamen ille prudenter judicaret, nummos omnes esse deficientes.

Probatur tertia pars. Plures extant in nostro intellectu ideæ, quæ licet videantur claræ, & distinctæ,

tamen sunt falsæ. Ergo regula illa ex claris , distinctisque ideis petita, non est aptum veritatis dijudicandæ Criterium ; sed & ipsa omnino falsa est. Antecedens probatur. Ut ex historiis compertum est, Viri alioquin prudentes vitam exposuere pro opinionibus invicem contradicentibus. Porro si prudens Vir pro sua opinionis asseveratione vitam, & sanguinem effudit , dubio procul dicendum est, illum ab idea clara , & distincta sua opinionis fuisse per motum. Atqui evidens ratio demonstrat, unum vel alterum ex illis , qui contraria tuebantur , deceptum fuisse. Igitur in uno , vel altero illorum Virorum idea extitit reipsa falsa tametsi videretur clara, & distincta. Major propositio apparet iis, qui apud Historicos perlegerit tot Antiquorum contentiones , & bella pro juris alicujus defensione, pro personæ particularis indemnitate tuenda, & praesertim pro Dominatione vel Monarchica , vel Aristocratica , vel Democratica, prudentibus sapientibusque Viris pro una, vel altera decertantibus. In nobis etiam falsas extare ideas , etsi claræ , distinctæque appareant , manifestum est : ut cum montem aureum, hippocentaurum , & similia concipimus.

Respondent Cartesiani, plurima à nobis percipi sola phantasia, plura autem intellectu cognosci: & hæc quidem semper vera esse , at

illa posse esse falsa. Proinde allata à nobis idearum exempla ad solam phantasiam, non ad intellectum pertinere ajunt ; adeoque ideas illas non esse claras, & distinctas , nam quæ hujusmodi est, propria est intellectus , & falsa esse non potest.

Contra sic ratiocinamur. Communis est hominum consensus, intellectum spiritualia , & materialia cognoscere. Oportet igitur Cartesianos declarare, & probare quoniam sit rerum genus , quæ percipi à nobis possint sola phantasia. At cum Cartesiani id præstare non valeant , evidens est , præfatam Cartesianorum responsionem sine ratione , & pro libito esse confitam. Itaque vel nos mente percipimus etiam res materiales , vel easdem sola phantasia assequimur? Si primum dicant Cartesiani , ergo exempla in probatione à nobis relata correspondent ideis intellectus ; neque enim ulla ratio apparet , quæ contrarium suadeat. Si secundum , nulla vis superest ratiocinationibus Cartesii , & Sectatorum ipsius. Id porro sic evincimus. Cartesius parte 1. Principiorum hoc argumentum instituit: *Ideam habeo spatii, seu extensionis extra cælos. Quidquid in idea clara, & distincta comprehenditur, id verum est. Ergo existit revera spatium illud , & extensio , sive corpus extra cælos.* At ego ipse impræsentiarum hæbeo ideam Palatii Armidæ à Torquato Tasso descripsi.

ti. Hoc itaque alterum efficio argumentum Cartesiano simile, Ideam habeo Palatii Armidæ : Quidquid in idea clara, & distincta comprehenditur, id verum est. Ergo existit revera Palatum Armidæ. Utraque sane idea, spatii extra cælos, & Palatii Armidæ, rem materialem repræsentant. Vel igitur utraque mentis est, vel utraque phantasiam? Si primum dicant, utraque idea clara, distincta, & vera erit; proindeque tam verum erit existere reipsa Palatum Armidæ, quam verum videatur Cartesio existere spatium extra cælos. Si dicant secundum, utraque idea non erit clara, & distincta, sed falsa, proindeque inepta est argumentatio illa Cartesii, nec ipse rite collegit, spatium extra cælos reipsa existere, quippe ea ratiocinatio originem habuit ab idea phantasiam fallaci, nec Cartesius aliquando nisus est probare, ideam hanc non esse falsam aut mente etiam concipi. Igitur, &c.

Probatur secundo. Semel data veritate illius Cartesianæ regulæ, nemo amplius poterit contradicentem aliquem ab errore revocare & assertionem illius, quantumvis falsam, quantumvis absurdam, convellere. Hoc adimit nobis vias ratiocinandi. Ergo regula illa falsis debet accenseri. Sequela majoris ostenditur. Constituat sibi quispiam ridiculum aliquod commentum, illudque mordicus, & pervicaciter tueatur: velut Deum

esse mutabilem, aut corporatum; vel aliud simile quidpiam. Tum Cartesianus nitatur ratiocinatione evincere, asserta ejusmodi falsa esse, & absurdâ. Habebit semper contentiosus ille apertam viam eludendi quaslibet argumentationes. Ubi enim se vir ratiocinationis perstringi animadvertis, ad propriam ideam, quam mentis esse, & claram, ac distinctam dicet, veluti ad aram; semper configere poterit; omnia itidem pro marte suo denegare; quæ sibi placuerint, constituere; atque ita se impune asserentem contendere, quod clara, distinctaque edoctus sit idea, quæ fallere nequaquam potest. Igitur, &c.

Confirmatur. Non est ovum ovo similius, quam Cartesiana illa regula similis sit privato spiritui, quem Hæretici configunt Sacram Scripturarum, & Divinæ Fidei interpretem. Igitur regula illa falsa est. Antecedens probatur. Privatus spiritus, ex Hæretorum sensu, aliud non est, nisi internum documentum, quo Spiritus Sanctus uniuscujusque cordi dicitur loqui: seu cognitio divina afflatu cuique impressa. Hoc principio Hæretici utuntur in rebus supernaturalibus ut sibi placita constituant, & Catholicorum argumenta eludent. Cartesiani autem in rebus naturalibus principium assumunt ideæ, claræ, & distinctæ, à Deo singulis hominibus infusæ; atque hoc principio suas

sue adstruunt assertiones, & adversantia momenta dissolvere nuntur. In utroque principio par est pervicaciæ tutamen; par in utroque ordo; par & modus; siquidem in genere suo ambo accipiuntur. Igitur, &c.

Postremo alii Recentiores, qui principium ideæ claræ, & distinctæ ita adoptant, ut voces à Cartesiana Philosophia accipient, sensum re ipso deserant, docentes se id intelligere de solis ideis, quæ revera sunt claræ, & distinctæ; longe aberrant à præsenti quæstione. Impræsentiarum enim dum Criterium veritatis exquirimus, regulam postulamus, cuius operae ideas re ipsa claras, & distinctas discernere ab iis valeamus, quæ specie tenus tantummodo claræ, distinctæque apparent. Hinc mirum profecto est, quosdam Peripateticos à veritatis umbra deceptos, Principium illud adoptasse: cum è converso, quemadmodum sapienter animadvertisit Daniel Huetius, in Censura Philosophiæ Cartesianæ, cap. 2. 8. hoc alterum potius negativum Criterium Philosopho expeditat: *Non temere iis assentendum est, quæ clare nobis, ac distincte videmur percipere.*

Cum igitur Recentiorum opiniones de Veritatis Criterio non satis aptas esse probavimus, hinc firmum ratumque erit; quod in priore parte statuimus, regulas nempe Logicales, ac præsertim

tres Modos sciendi, Definitionem, Divisionem, & Argumentationem, dirigere intellectum nostrum in veri acquisitionem, & esse legitimum Veritatis Criterium.

Objicies 1. Omnis perceptio clara, & distincta Deum habet Auctorem. Ergo est vera. Consequentia probatur: Si idea illa posset esse falsa, Deus diceretur causa positiva falsitatis. Ergo &c. Hoc antecedens probatur. Deus dedisset homini ideas fallaces: ergo esset causa positiva falsitatis. Quod ipsum dici etiam posset, si Deus potentiam homini dedisset ab intrinseco fallibilem. Igitur, &c.

Confirmatur. Negata Cartesii sententia, Deus esset positive deceptor hominis. Nam is est, qui facit, ut homo decipiatur, dum perfectiori agit modo sibi possibili. Ergo si Deo supernaturaliter operante, homo juxta proprias ideas judicans falleretur, Deus esset positive deceptor hominis. Atque adeo, &c.

Respondeatur argumentum falsis inniti suppositionibus. Primo enim supponit ideas nostras esse ingenitas, & à Deo inditas: quod falsum esse declarabimus in secunda Metaphysicses parte, disp. 3. quæst. 8. Deinde supponit in nobis extare ideas claras, & distinctas: at si loquamur de essentiis rerum, hoc etiam falsum est, ut diximus in præcedenti parte, sect. 3. cap. 5. Quamobrem negamus antecedens, & ipsius probationem.

Con-

Concedimus autem id , quod additum est , Deum nempe dedisse homini potentiam ab intrinseco fallibilem , sed inficiamur , hoc ipso Deum dici posse caussam positivam falsitatis. Intellectus humanus ab intrinseco finitus est , & limitatus , adeoque fallibilis ; neque tamen Deus hominis intellectum ad errores determinat. Deus bonitate sua fecit hominem rectum ; at homo ipse se se per peccatum infinitis immiscuit quæstionibus. Quamobrem , si homo sæpe sæpius fallitur , semetipsum , & originale peccatum , quod causa est omnis defectus , accusare debet. Ita sane Theologi optime respondent Calvino blasphemanti , Deum esse caussam peccati , quia dedit nobis libertatem , qua possumus operari bonum , vel malum.

Ad Confirmationem. Nego antecedens , & quod latet in argumento. Videtur enim argumentum supponere , hominem posse propriis ideis assequi id , quod Deus operatur supernaturali virtute sua. Itaque impium est asserere , Deum esse deceptorem hominis illius , qui res stipernaturales perscrutari vult lumine naturali : Quasi vero Deus , ne deceptoris notam incurrat , non possit multa efficere , quæ naturale rationis lumen excedant , & sensuum testimonio adversentur : uti Deus re ipsa præstat in Venerabili Eucharistia Sacramento. Tum igitur

falsitas in solum hominem referenda est proprio lumine naturali abundantem ad judicandum de rebus supernaturalibus , ad quas hoc ipso naturale lumen pertingere non valet. Hinc homo lumine naturali de supernaturalibus disserens , fallitur ex propria infirmitate , & culpa , quia altiora se querit , nec discere vult à Deo. Deus autem errorem non intendit , nam supernaturalia constituit in suorum attributorum manifestationem , & eadem illa revelat , ne homo decipiatur.

Objicies 2. Quidquid in definitione rei comprehenditur , id verum est. Ergo quidquid in idea clara , & distincta rei comprehenditur , id verum est. Consequentia probatur. Definitio non est aliud , nisi idea rei clara , & distincta : ut ex ipsius descriptione patet. Igitur , &c. Hinc plerique putavere , hanc Cartesianorum sententiam idem esse omnino cum Peripateticorum doctrina circa evidenter.

Respondetur. Concedo antecedens , & distinguo consequens : si idea sit re ipsa clara , & distincta , concedo consequentiam : si idea non sit re ipsa clara , & distincta , nexo consequentiam. Nemo nostrum inficiatur , ideam illam esse veram , quæ re ipsa clara est , & distincta. Sed cum inquirimus Criterion veritatis , regulam postulamus , quæ ideam re ipsa claram , & distinctam discernere possimus.

ab ea, quæ talis non est, nisi specie tenus. Legitima Definitio ideam præ se fert reipsa claram, & distinctam; neque tamen definitio potest se sola esse Criterium veritatis. Veritatem Definitionis non probamus, quia ipsa per se se elucescat; sed ut in priore parte exhibuimus, regulas alias constitue-re oportet, quarum ope bonitas Definitionis colligatur: tum si ad intimas rerum essentias animum convertimus, nullam in nobis claram reipsa, distinctamque ideam agnoscimus. E converso Cartesiani ideam claram, & distinctam assu-munt, velut principium, & Cri-terium veritatis inveniendæ, eam demque per se elucescere, & manifester arbitrantur, nec alia regula opus esse fatentur.

Hinc ostendimus, genuinam Peripatus doctrinam toto cælo distare à Cartesianorum sententia. Dupli-cem nos evidentiam discernimus, immediatam, & mediatam. Illa pri-morum principiorum, est hæc pro-pria est conclusionum, quæ à primis principiis ducuntur. Ne vero quis-piam aut ex deceptione, aut ex ig-no-rantia evidentias sibi pro libito effingat, ac tueatur, utrique eviden-tiæ certas quasdam leges adjicimus, quas in præcedenti parte fuse exhibuimus. Proinde nos nequaquam probamus, verum esse quidquid evidens appetet, quia evidens sit. In quo sane manifesta ludunt prin-cippii petitione Cartesiani, qui non aliam veritatis regulam agnoscunt,

nisi ideam claram, & distinctam.

Objicies 3. Quidquid in idea clara, & distincta comprehendi-tur, intelligitur. Quidquid intelli-gitur, verum est. Ergo quidquid in idea clara, & distincta comprehendi-tur, verum est. Minor probatur. Nam S. Augustinus diserte docet, id tantummodo intelligi: quod verum est; falsum autem mi-nime intelligi in quo videntur asse-rere, omnem ideam intellectus esse veram, ideam autem falsam solius esse phantasiæ. Ita in lib. 12. de Ge-nesi ad litteram, cap. 25. inquit: *Aut enim intelligit, & verum est; aut si verum non est, non intelligit. Unde aliud est in his errare, quæ videt; aliud ideo errare, quia non videt.* Et in lib. 2. de Vera Reli-gione, cap. 34. ait: *Falsa sunt hac: nec quisquam intelligit fal-sa. Non ergo intelligo, cum ista contempnor, & istis credo, quia verum esse oportet, quod intel-letu contempnor.* Igitur, &c.

Respondetur. Nego minorem. Ad probationem nego antecedens, & dico, longe diversum esse S. Au-gustini sensum à Recentiorum pla-cito. S. Doctor, cit. in lib. 12. de Gen. ad lit. & alibi sæpe, tria distinguit visionum genera, nempe visionem corporalem, quando oculis corporis objectum aliquod præsens intuemur; visionem spi-ritualem, sive phantasticam, qua-res corporeas etiam absentes per-cipimus; & visionem intellectua-lem, quæ à phantasmatibus ab-stra-

strahit, & qua incorporea percipi-
mus, & res à sensibus abstractas
dijudicamus. In ista porro intellec-
tuali visione anima non fallitur,
si revera intelligit, & quando ani-
ma fallitur, non habet hanc pu-
ram intellectualem visionem, in
qua error esse non potest, nam
omnis error à phantasmatibus ori-
tur. Indicat autem S. Doctor, se
de ea loqui cognitione, quæ pro-
pria est Beatorum; unde subdit,
cap. 28. *In hoc visionis (intellec-
tuali) genere videtur claritas
Dei, cui vidende corda mundantur,*
unde dictum est, Matth. cap. 5.
*Beati mundo corde, quia ipsi Deum
videbunt; non per aliquam corpo-
raliter, vel spiritualiter figura-
tam significationem tanquam per
speculum in enigmate, sed facie
ad faciem.* Et antea dixerat, c. 17.
Moysen hanc visionem concipi-
visse, in qua Deus videtur *per
speciem suam, quantum eum cape-
re creatura rationalis, & intel-
lectualis potest, sevocata ab omni
corporis sensu, & ab omni signifi-
cativo enigmate spiritus.*

Posteriore loco laudato refellit
S. Doctor Manichæos phantasma-
tibus addictos, & mentis judicium
à phantasmatibus abstrahendum
docet, si veritatem assequi vo-
lumus: eos autem falli ait, qui
objecta percepta cum speciebus
phantasiæ confundunt. Proinde lo-
quitur de visione intellectuali, ut
supra diximus. At nullum unquam
haberi intellectus nostri errorem,

Tom. I.

soli Cartesiani tradunt; Augusti-
nus non scribit, immo sæpe sæ-
pius asserit, animam nostram falli,
dum præcipitanter judicat, & cor-
porali, aut spirituali, seu phan-
tasticæ visioni temere assentitur.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Identitate, & Distinctione.

Notissima omnibus est Distin-
ctio realis, qua una r̄s ab
altera secernitur, & unum ens non
est aliud. Cartesiani, aliique Re-
centiores arbitrantur, realem duo-
rum entium distinctionem vel ex
hoc ipso colligi posse, quod unum
absque altero clare distingue
percipiatur. Hinc eamdem subs-
tantiam non posse simul exten-
sam esse, & cogitantem, asserunt,
quoniam conceptus cogitationis
non includit conceptum extensio-
nis. Sed dum ita Cartesiani argu-
mentantur, laborant paralogismo,
& ex statu ideali in statum realem
egrediuntur. Corpus etiam exten-
sum non posset esse substantia,
quia conceptus extensionis, &
substantiæ longe diversi sunt, &
Deus ipse, Angeli, ac Anima ho-
minis substantia sunt, nec tamen
corpus.

Nos autem cum Subtili Docto-
re, in 2. dist. 2. quæst. 2. dici-
mus, adæquatum signum distin-
ctionis realis esse separationem, vel
actualem, quoties res una est ex-
tra aliam, aut sine illa existit; vel

Q

ap.

aptitudinalem , quando una res potest existere sine altera; vel proportionalem, quando duo quædam, etsi invicem separari non possint, proportione tamen correspondent iis, quæ separata sunt: quatenus tum de illis, tum de istis contradicentia invicem attributa enunciari possunt, velut ratio caussæ, & effectus, producentis, & producti. Et sane omnia, quæ re ipsa distinguntur, uno, vel altero separationis genere donantur. Divine etiam Personæ, quarum una nullatenus potest separari ab altera, proportione correspondentiis, quæ re ipsa separata sunt, nam Pater Filius producit, & Filius à Patre gignitur, & eorum uterque est origo Spiritus Sancti ; rursus Filium per Filiatatem , sive passivam Generationem constituitur, & Spiritus Sanctus per passivam Spirationem: quæ duæ relationes omnino invicem pugnant , nec possunt eidem convenire. Unde merito Doctor noster in 1. dist. 11. quæst. 2. affirmavit, inter Filium , & Spiritum Sanctum reale semper constituendum fore discrimen , etiamsi is ab illo non procederet.

Cum autem realis separatio , vel mutua esse possit , vel non mutua , quæcumque sufficit ad realem distinctionem; atque hinc corpus re ipsa distinguitur à figura, ex. gr. triangulari, quia potest esse sine ista , etsi figura nequeat esse sine corpore.

Reali Distinctioni Identitas

quædam , sive Unitas opponitur, quam itidem realem dicunt. Ea autem est , quæ unum ens, unam rem facit : adeo ut nulla possit in iis separatio ad inveniri : nec enim idem à se ipso potest unquam dividi. Quam ergo unitatem realis distinctione tollit, hanc realis identitas facit. Iccirco ad distinctionem realem una , vel altera separatio sufficit , identitas vero omnem separationem amoget: quia compositio plura expostulat , destructione vel uno tantum obtineri potest.

Hæc autem realis identitas ex duplice fonte derivari intelligitur. Nimirum vel ex ipsa prædicatorum natura , quatenus illorum alterutrum saltem gaudet infinita perfectione , ideoque hujus vi cæteras sibi perfectiones adnebet; id enim Infinitas ipsa exposcit : Atque hæc identitas perfectissima est. Alteram imperfectam appellant, quod ea iccirco tantum habetur, quia res indissolubili nexu diversa quædam prædicata exposcit , veluti ad sui naturam pertinencia: quo fit , ut prædicata ipsa reali identitate conjuncta intelligentur. Priore modo Divina omnia Attributa idem sunt re ipsa; posteriore modo essentialia creaturarum prædicata reali identitate gaudent.

Alterum distinctionis genus est illud , quod nostræ mentis fœtus est , sive intellectus occasionem nanciscatur ab objecto ipso , sive non:

non : quæ dicitur *Distinctio rationis*. Si objectum intellectui nostro non præstet occasionem distinctionis effingendæ, tunc distinctio dicitur *ratione ratiocinantis*; si præbeat occasionem, appellatur distinctio *rationis ratiocinatae*. Porro hujusce distinctionis configendæ occasio, ex plurium Peripateticorum sententia, est omnino *extrinseca*; nempe ex solis variis effectis petitur, quæ ab una, eademque re exhibentur. Pluribus enim effectis res diversas impressiones facit, hoc est, diverso modo intellectum nostrum movet unde effectus illi appellantur *diversa connotata*. Thomistarum vero celebris opinio tradit, occasionem illam esse *intrinsecam*, quatenus ipsa res, cuius prædicata intellectus noster multiplicia facit, in se se *virtualiter*, ut inquiunt, multiplex est; pluribus siquidem rebus virtute sua æqualis est, variosque effectus præstare valet, quia pluribus diversis rebus eficerentur. Proinde hanc distinctionem nominant *virtualiem*.

Nos tamen hujusce *virtualis distinctionis* genus, vel solius vocis commentum esse arbitramur, vel omnino inutile. Quid enim, quæso, significatum volunt Thomistæ, dum asseverant, rem aliquam esse *virtualiter* multiplicem? Aut illi solam effectuum multiplicitatem adstruunt; & solo nomine ab ea, quam descriptimus, aliorum sententia discrepant. Aut profecto in

ea re quamdam affirmant multiplicationem; at hoc ipsum est, quod ipsi soli intelligunt, nimur rem unam omnino indivisibilem, *virtualiter* multiplicem esse: nisi id tantum velint, rem nempe plures posse effectus præstare quod nemo inficiatur, sed in priorem recedit opinionem.

Tertium distinctionis genus à Scotistis adstruitur, qui inter distinctionem *realem*, & *rationis*, aliam constituant, quæ nec rerum sit, nec nostræ mentis figuratum.

Horum itaque sententia, *res illud* dicitur, *quod completa gaudet essentia, propriaque existentia donatur*: &, si *creatum est, vera, reali, physicaque actione producitur*. Arbitrantur autem, quidpiam reale inveniri, quod non sit res sed aliquid rei: *quod completa essentia, propriaque existentia non gaudeat, sed purum, purumque obiectivum conceptum præ se ferant, & eadem una rei existentia existat: ut res per se se, hoc vero gratia rei producatur*. Hoc appellant *formalitatem*, cuius productio dicitur *Methaphysica dimanatio*: quæ hoc unum præ se fert, nempe rem *ipsam esse caussam exposcentem sibi formalitates*; *easdemque reali identitate sibi vindicantem, & sua existentia illas existentes reddentem*, qua ratione Thomistæ dicunt, Omnipotentiam Dei esse caussam divinæ Immensitatis: qua ratione dicimus, hominis rationalitatem esse caussam risibilitatis.

Ergo distinctio formalis absque illo mentis nostræ figmento iis appetatur prædicatis, quæ ad rei cuiusquam constitutionem pertinent, atque tum ab illa re, cum à se invicem nequeunt separari. Præ se fert autem, *conceptum objectivum unius prædicati non esse conceptum objectivum alterius*. Nam & prædicatum illud, quod non est res, sed formalitas, sic describitur: *Formalitas est ratio objectiva, quæ intelligi potest conceptu adequato, & distincto ab eo conceptu, quo altera Formalitas ejusdem rei conipitur. Ejusdem, inquam, rei, quia si formalitates sint in rebus distinctis, & ipsæ, istarum gratia, invicem sejunctæ sunt, & realiter distinguuntur, licet non perse se.*

Ex dictis facile est explicare genera identitatum, quæ prædictis distinctionibus adversantur.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum admittenda sit distinctio formalis inter prædicata metaphysica?

Prædicata illa, ex quibus creatarum rerum essentiam coalescere intelligimus, quæ *Metaphysica* appellantur, & alio nomine *Formalitates* dicuntur, juxta Thomistarum sententiam sola virtuali distinctione invicem discernuntur. Aliis Peripateticis eorum prædicatorum distinctio ab intellectu nostro itidem conficta est; sed occa-

sio omnino extrinseca se se menti nostræ offert ad eam distinctionem constituendam. Istis adhærent Recentiores Philosophi communivo. Negant enim, reapse inveniri in rebus prædicata quædam *metaphysica*, siquidem secundum *abstractionem* considerentur, adeo ut *abstraction* illa sit mentis nostræ figmentum, & ex. gr. reperiatur re ipsa *rationale spirituale*, non tamen *rationalitas*, *spiritualitas* &c.

Scotistæ autem, ut jam diximus, tum contendunt hæc prædicata *metaphysica* esse admitenda, tum inter illa *distinctionem formalem* adstruunt, quæ ab omni figmento intellectus longe sit diversa. Prædicata porro *metaphysica* alia finita sunt; ut *Animalitas*, *Rationalitas* &c. & *Prædicamentalia* appellantur; alia vero ab infinitate, & finitate abstrahunt: ut *ens reale*, & *transcendentalia* nominatur. De primis impræsentiarum disserimus.

Ex pluribus prædicatis metaphysicis unum aliquando consideramus, reliquis prætermisis. Tunc autem intellectus noster dicitur à Scolasticis *abstrahere*, & *præscindere*: in quo nequaquam mentitur, nam unum equidem prædicatum tunc cognoscit, aliud vero nec affirmat, nec negat. Unde tritum illud Aristotelis: *Abstrahentium non est mendacium bene vero dividendum*. Sic nos ex variis operationibus modo principium, seu vim sentiendi, quæ in homine est cog-

nos.

noscimus, ratiōnandi virtute non perspecta; modo utramque simul deprehendimus.

Quoties autem quidpiam intellegimus, tum mentis nostræ actio intervenit, tum objectum, quod actione illa percipitur. Hinc *conceptum ipsum* bifariam Scholastici nominant, ut alius sit *formalis*, nempe ipsa mentis cognitio; alter *objectivus* nimirum objectum, quod menti nostræ obversatur. Utrumque *conceptum adæquatum* appellant, quoties distincte objectum ipsum ita intelligitur, ut quidquid in eo est, percipiatur. Si secus contingat, *conceptus erit inadæquatus*.

Conceptus perfectus (si in proprio sensu verba accipere volumus) ille dicitur, quo res cum quacunque sua perfectione cognoscitur; adeo ut quoties rem sine suo modo contemplamur, notio illius possit quidem appellari perfecta quantum attinet ad solam essentiam ipsius rei, non tamen sit omnimode, absoluteque perfecta. Eadem ratione dum prædicatum aliquod superius concipientes, confuse saltem peculiarem inferiorum notiōnem assequimur, *conceptus prædicati superioris* tunc non abstrahit perfecte ab inferioribus, & dicitur *imperfecte præcisus*. Quod si inferiora nullatenus eluceant in notiōne prædicati superioris, tunc *abstrahimus* perfecte ab inferiorum consideratione, & *conceptus prædicati superioris* dicitur *perfecte præcisus*. His itaque declaratis.

Dicimus cum Scotistis, admittendam esse distinctionem formalem inter prædicata *metaphysicæ prædicamentalium*.

Probatur 1. Omnibus compertrum est, eidem prædicato, aptari non posse contradicentia. Alioquin idem simul esset, & non esset: quod oppido absurdum est. Atqui si animalitas, ex. gr. & rationalitas hominis sunt unicum prædicatum, & sublato opere intellectus, non distinguuntur *formaliter*, contradicentia eidem tribuerentur. Ergo admittenda est distinctione formalis inter prædicata *metaphysicæ prædicamentalia*. Minor probatur. Homo re ipsa, nulloque etiam intellectu cogitante, est animal, & quatenus animal re ipsa convenit cum bruto; similes enim effectus sentiendi, ab homine, & à bruto præstantur. At certum est, hominem esse re ipsa rationalem, & à bruto disconvenire. Ergo animalitas in homine est principium sentiendi, & conveniendi cum bruto; rationalitas vero est principium ratiocinandi, & disconveniendi à bruto: & quidem re ipsa. Ergo si utrumque principium est re ipsa unum, & idem, idem omnino prædicatum esset vis conveniendi, & disconveniendi. Hoc porro contradictionia præ se fert. Igitur contradicentia eidem tribuerentur. Ne ergo hoc absurdum admittamus, oportet nos fateri inter animalitatem, & rationalitatem genus aliud Distinctiones re ipsa à nostro in-

intellectu nequaquam confitæ. Jam vero hæc distinctio non potest esse realis proprio ac stricto sensu, quoniam ea prædicata non sunt res, nec ulla gaudent separatione. Erit adeo formalis.

Confirmatur. Distinctio iccirco adstruitur, ut contradic̄tio minime admittatur. Ergo illa debet huic correspondere. Atqui hæc est realis, & actualis: ut diximus. Ergo & ipsa distinctio debet esse actualis, & realis: non quidem realis proprio sensu, sed latiore significacione, sive formalis.

Probatur 2. Ubi reluent diversi effectus *formales*, ibi diversæ causæ *formales*, sunt constituendæ: cum effectus *formalis* aliud non sit, nisi ipsamet caussa *formalis* alteri communicata. Atqui in homine diversi eluent effectus *formales*, nempe homo est *formaliter* sensitivus, & *formaliter* rationalis. Ergo diversæ causæ *formales* sunt in homini admittendæ. Tum in homine, & in bruto apparent sensationes ejusdem rationis: ergo iisdem attribui debent principia ejusdem rationis. Nam ut effectuum existentia indicat existentiam suæ causæ ita effectuum similitudo subinfert quoque similitudinem causæ. Hinc Animalitas, & Rationalitas ita describuntur, ut peculiaris notio unius omnino diversa sit à notione alterius. Quippe si mens nostra pro arbitrio Animalitatem cogitet, nullatenus in illius conceptu rationalitatem inveniet: cum illa brutis congruat,

non ista. Igitur &c.

Hisce porro rationibus probatur etiam contra Recentiores existentia prædicatorum *metaphysicorum*. Etenim convenire, & disconvenire sapiunt contradictionem, si quidem enuntientur de eodem, secundum eamdem rationem, & respectu ejusdem. Ergo si ex. gr. homo non est instructus duobus prædicatis, quorum alterum sit principium sentiendi, & conveniendi, alterum ratiocinandi, & disconveniendi, per se ipsum immediate conveniret, & disconveniret, adeoque contradictioni illi subjiceretur. Igitur admitti debent multiplicia illa prædicata, ut eorum ope contradic̄tio ab homine excludatur. Quod ipsum ostendit varietas illa affectuum quam declaravimus. Potissimum vero si anima nostra non gauderet duabus *realibus* potentiis, Intellexu nimirum, & Voluntate, esset per se se immediate vis agendi naturaliter, & vis agendi libere; cognitio enim naturaliter habetur, amor libere. At isti contrarii modi operandi à variis debent derivari facultatibus, ne dicamus idem simul esse, & non esse. Igitur &c.

Multifariam hisce rationibus respondent Philosophi contrarium opinantes. Eorum autem responsiones præstat argumentis sequentibus comprehendere.

Objicies 1. pro Thomistarum sententia. Ut omnis à nobis exposta contradic̄tio tollatur, sat est abunde distinctio virtualis. Non

ergo formalem distinctionem oportet asserere, quæ major est virtutis. Equis enim ignorat, supervacane esse plura, ubi pauciora sufficiunt? Antecedens probatur. Distinctio formalis dicitur auferre eam contradictionem, quia facit diversitatem *conceptum*. Atqui etiam distinctio virtualis facit diversitatem conceptum. Ergo hæc sufficit.

Respondeatur. Nego antecedens. Ad illius probationem, distinguo majorem: quia facit diversitatem conceptum *adequatorum*, concedo: *inadequatorum*, nego majorem, & distincta minori eodem modo, nego consequentiam. Hoc est ergo palmarum illud discrimen inter Thomistarum, & Scotistarum sententiam, seu inter distinctionem virtualem, & distinctionem formalis: quod plerique non satis pendentes, utramque sententiam voce differre; re congruere, impetrare dixerunt. Nimis distinctionis formalis ita multiplicat conceptus, ut eos *adequatos* esse ostendat, atque reapse distinctos. Virtualis autem distinctio non multiplicat re ipsa conceptus, sed eos sic distinguat, ut sint *inadequati*, nempe ut tota eorum discretio sit opus nostri intellectus. Porro contradictione, quam exposuimus, *realis* est, & *actualis*, nec pendet ab opere nostri intellectus; atque adeo sola *reali* & *actuali* prædictorum multiplicitate tolli potest.

Instabis 1. Atqui conceptus illi, quos Scotistæ *formaliter* distin-

guunt, re ipsa sunt *inadequati*. Nulla est igitur allata responsio. Minor subsumpta probatur. Conceptus illi sunt re ipsa *inadequati*, quorum unus reapse continet *virtualiter* alterum. Atqui rationalitas continet *virtualiter* animalitatem. Ergo animalitas, & rationalitas sunt conceptus *inadequati*. Minor probatur. Anima rationalis, quæ est perfectior animabus aliis vegetante, & sentiente, continet eas *virtualiter*. Ergo cum rationalitas sit animalitate perfectior, debet hanc *virtualiter* continere. Igitur &c.

Confirmatur. Angelus perfectior corpore, *virtualiter* continet corpoream quantitatem. Nam Angelus virtute sua potest occupare locum, ad instar corporis. Igitur etiam rationalitas perfectior animalitate continet hanc *virtualiter*.

Respondeatur. Nego minorem subsumptam, atque ad illius probationem, nego minorem. Ad probationem hujus minoris, distinguo antecedens: Anima rationalis continet *virtualiter* alias animas, in ordine physico, & reali, transeat antecedens: in ordine metaphysico, & formalis, nego antecedens, & consequentiam. Eadem est adhibenda responsio ad Confirmationem. Itaque anima Rationalis in ordine physico, & reali, utique continet *Virtualiter* animam vegetantem, & sentientem quatenus unica est anima in homine, nec in eo sunt excogitandas distinctæ res, seu animæ reali-

ter distincte : ut dicturi sumus in 3. parte Physicæ disp. 1. quæst. 4. Attamem non ideo eas continet, quia sit illis perfectior, nam & rationalitas Angeli est perfectior, animalitate nec tamen eam continet *Virtualiter*. Hinc diximus: *Transeat antecedens*, quia videatur involvere caussalem falsam. At si velimus ordinem metaphysicum, & formalem considerare, omnino falsum est, animam rationalem continere virtualiter alias animas; tria quippe extant in homine prædicata formaliter distincta, principium ratiocinandi, principium sentiendi, & principium vegetandi. Igitur cum rationalitas, & animalitas ad ordinem pertineant metaphysicum, & formalem, illa non continet *Virtualiter* istam.

Idem dicimus ad Confirmationem. Angelus enim ita continet *Virtualiter* in ordine physico corpoream quantitatem, sive potius extensionem, ut vis quædam eidem conveneriat in ordine metaphysico, quæ replere possit locum, non quidem circumscriptive, sed definitive. At hæc vis, quæ *Quantitas Virtutis* appellatur, ei formaliter inest, & ab ipsius essentia formaliter distinguitur.

Instabis 2. Anima rationalis, quæ est forma physica perfectior, continet *Virtualiter* in ordine physico animam sentientem, & vegetantem, quæ sunt formæ physicæ imperfectiores. Ergo rationalitas, quæ est formalitas perfec-

tior, continet *Virtualiter* in ordine formalis animalitatem, que est formalitas imperfectior. Ut enim forma physica perfectior comparatur ad formam physicam imperfectiorem, & ad ordinem physicum; ita formalitas perfectior refertur ad ordinem formalem, & ad formalitatem imperfectiorem.

Respondeatur, nullam esse paritatem. Ratio discriminis hæc est, quia forma physica imperfectior præstat suos effectus, velut causa efficiens; formalitas vero imperfectior suos effectus exhibit, velut causa formalis. Hoc autem sic declaramus. Genuscaussæ efficientis non expostulat nisi vim effectricem in caussa, nec illius effectus talem exigit caussam, quæ sic ejusdem naturæ formaliter cum ipso. At Genus caussæ, formalis talem præ se fert caussæ, & effectus similitudinem, ut ipsa caussa talis sit formaliter, qualis est effectus, quippe effectus formalis est ipsamet caussa formalis communicata subjecto. Primum apparet in Deo caussa efficiente rerum omnium. Alterum in anima corpus vivificante. Porro anima sentiens, & anima vegetans, si considerentur ut res physicæ, præstant sensations, & vegetationes velut caussæ efficientes; unde effectus isti oriri possunt ab altera anima perfectiore, quæ virtute polleat effectrice ipsorum. At vero animalitas effectum suum exhibit, ut caussa formalis, per sui commu-

nicationem, ut proinde esse animal, & sensitivum re ipsa aliud non sit nisi habere animalitatem, seu principium sentiendi. Proinde effectus animalitatis caussam requirit *formaliter* talem, nec oriri potest ab altero prædicato in quo ipsa animalitas virtute contineatur.

Ceterum hoc Thomistis palmarum argumentum in semetipsum recurrat; adeo ut propositiones, quæ de anima rationali proponuntur; cum iis coincident, quæ de ratiocinalitate dicuntur: si quidem eas omnes eadem velimus methodo commensurare, ut par est. Nam & anima rationalis, & rationalitas ipsa bifariam considerari possunt; primo quidem, ut connotant ea omnia, quæ per identitatem realem obtinent; secundo, ut peculiarem sui notionem, & naturam tantummodo pre se ferunt. Priore sensu tum anima rationalis alias animas includit, tum rationalitas animalitatem. Posteriore autem sensu nec rationalitas continet animalitatem, nec anima rationalis animam sentientem, & vegetantem.

Objicies 2. pro aliorum Peripateticorum, nec non & pro Recentiorum opinione. Ad prædictam contradictionem excludendam in homine, abunde sufficit varia effectum, sive connotatorum, aut impressionum multitudo. Non ergo nulla est constituenda formalitatum, seu prædicatorum metaphysicorum pluralitas; immo ne-

Tom. I.

una quidem formalitas est necessaria. Antecedens probatur. Sola illa effectum distinctio tollit oppositionem; effectus enim sunt veluti varia media, quibus homo convenire, vel inconvenire dicatur. Igitur &c. Probatur antecedens. Sol per eamdem virtutem indurat lutum, & liquefacit ceram: vi autem indurandi Sol convenit cum ventis Septentrionalibus, qui eundem effectum præstant; at vi liquefaciendi ab illis inconvenit, quod id ipsi non exhibeant. Quemadmodum igitur sola effectum pluralitas in Sole sufficit, ita in homine &c.

Respondetur. Nego antecedens, ejusque probationem, ac demum nego paritatem. Enim vero si in homine nequaquam supponas multiplicia, & diversa principia, nulla manet caussa diversis effectis respondens. Quemadmodum autem, sublata caussa, nullus haberi potest effectus, ita caussæ multiplicitate semota, varietas effectum non posset exhiberi; effectus enim ut à caussa habent suam existentiam, sic ab illa suam essentiam, & specificam diversitatem accipiunt. Quamobrem diversitas specifica effectum jam supponit diversitatem specificam principiorum; adeoque principia non possunt nominari diversa ab effectum diversitate, quam faciunt.

Exemplum autem illud à Solis virtute petitum, ad rem non pertinet.

R net.

net. Siquidem compertum est Solē eodem modo operari, sive lutum induret, sive ceram liquefaciat; solo enim calore agit, & diversitas utriusque effectus tota est penes subjectū ipsum, lутum nempe, & ceram. Quod ita ex Physicis declaramus. Tenaci partium adhæsione durum corpus efficitur: atque hæc adhæsio ex salinis particulis, præsertim nitrosis, persæpe perficitur. Liquefactio comminutione partium, & separatione obtinetur. Ergo calor Solis aqueas particulas cogit evolare à luto, unde fit ut istius partes se se complectantur, & firmius invicem adhærescant. Idem calor Solis non adeo tenacem partium ceræ configurationem perturbat, easdemque agitando fluitare facit. Boreas autem nitrosis, quibus abundat, salibus indurationem perficit luti: quo modo aqua glaciatur. Tota proinde effectuum illorum varietas non pertinet ad ipsam intrinsecam virtutem, & naturam Solis, aut Venti, sed ex ipsis objectis est repetenda adeo ut ea convenientia Solis cum Borea in vi indurandi sit omnino extrinseca. At in homine diversitas operationum ab intrinseco promanat, & relucet in eo diversi effectus formales. Profecto homo non operatur eodem modo, quando sentit, ac quando ratiocinatur, nam & bruta sentiunt, nec tamen in illis operatio admittitur, quæ ratiocinatio assimiletur. Ergo quemadmo-

dum liquefactio, & induratio de-
promunt suam diversitatem ex va-
ria subjectorum dispositione, ita
sensatio, & discursus discrimen
suum ab intrinseca principiorum
varietate derivant.

Instabis. Atqui discriminem etiam
sensationis, & ratiocinationis ab
ipso hominis corpore, veluti à
subjecto, promanat. Ergo nulla
est allata responsio. Minor sub-
sumpta probatur. Dum anima ho-
minis operatur sine organo cor-
poris, tunc intelligit; quando
utitur organo illo, tunc sentit.
Ergo ex sola corporei organi so-
ciitate operationes illæ habent
suam diversitatem. Sive potius, ut
ex Recentiorum opinione loqua-
mur sensatio, & discursus non
aliud sunt, nisi mentis cogitatio,
seu perceptio. Et quidem si hæc
sensuum nostrorum motionibus sit
conuncta, dicitur sensatio; secus,
est discursus. Ergo &c.

Respondetur. Nego minorem
subsumptam. At probationem,
concesso antecedenti, nego con-
sequentiā. Utique verum est,
sensationem non à sola anima ori-
ri, sed tum ex animæ virtute, tum
ex organo corporis, veluti ex causis
prodire. Proinde sensatio non
est mentis perceptio, motionem
corporei organi præsupponens, ut
videtur Recentioribus, nec sen-
sus nostri passivi tantum sunt, non
activi: Qua de re disseremus in 3.
Physics parte, disp. 2. quest. 1.
& 2. Igitur si rationalem animam

con-

contemplum, in ea relucet vis ratiocinandi, que brutis non convenit; & vis sentiendi, quæ brutorum animabus etiam communis est; unde virtutum, seu formalitatum distinctio rite colligitur.

Objicies 3. Distinctio formalis nullatenus secernitur à distinctione reali. Ergo nulla est: Antecedens probatur. Ea distinctio est proprio sensu realis, quæ realibus extremis convenit, quorum unum est extra aliud, & hæc sunt entia realia, & numero ac specie distinguuntur. Atqui prædicata metaphysica, seu formalitates sunt hujusmodi. Ergo distinctio formalis est proprio sensu realis.

Respondetur. Nego antecedens, cuius probatio in æquivocis laborat. Itaque realis distinctio iis tantum congruit extremis, quæ per se se propria gaudent existentia, & completam habent essentiam; unde sunt veræ res, & vera entia realia, & corum unum aliquo separationis genere est extra aliud, & numero, ac specie proprio sensu distinguuntur, quia species, ac numerus completam rei essentiam connotant. At formalitates, seu prædicata metaphysica; ut diximus, non gaudent propria essentia, & completa essentia, nec sunt res, aut vera entia realia, discernuntur autem ad invicem sola adæquata conceptibilitate. Nos etiam cum Scotistis non admittimus ipsa solum ens reale, sed inter ens reale, & ens

rationis formalitates, seu prædicta metaphysica mediare arbitramur.

Instabis 1. Si formalitates ipsa admittuntur, jam plerique saltem earum gauderent separatio ne proportionali. Ergo sunt veræ res. Minor subsumpta probatur. Caussa, & effectus separatio ne saltem proportionali secernuntur. Atqui rationalitas dicitur caussa risibilitatis, ideo enim homo est risibilis, quia rationalis. Igitur &c.

Respondetur. Nego minorē subsumptam. Ad probationē, distinguo majorem: caussa physica, concedo: caussa metaphysica, nego majorem, & minori eodem modo distincta, nego consequentiā. Verum est, caussam, & effectum separaris altem proportionē, quando caussa est physica, & per veram efficientiam, & actionem operatur. Rationalitas autem dicitur tantummodo caussa metaphysica risibilitatis: ut supra diximus.

Instabis 2. Ideo admittuntur formalitates ut effectus varii producantur. Ergo cum isti effectus sint res, etiam formalitates debent esse res. Nec enim imperfectius potest producere perfectius. Igitur si una formalitas est caussa alterius, erit caussa physica.

Respondetur, formalitates admitti, veluti potentiam, seu principium quo res ipsa, puta hominis anima, operatur. Hinc non ipsæ formalitates quidpiam efficiunt,

sed res , seu anima est id *quod* operatur , & formalitatibus utitur , velut instrumentis ad efficiendum . Quamobrem numquam sequitur ; quidpiam perfectius effici ab imperfectiore .

Objicies 4. Quidquid intelligi potest , est ens reale . Habet enim subinde veritatem , quæ est proprietas entis realis . Atqui formalitates possunt intelligi , nam unaquæque habet suum conceptum objectivum . Ergo formalitates sunt entia realia .

Respondetur : distinguo majorem : si gaudeat intelligibilitate motiva , concedo : si solam habeat intelligibilitatem terminativam , nego majorem , & distincta minori eodem modo , nego consequentiam . Duplex distinguitur intelligibilitas , *motiva* una , altera *terminativa* . Illa est vix excitandi potentiam intellectivam ad sui cognitionem , adeo ut res per se se eidem manifestetur . Secunda non aliud præ se fert , nisi quidpiam gratia alterius posse per cognitionem exprimi , & repræsentari ; adeo ut cognition illa , quæ rem per se se repræsentat , quidpiam aliud in ea cognoscat , ac veluti ad illud se extendat . Veritas , quæ entis realis est proprietas , sita est in ipsa intelligibilitate *motiva* . At *terminativa* intelligibilitas convenit etiam formalitatibus , immo vero figuratis quoque convenit nostri intellectus .

Instabis 1. Si formalitates gauderent propria intelligibilitate *ter-*

minativa , earum una posset cognosci sine altera , etiam eo notitia genere , quæ dicitur *intuitiva* . Porro si ex. gr. hominis animalitas hoc modo cognosceretur , jam mens nostra in ea intelligereret , rationalitatem ipsam , & cetera alia ; animalitas enim cognosceretur ut existens , & singularis : quemadmodum exposcit notitia intuitiva .

Respondetur . Concedo majorem cum Scoto in 3. d. 14. q. 3. Nego tamen minorem . Cognition intuitiva utique respicit terminum existentem , & singularem , non tamen quasi ipsa existentia , & singularitas necessario debeant in ea repræsentari , aut sint *rationes formales* , ob quas cognition dicatur intuitiva : quemadmodum argumentum videtur supponere . Tunc ergo mens nostra cognosceret animalitatem secundum ipsius conceptum objectivum . Animalitas autem esset equidem existens , & singularis , sed propter ipsam existentiam , & singularitatem animæ rationalis . Ita Scotus in 4. dist. 45. quæst. 3.

Instabis 2. Cognition est actus physicus , & realis . Ergo non nisi ad rem physicam potest terminari . Adeoque &c.

Respondetur , cognitionem esse actionem physicam , & realem , sed esse etiam expressivam , seu repræsentativam objecti . Quamobrem cognition , ut est actio physica , ad rem terminatur , quæ est illius objectum *motivum* ; quatenus autem repræsentativa est , respicit etiam for-

formalitatem velut objectum terminativum. Nec enim id cognosci dicitur, quod cognitionem movet, aut est physicus terminus illius; sed intelligi tunc quidpiam tenemus, quando per cognitionem exprimitur, sive representatur: quod est terminum esse cognitionis, ut ea est expressiva; & formalitatibus etiam convenit.

Instabis 3. Ex dictis sola res movet intellectum ad cognitionem. Unde ergo habet homo; ex. gr. ut intellectum nostrum excitet potius ad notitiam animalitatis, quod ad notitiam rationalitatis?

Respondetur, vim illam motricem applicari, & exerceri mediis operationibus. Unde ex harum varietate res modo intellectum excitat ad cognitionem unius prædicti, modo ad notitiam alterius.

Objicies 5. Si distinctio formalis admittatur, in unaquaque formalitate infinitæ pene formalitates aliæ deberent concedi. Hoc porro esset progressum adstruere in infinitum: quod sane perbellum commentum est, & ridiculum. Nulla igitur formalitas, nulla distinctio formalis admittenda est. Sequela majoris probatur. Animalitas, ut formalitas est, convenit cum rationalitate; ut vero est talis formalitas, ab ipsa rationalitate disconvenit. Ergo duas formalitates admitti deberent in ipsa animalitate: quemadmodum in homine ob illius convenientiam, & disconvenientiam à bruto, duas formalitates necessariæ

dicuntur. Porro de illis duabus formalitatibus in animalitate constitutis idem valet argumentum, itidemque de aliis: ut ratiocinanti apparet. In eadem adeo formalitate infinitæ concedi deberent formalitates.

Respondetur. Nego sequelam majoris. Ad probationem, distinguo priorem partem antecedentis: animalitas, ut formalitas est, convenit cum rationalitate, re ipsa, nego: per intellectus nostri figuratum, concedo. Parilitas nulla est inter convenientiam hominis cum bruto in animalitate, & convenientiam animalitatis cum rationalitate in notione formalitatis generatim acceptæ. Prior enim convenientia realis est: quod ostendit tum effectus realis ab ipso animali promanans, tum ipsa vis sensitivæ notio, nam illa est attributum reale. Posterior convenientia est rationis nostræ figuratum. Quod sic declaramus. Formalitatis universum acceptæ notio est sc̄tis mentis nostræ, sive, ut ajunt, secunda intentio: quemadmodum intellectus noster subjecti, aut prædicati ideam rebus quibusdam applicat. Sumit autem mens nostra occasionem ex ipsa natura rerum; & quantum ad præsens attinet, cum formalitates quæque intelligi possint, & conceptum habeant objectivum, invicem diversum, omnia hæc prædicata intellectus noster constituit sub eadem generali idea formalitatis. Quo fit, ut quia hæc ipsa idea est

fig-

figmentum hostii intellectus, siccirco in hac generali formalitatis notione non nisi per opus mentis nostræ prædicata omnia metaphysica convenient: quemadmodum res illæ omnes, quibus generalis notio subjecti, vel prædicati apponitur, non reapse, sed ob intellectus nostri operationem, in vicem congruunt.

Instabis 1. Ut ex hiper dictis apparet, illa *secunda intentionis* formalitatis universim acceptæ effingitur quidem à nostro intellectu, sed intellectus ab ipsa prædicatorum diversa intelligibilitate occasionem accipit, quatenus illa prædicata habent reapse diversos conceptus objectivos. Ergo in hoc ipso animalitas convenit cum rationalitate, nullo intellectu cogitante. Ergo nulla responsio. Prior consequentia sic ostenditur. Animalitas est reale fundamentum, sive occasio illius *secunda intentionis*; rationalitas quoque re ipsa ita se habet: ergo in hoc reapse convenientiunt. Vel aliis terminis: Animalitas est reapse conceptibilis *terminative*; rationalitas quoque. Rursus animalitas ex se se diversam præse fert intelligibilitatem ab ipsa rationalitate: ergo in illa generali intelligibilitatis ratione convenientiunt, in hac autem speciali discrepant: & quidem re ipsa.

Respondetur. Nego primam consequentiam. Ad illius probationem primam, distinguo antecedens: animalitas est reale fundamentum,

rationalitas quoque; per eamdem rationem, nego: per diversam rationem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Alteri probationi eodem modo occurrimus: Itaque mens nostra occasionem arripit effingendi generalem illam *secundam intentionem*, non ab aliqua conceptibilitate prædicatorum universim accepta, sed ex propriis diversis in vicem conceptibilitatibus animalitatis, & rationalitatis: quæ duo prædicata ita sunt intelligibilia, ut in hoc ipso propriam particularem notionem, differentiatione præ se ferant.

Instabis 2. Animalitas, quæ est in homine: ex se abstrahit re ipsa ab omnibus suis differentiis. Igitur conceptibilitas, quæ animalitati tribuitur, abstrahere etiam debet à suis differentiis. Ergo per eamdem rationem animalitas, & rationalitas sunt fundamentum illius *secunda intentionis*.

Respondetur. Nego consequentiam, & paritatem. Animalitatem hominis re ipsa abstrahere à differentiis, ostendit tum ipsa ejusdem notio, tum similitudo effectuum, qui in homine, & in bruto reperiuntur. At vero nullam esse intelligibilitatem *terminativam* à differentiis abstrahentem, ipsa notio intelligibilitatis demonstrat. Quid enim quæso, præ se fert ista intelligibilitas, nisi posse prædicatum illud exprimi, seu representari? in quo sane relinet ratio conceptus proprii, & ab omni altero di-

tinti, quoniam ordinatur ad speciem, seu imaginem, quæ ita propria est unius tantum, ut alteri nullatenus aptari queat.

Instabis 3. Ea omnia, quæ gaudent intelligibilitate *motiva*, ita se habent, ut hæc intelligibilitas nihil proprium, & speciale præ se ferat. Ergo omnia, quæ sunt intelligibilia *terminativa*, sic se habent, ut hæc intelligibilitas nihil speciale, nihil proprium præ se ferat. Igitur nullum est constitutum discrimen.

Respondetur. Concesso antecedenti, nego consequentiam, & partitatem. Responso patet ex dictis, *Motiva* intelligibilitas est vis quædam excitandi, movendique intellectum ad sui notitiam, unde in ea ipsa intelligibilitate nihil speciale, nihil proprium invenitur; sed ea velut medium est, quo ens reale habet exercitium suæ intelligibilitatis *terminativa*, nam & hæc enti cuicunque reali congruit, etsi non sit secundaria tantum, & gratia alterius, quemadmodum in formalitatibus, sed primaria, & gratia sui. At si loquamur de hac sola formalitatibus *terminativa* intelligibilitate, ista notionem speciam, particularemque præ se fert, & expressio quadam est, seu repræsentatio, & imago: ut jam diximus.

Instabit 4. Illa *secunda intentio* formalitas generatim acceptæ, quam intellectus noster & anima- litati, & rationalitati communem

facit, quidpiam intelligitur esse ejusdem omnino rationis in illis. Ergo intelligibilitas *terminativa* animalitatis, & rationalitatis, quæ est fundamentum reale illius *secunda intentionis*, quidpiam est omnino ejusdem rationis; quemadmodum *motiva* illa intelligibilitas. Consequentia evidenter profluit ex antecedenti. Enim vero *secunda intentio* non dicitur esse ejusdem rationis, quia oriatur à nostro intellectu; alioquin omnis pene *secunda intentio* ita se haberet. Obtinet igitur idipsum à suo reali fundamento.

Respondetur. Distinguo antecedens: quidpiam intelligitur esse ejusdem omnino rationis, analogica proportione, concedo: univoca convenientia, nego antecedens, & consequentiam. Itaque illa *secunda intentio* non est quidpiam univoca quadam convenientia pluribus prædicatis à nostro intellectu attributum; sed solam analogicam proportionem respectu illorum præ se fert. Quemadmodum enim *singularitatis* notio generatim accepta, quam intellectus abstrahit à particularibus individuorum differentiis, analogicam proportionem dicit respectu earum; ita generalis idea formalitatis, quam intellectus abstrahit à particularibus prædicatorum metaphysicorum conceptibilitatibus, analogica solum proportione illis attribuitur. Quatenus quæcumque particularis conceptibilitas in suo

ordine uniuersum quodque prædicatum repræsentari posse significat: sicut quæcumque singularitas particularis in suo genere quocumque ab altero discernit.

Quæ retulimus, idonea sunt ad aliud argumentum enodandum, quo quis dicere posset, animalitatem re ipsa convenire cum rationalitate, quoniam utriusque convenit generalis notio principii operativi. Negamus enim, id verum esse. Nam animalitas est solum specialis virtus operandi in suo ordine: quod idem dicimus de rationalitate. Neque id, quod est differentia operativæ virtutis universim acceptæ potest genus hoc re ipsa imbibere. Quod generaliter notat Doctor in 1. d. 3. q. 3.

Objicies 6. Eadem omnino, & indivisibilis essentia hominis exigit animalitatem, & rationalitatem, seu principium sentiendi, & principium ratiocinandi. Ergo per eamdem omnino indivisibilem formalitatem poterit homo sentire, & ratiocinari. Anteecedens indubium est alioquin progredemur infinitum. Consequentia probatur. Eadem quippe contradictione locum haberet in hominis essentia, quæ ut exigitiva animalitatis, convenit re ipsa cum essentia bruti; & ut exigitiva rationalitatis, ab ea disconvenit. Tum sicut sensatio in homine, & bruto est ejusdem rationis, ita principium sentiendi est in utroque ejusdem rationis, atque adeo

etiam vis exigitiva istius principii deberet in illis esse ejusdem rationis. Tum si homo essentialiter convenit cum bruto, deberet per essentiam suam convenire, non per principium sentiendi, quod vis est operandi, & subinde essentiam hominis non constituit. Igitur &c. Aliis terminis hoc argumentum proponi potest, essentiam hominis nominando animalitatem, & rationalitatem radicalem, quia radix est exigitiva animalitatis, & rationalitatis.

Respondetur. Concedo anteecedens, & nego consequentiam, ac paritatem. Etenim essentia rei est caussa omnino universalis omnium prædicatorum, que ipsum indissolubiliter comitantur. Tum non tanta distinctio constitui debet in caussa, quanta effectis inest: ut patet in nostra voluntate, quæ plures applicata distinctos numero effectus præstat. Cum igitur comparamus principia sentiendi, & ratiocinandi ad essentiam hominis, ea referimus ad caussam omnino universalem, adeoque ex istorum principiorum multiplicatione non licet subinferre caussam in se esse multiplicem. At ex diversitate sensationis, & ratiocinationis rite colligimus principiorum diversitatem, quia ejusmodi effectus referuntur ad caussas particulares, & determinatas. Nemo autem ignorat, utriusque caussæ, universalis videlicet, & determinatae, latissimum esse discriminem.

Es-

Essentia autem bruti, etsi omnino diversa ab essentia hominis, potest exigere & ipsa principium sentiendi neque per ejusmodi exigentiam re ipsa convenient, quippe cum essentia sit caussa universalis, nec tanta opus sit distinctione in causa, quanta in effectis apparat, duæ essentiæ omnino diversæ expostulare possunt similia quædam attributa: ut essencia Dei, & essentia hominis longe invicem diversæ viam exposcent percipiendi. Hinc est, quod Thomistæ, & alii philosophi, etiam Recentiores, licet distinctionem virtualem, vel rationis admittant inter principium ratiocinandi, & principium sentiendi, non tamen eodem modo discernunt ipsam hominis essentiam. Denique cum animalitas, & rationalitas sint intimiores proprietates hominis, ad illius essentiam secundario pertinent, & earum ope homo rite dicitur *essentialiter* convenire, & disconvenire à bruto.

Objicies 7. Homo per eamdem virtutem intellectivam apprehendit, judicat, & ratiocinatur. Ergo per eamdem etiam virtutem potest sentire, & ratiocinari. Consequentia probatur. Eadem enim contradicton locum haberet. Homo enim, quatenus judicativus, convenit re ipsa cum Deo; & quatenus ratiocinativus, ab eo disconvenit, nam Deus minime ratiocinatur. Tum vis intelligentiæ eadem est essentialiter in homine, ac in Deo; & tamen homi-

Tom. I.

nem denominat judicativum, & ratiocinativum; Deo autem solam tribuit judicativi denominationem. Idem ergo de principio ratiocinandi, & sentiendi dicendum. Denique sicut sensatio, & ratiocinatio sunt effectus diversi, & ad diversum ordinem pertinent; ita apprehensio, judicium, & ratiocinatio. Igitur, &c.

Respondetur. Concedo antecedens, & nego consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis est, quia apprehensio, judicium, & ratiocinatio non sunt effectus specie diversi, sed discrepant solo modo, quo idem objectum percipitur. Respiciunt autem idem *formale* objectum, nempe intelligibilitatem, nam in hiscè omnibus operationibus semper homo intelligit, & in objectum fertur, quatenus intelligibile. Potentiae autem, seu facultates specificam suam differentiam depromunt à suis objectis formalibus. At virtus sentiendi respicit objecti sensibilitatem, & virtus ratiocinandi fertur in objectum, ut intelligibile; adeoque referuntur ad duo *objecta formalia* invicem diversa essentialiter.

Judicium porro, & ratiocinatio differunt solo modo percipiendi objectum: Nam ideo homo ratiocinatur, quia finitus cum sit, non potest simul omnia cognoscere, sed ex unius notitia aliam colligit: secus ac in Deo contingit infinito, & perfectissimo. Itaque homo convenit re ipsa cum S Deo

Deo ob virtutem intelligendi : disconvenit autem à Deo in modo intelligendi limitato , & finito, nempe in modo ratiocinationis. Apprehensio autem , judicium , & ratiocinatio sunt effectus diversi quoad modum , non quoad substantiam ; & ideo dicuntur effectus *inadequati* , qui *ad aquata* effectum multiplicitas ab objecti formalis specifica multiplicatione colligitur : illi autem effectus respiunt semper objectum , ut intelligibile. E converso omnia contingunt in sensatione , & ratiocinatione , ut diximus , quæ re ipsa sunt effectus *ad aquati*, quoniam referuntur ad diversum *objectum formale*.

Instabis. Si apprehensio , judicium , & ratiotinatio intra eundem ordinem intellectionis continentur , etiam sensatio , & ratiocinatio intra eamdem vitalis operationis seriem continentur. Parigitur est ratio.

Respondetur. Nego paritatem ex dictis. Quippe ordo vitalis operationis generatim consideratus est quidpiam omnino universale , & indeterminatum. At series intellectionis indeterminata est , & specifica. Facultates autem , ut diximus , à specifica *objecti formalis* differentia unitatem , vel multiplicitatem suam mutuantur.

Eadem ratione superius relata dicimus , animam nostram unica indubitate virtute amare , & odisse , quia semper vult. Dum amat ,

vult alicui bonum ; dum odio habet , vult illi malum.

Objicies 8. Convenientia hominis cum bruto est genericæ, disconvenientia est specifica. Atque convenientia genericæ , & disconvenientia specifica oriri possunt ab eadem virtute. Igitur , &c. Minor probatur. Convenientia genericæ , & disconvenientia specifica invicem non opponuntur. Non enim ad eundem ordinem pertinent , nec una alteram per se se excludit. Ergo , &c.

Respondetur. Nego minorem. Ad probationem , distinguo antecedens : non opponuntur *explicite* , seu patenter , concedo : non opponuntur *implicite* , seu absconde , nego antecedens , & consequentiam. Evidem verum est , convenientiam genericam , & disconvenientiam specificam patenter non opponi , atque unam non præ se ferre expresse negationem alterius ; unde convenientia genericæ non disconvenientia specifica , sed disconvenientia genericæ directe adversatur. Opponuntur tamen occulte in suis principiis. Nam apertam supponunt oppositionem in principiis illis , à quibus oriri intelliguntur. Ita profecto convenientia genericæ à prædicato oriuntur pluribus specie diversis communis : Disconvenientia autem specifica derivatur à prædicato , quod commune non est pluribus specie diversis , sed uni tantummodo speciei proprium , & determinatum.

Quod

Quod quidem oppositionem præ se fert.

Instabis. Identitas realis, & distinctio formalis duorum prædicatorum non exposcunt distincta principia, nec ullam dicunt oppositionem ad invicem. Nec ergo convenientia generica, & disconvenientia specifica. Antecedens patet in Divina Essentia, quæ propter essentiale suam perfectionem infinitam idem est re ipsa cum Paternitate, & ab eadem distinguitur formaliter.

Respondetur. Nego paritatem. Itaque identitas realis, & distinctio formalis ita se habent, ut nulla in ipsis oppositio ostendi possit: immo vero quia unum prædicatum est reali identitate conjunctum alteri, hoc ipso non est formaliter illud alterum, cum quo conjungi intelligitur, nec enim jungitur sibi ipsi. Identitas proinde realis præ se fert, unum prædicatum habere alterum, distinctio formalis declarat, unum prædicatum non esse alterum. At convenientiæ genericae & disconvenientiæ specificæ oppositionem jam probavimus.

Colligitur 1. ex dictis, ad nonnulla alia argumenta parvi momenti dissolvenda, contradictoria esse duplicitis generis. Alia enim immediate afficiunt totam rem ipsam: ut existere, non existere, produci, non produci; & ista exposcunt pluralitatem rerum, & realem distinctionem. Alia vero contradictoria

immediate afficiunt formalitates, seu prædicata metaphysica: ut convenire, non convenire; & hæc explicantur sola formalitatum pluralitate, ac distinctione formalitatum pluralitate, ac distinctione formalis. Via autem contradictionis probamus formalem prædicatorum metaphysicorum distinctionem, ne videlicet contradicentia de eodem affirmantur; unde reapse supponimus prædicatorum metaphysicorum pluralitatem; eamdem vero convincimus extare, & cognosci facimus argumento ex contradictione petito.

Colligitur 2. Distinctionem formalem non præ se ferre quidpiam positivum superadditum ipsis metaphysicis prædicatis, puta animalitati, & rationalitati quippe negatio ista, qua conceptus objectivus unius prædicati non est conceptus objectivus alterius, afficit ipsam et prædicatorum naturam, & rationem formalem. Optime autem asserit Scotus in 1. d. 2. q. 7. distinctionem formalem non esse proprie realem actualiem; sicut, inquit, communiter dicitur realis actualis illa, quæ est differentia rerum. Hinc addit, posse vocari differentiam rationis: non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate rei, secundum quod quidditas est objectum intellectus. Scribit etiam, vocari posse differentiam virtutalem, quia illud, quod habet talem

distinctionem, in se non habet rem, & rem. Loquitur autem de Essentia Divina, & ipsius Personalitatibus. Unde concludit: *Breviter dico, omittendo illa verba de distinctione rationis, & de distinctione virtuali, quod in essentia divina ante actum intellectus, est entitas A, & est entitas B: & hac non est formaliter illa.* Ibidem vero d. 8. q. 4. comparans abstractum cum concreto, nempe sapientiam cum sapiente, optime scribit, ea differre in solo modo concipiendi. Etenim, ut diximus in 1. parte, sect. 1. c. 1. concretum, & abstractum non differunt essentialiter.

Colligit 3. prædicta metaphysica non habere propriam particularem existentiam, aut singularitatem; sed existere, & singularia dici per existentiam, ac singularitatem, rei illius, cui conveniunt. Alioquin ea prædicta hoc ipso essent res: quod est falsum.

DISPUTATIO TERTIA.

De Universalibus.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum admittenda sint re ipsa Natura communes, quæ unitate gaudent essentiali, seu formaliter, & distincte sint formaliter à Singularitatibus?

Quum intellectus noster essentialium prædicatorum similitudinem in pluribus rebus

animadvertisat, ideas quasdam iisdem comunes efformat; vocesque, & terminos universales exprimit, quorum ope eas res velut in unum colligit. Itaque Universale aliud dicitur in caussando, & caussam significat, à qua plures effectus produci queunt: ut Deus; aliud in significando, & vox est hominum institutione indicans plura: ut omnes termini communes; aliud in representando, quod aptum est plura representare: ut imago, vel statua hominis, quatenus quoad exteriorem figuram omnibus hominibus est communis; aliud in essendo, & metaphysicum appellatur, & dicitur unum aptum inesse pluribus cum sui reali multiplicatione, & divisione: quo modo natura humana communis est omnibus hominibus; aliud denique in prædicando, & Logicum nuncupatur, & videtur pluribus inexistere, & de singulis conjunctim posse affirmari.

Dé universalis tum in essendo, tum in prædicando Logici disserunt. Et primum illud dicitur *aptum inesse pluribus*, ut ab individuo, & singularitate secernatur ad unum determinatis: Debet autem realem sui multiplicationem, & divisionem habere: in quo differt à Divina natura, quæ licet tribus Divinis Personis conveniat, omnino singularis est, & individua, quippe illis inexistit sine sui multiplicatione. Hoc autem Uni-

ver-

versale in essendo non intelligitur esse in multis conjunctim , sed ita uni inexistere , ut quantum est ex se se possit pluribus communicari.

At Universale *Logicum* , seu in *prædicando* simul ac semel in multis conjunctim inexistere dicitur , & proxime de eorum singulis affirmari. Hinc vero elucet latum discrimen utriusque Universalis , *Logici* , & *Metaphysici*.

Porro nunc inquirimus , utrum Universale metaphysicum re ipsa sit admittenduni , adeo ut ex. gr. Natura humana vere sit , & dici possit communis omnibus. Ad universale porro duo requiruntur , *unitas* , & *multiplicitas* : in diverso tamen ordine , ne dicamus idem simul esse indivisum , & divisum sub eadem ratione.

Unitas autem , cui multiplicitas adversatur , dicitur *indivisio rei in se* , & *divisio à quocumque alio*. Bifariam porro distribuitur. Nam alia est *essentialis* , seu *formalis* , quæ *indivisionem* præ se fert in *prædicatis* *essentialibus* ; alia *numeralis* , quæ *indivisionem* dicit *individualēm* , & *singularitatis* est *propria*. Pluralitas etiam , seu multiplicitas duplex distinguitur *prædictis unitatibus opposita*. Porro non solam unitatem numeralēm , sed essentialēm etiam , seu formalem re ipsa esse admittendam , probat optimè Subtilis Doctor in 2. d. 3. q. 1. hoc argumento : Si omnis

unitas realis est *numeralis* , omnis diversitas realis esset *numeralis* : quemadmodum appareret ex oppositorum natura. Atqui non omnis diversitas realis est *numeralis*. Omnis enim diversitas *numeralis* est æqualis ; atque adeo omnia prorsus essent æqualiter in vicem diversa , nec Petrus , ex. gr. majori discrimine distinguetur à bruto , quam ab altero homine : quod absurdum est. Ergo re ipsa tum *essentialis rerum diversitas* admittenda est , tum quoque *unitas essentialis*.

Thomistæ solam distinctionem *virtualem* admittentes inter *prædicta metaphysica* , docent , re ipsa admittendas quidem esse *naturas pluribus communes virtualiter* , seu ut inquietunt , *fundamentaliter* , quantum natura fundamentum præbet intellectui , ut eamdem *communem pluribus concipiatur*. Scotistæ distinctionem *formalem* adstruentes inter *naturam* , & *singularitatem* , re ipsa *naturas pluribus communes esse formaliter* , arbitrantur. Aliis Philosophis nihil commune est , nisi vel secundum vocem , vel per conceptum mentis nostræ.

Dicimus , re ipsa admittendas esse *naturas communes* : seu *universale metaphysicum* , & in *essendo*. Assertio est Doctoris Subtilis loco superius laudato.

Probatur. Res specie diversæ in *prædicato metaphysico essentiali generico* re ipsa conveniunt : Ita homo , & brutum assimilantur in

ratione animalis. Res etiam unius speciei, ut Petrus, & Paulus, similes sunt re ipsa in prædicato specifico naturæ humanæ. Atqui similes esse nequeunt per prædicatum aliquod diversæ rationis. Ergo ea naturæ prædicata sunt in illis ejusdem omnino rationis, nec ex se se determinationem habent ad hanc, vel illam speciem, aut ad hoc, vel illud individuum. Ergo natura generica ex se se intelligitur communicabiles pluribus speciebus: ut animalitas homini, & bruto; & natura specifica est ex se se communicabilis pluribus individuis: ut humanitas Petro, & Paulo. Hoc ipso, illæ naturæ sunt revera communes. Igitur &c.

Hinc manifeste sequitur, naturam distingui formaliter à singularitate. Nam per naturam individua re ipsa convenient, per singularitatem re ipsa disconveniunt: quæ duo cum sapient contradictionem, non possunt de eodem enunciari respectu ejusdem, ne idem simul sit, & non sit: quemadmodum præcedenti quæstione diximus.

Sequitur etiam naturam gaudere unitate formali, seu essentiali. Similitudo enim unitatem supponit: quæ sane numeralis esse non potest, nam hæc est ratio differentiæ unius ab altero. Quamvis autem natura specifica, v. gr. humanitas dividatur numerice per singularitates, hæc diviso non aufert ab ea unitatem essentialiem, quia non est huic directe opposita. Quod

idem dicendum est de natura genericæ, quæ specificæ multiplicatur per differentias essentiales.

Respondent, nihil aliud esse commune, nisi voces, & conceptus. Istis autem ajunt correspondere vel inferiora, seu individua omnia confuse, aut ea ipsa vel collectim, vel disjunctim accepta: quæ unitatem habent quidem similitudinis, non tamen veram, sed analogicam, & per metaphoram.

Contra. Voces communes, ut animal, homo non significant nisi naturam animalis, vel hominis ab omnibus suis inferioribus abstractentem. Enim vero non possunt significare inferiora nec confuse, nec collectim, nec disjunctim. Alioquin dum dicimus: *Petrus est homo*, hæc vox homo significaret, Petrum vel esse omnes homines confuse, & indistincte, vel esse omnes homines collectim, vel denique esse hunc, vel illum hominem. Quæ omnes significationes omnino sunt falsæ. Ita dum dico: *Animal*, non dico singulas animalium species. Tum inferiora nequeunt intelligi aut confuse, aut collectim, nisi menti nostræ innotescat notio quædam, in qua confundantur, vel colligantur. Similitudo autem, de qua loquimur, univoca est, & realis. Adeoque &c.

Objicies 1. Quidquid est in mundo, vel est Deus, vel creatura. Atqui Deus est singularis, creatura quoque. Ergo re ipsa nihil extat commune. Secunda pars minoris

probatur. Creatura producitur. Sed omne, quod producitur, est singulare. Igitur &c. Minor probatur. Actio productiva respicit pro suo termino aliquod singulare, cui existentiam tribuit. Hinc illud Boetii omnium ore contritum : *Omne quod est, ideo est, quia unum numero est.* Ergo &c.

Respondetur. Transeat minor. Nam & in Deo esse aliqua prædicta metaphysica, quæ in sui notione singularia non sunt, declarabimus in prima parte Metaphysicæ disp. 1. quæst. 2. Ad probationem, distingo minorem : omne, quod producitur, est singulare, si producatur actione physica, concedo: si producatur sola dimanatione metaphysica, nego minorem, atque ita reliquum argumentum distinguimus. Igitur, ut initio disputationis præcedentis docuimus, res per se se, & physica actione producitur, atque existentiam obtinet & est singularis. At prædicata metaphysica non existunt per se se, sed gratia rei, cuius sunt propria, atque in eorum productione non aliud intelligimus, nisi metaphysicam dimanationem, quatenus res ipsa exigit habere formalitates illas. Dictum porro Boetii veritatem obtinet in rebus, quæ sane existunt directe, & per se se, non autem in prædicatis metaphysicis, quæ non habent existentiam, nisi gratia alterius, & oblique.

Objicies 2. Si asserta similitudo Petri, & Pauli v. gr. quatenus sunt

homines, probaret, humanam naturam esse communem, infinitas admittere oporteret naturas communes. Hoc absurdum est. Ergo non est admittenda natura communis. Sequela majoris probatur. Natura Petri, & natura Pauli sunt similes: ergo per aliam aliquam communem naturam : de qua idem ratiocinari possumus in infinitum. Consequentia probatur. Nam idem dicendum est de Petro, & Paulo, ac de ipsorum natura, sive humilitate.

Respondetur. Nego sequelam majoris. At probationem, distingo antecedens: Natura Petri, & natura Pauli sunt similes, velut rationes quibus Petrus, & Paulus assimilantur, concedo: sunt similes, seu sunt *id quod dicitur simile*, nego antecedens, & consequentiam, ac paritatem. Non enim eadem est habenda ratio de Petro, & Paulo, ac de eorum naturis. Illi quippe sunt *id, quod simile est, ac re ipsa convenit*. At naturæ sunt rationes, quibus individua assimilantur. Quemadmodum ergo corpus vivens appellatur tale per animam viventem ab eo distinctam, nec tamen anima vivens dicitur per aliam animam; ita disserimus ad rem nostram; juxta illud: *Quod est quo in uno genere, non indiget alio quo in eodem genere, nec potest esse quod.*

Instabis. Licet cognitio, quam mens nostra objectum aliquod percipit, sit medium, quo illud cognos-

noscimus, tamen si mens nostra velit cognitionem ipsam distincte contemplari, alia cognitione opus habet. Ergo quamvis natura Petri, & natura Pauli sint medium, quo ipsi convenient, & assimilantur, tamen ut ipse naturæ sint similes, alia indigent communis natura.

Respondetur. Transeat antecedens. Nego autem consequentiam, & paritatem. Mens nostra tunc cognoscit objectum, quando in illud fertur, illudque percipit, & representat. Iccirco cognoscere præ se fert effectricem operationem, unde pertinet ad genus causæ efficientis. Quamobrem ipsa mens nostra aliud medium exposcit, nempe alteram cognitionem, qua in priorem feraatur, & circa illam operetur. At vero denominatio illa convenientiae, seu similitudinis, quæ Petro, & Paulo tribuitur ab eorum naturis nullam efficientiam connotat, sed unice præ se fert, ejusdem speciei essentiam in utroque reperiri, atque ad genus pertinet causæ formalis; quapropter non expostulat medium aliud in ipsis naturis, ut hæ dicantur similes. Permisimus autem illud antecedens, quia, etsi mens nostra indigeat altera cognitione, ut priorem, quam habuit, cognitionem distincte, ac veluti objectum, compleetur; non tamen ut se cognitionem habere sciat. Hoc siquidem scientia ipsa experimentaliter obtinetur, qua quisquis objectum aliquod percipit, certus est, se objecti ipsius cognitione illud in-

tueri: cum id sine cognitione nullatenus possit.

Objicies 3. In ista propositione: *Petrus est homo*, de Petro non enunciatur aliquid commune. Ergo &c. Probatur antecedens. Si de Petro tunc diceretur quidpiam commune, enunciaretur de illo natura realis omnium hominum. Hoc falsum est, & absurdum; de Petro enim non dicitur nisi id, quod ei inest: inest autem ipsi tantum natura eidem propria. Ergo &c.

Respondetur. Nego antecedens. Ad probationem, distinguo majorem: enunciaretur de Petro natura realis omnium hominum, id est, natura re ipsa inexistens omnibus hominibus, nego: id est, natura quantum est ex se se indifferens, & communicabilis aliis hominibus, concedo majorem; & concessa minori, nego consequentiam. In ea propositione non enunciatur de Petro nisi natura ipsi inexistens, sed hæc natura communis est, quia ex se se communicabilis est aliis, & indifferens.

Instabis 1. Atqui natura, quæ de Petro dicitur, non est indifferens, seu communicabilis. Ergo nulla responsio. Minor subsumpta probatur. Si natura Petri esset indifferens ad plura inividua, posset Deus eamdem transferre ad Paulum. Hoc falsum est: ergo &c. Probatur major. Materia, quæ est indifferens ad plures formas, potest transferri ab una ad aliam. Ita & anima, quæ est indifferens, ut sit in

in uno, vel altero corpore, posset ab uno in aliud transferri. Idem ergo dicendum de natura Petri; si hæc esset indifferens.

Respondetur. Nego minorem subsumptam. Ad probationem, distingo majorem; si natura Petri esset indifferens *physice*, concedo: si indifferens sit tantummodo ex se se, seu ut ajunt *logice*, nego maiorem, & eodem modo distingo antecedens probationis. Itaque indifferencia alia est *physica*, qua rebus convenit re ipsa distinctis, ac separabilibus: cuiusmodi sunt materia, & anima. Eas enim res esse, & separabiles compertum est omnibus. At natura Petri dicitur tantummodo indifferens *logice*, quantum ex se se non sibi determinat unam potius singularitatem, quam alteram, etiamsi re ipsa propter realem identitatem cum singularitate Petri sit eidem indissolubiliter affixa, nec possit à Petro amoveri, sive ad aliud individuum transferri.

Instabis 2. Hæc indifferencia *logica* naturæ, quæ dicitur communicabilis, est omnino fictitia. Diceret enim potentiam ad impossibile, nam revera impossibile est naturam Petri communicari alteri individuo. Tum si natura Petri est ex se se indifferens, à quonam determinatur, ut sit potius cum singularitate Petri, quam cum alia? Igitur &c.

Respondetur, indifferientiam illam naturæ non esse potentiam ad impossibile; neque enim est indif-

Tom. I.

ferentia physica. Natura est indifferens tantummodo ex se se, & ex suis intrinsecis; non potest autem re ipsa alteri communicari ob singularitatem Petri, quæ extrinseca est ipsi naturæ, quoniam conceptus objectivus naturæ non includit singularitatem. Ea autem natura determinatur ab ipsa Petri singularitate, veluti in genere causæ formalis. Porro determinativum extrinsecum correspondet soli indifferenti physico; unde natura non indiget hujuscemodi determinativo.

Objicies 4. Si natura esset intrinsece communis, nullo modo posset fieri singularis. Atqui natura est singularis saltem extrinsece. Igitur non est intrinsece communis. Sequela majoris probatur. Quod est intrinsece singulare, nullo modo potest fieri commune. Id patet in Divina Natura, & in ipsa singularitate. Ergo etiam quod est intrinsece, commune, nullo modo potest fieri singulare.

Confirmatur. Quod est ex se se rationale, nullo modo potest fieri irrationale. Ergo si natura ex se se est communis, nullo modo potest fieri singularis. At natura fit singularis. Ergo &c.

Respondetur. Nego sequelam majoris. Ad probationem, concedo antecedens, nego consequentiam, & paritatem. Si enim id, quod est intrinsece singulare, fieret extrinsece commune, haberet actum secundum communicationis sine actu primo. At quando id, quod

T est

est intrinsece commune , fit extrinsece singulare , tantummodo habet actum primum sine secundo , id est , tantummodo caret actu secundo suæ potentia , sive communicabilitatis suæ . Porro compertum est , non posse actum secundum haberi sine primo : posse tamen actum primum carere suo actu secundo , seu exercitio suo .

Ad confirmationem . Nego consequiam . Etenim rationalitas , & irrationalitas sunt duæ differentiæ oppositæ , quæ ad diversas rerum species constituendas ordinantur . Quo circa cum diversæ species semper sint in distinctis individuis , rationalitas , & irrationalitas nullatenus eidem aptari possunt . At natura communis , seu indifferens , ac communicabilis , & singularitas determinata non ordinantur ad diversas rerum species , sed ad idem constitutendum ; & ideo simul esse possunt .

Objicies 5 . Si natura esset communis , & indifferens , hæc indifferentia enunciari deberet etiam de individuis . *Quidquid enim dicitur de superiori , dicitur etiam de inferiori .* Hinc si natura humana est una formaliter in Petro , & Paulo , etiam Petrus , & Paulus dicuntur unum formaliter . Ita & albedo , quæ est in subjecto , denominat subjectum album . Atqui individua dici non possunt indifferentia , & communia . Igitur &c .

Respondetur . Nego majorem . Ut enim diximus in prima parte , sect . 3 . c . 1 . regula illa superioris

ad inferius non obtinet veritatem , nisi secundum suppositionem absolutam . Communicabilitas autem , sive indifferentia ita est propria naturæ , ut eidem soli convenire possit , ac de ea dicitur secundum suppositionem , quam appellant *simplicem* . Hinc quod inest alteri , velut superius inferiori , aut tamquam forma ipsius , utique attribuit illi denominationem formalem specificam , quæ ducitur à prædicato specifico formæ : alias autem denominations ex ceteris suis prædicatis petitas non semper confert : ut albedo ipsa accidentis est , nec tamen subjecto suo hanc accidentis denominationem tribuit . Itaque esse album præ se fert specificam albedinis notionem , & ideo albedo album facit subjectum suum . At indifferentia non est specifica notio naturæ , atque adeo natura non denominat individua indifferentia , sed pro sui diversitate vel rationale , vel irrationali , vel alterius ordinis facit esse individuum . Individua autem dicuntur unum formaliter non secundum rationem sibi propriam , sed secundum naturam .

Objicies 6 . Duæ singularitates re ipsa sunt ejusdem rationis . Una etenim distinguit æqualiter individuum suum ab alio , idemque altera præstat . Personalitates etiam Divinæ re ipsa quatenus personalitates sunt , ejusdem rationis esse intelliguntur ; suo enim modo unaquæque denominat Essentiam Divinam incomunicabilem , Paternitas alteri Patri ,

tri, Filietas alteri Filio. Nihilominus singularitates , & personalitates Divinæ communes non sunt, nullam habent re ipsa unitatem formalem , & se totis distinguuntur. Idem igitur de naturis dicendum.

Respondetur, disparem esse rationem de naturis, ac de singularitatibus, & Personalitatibus Divinis. Singularitates sunt ultimæ differentiæ, adeoque nullo modo possunt inter se convenire , alioquin alia indigerent differentia , atque ita progrederemur in infinitum. Ita & Divinæ Personalitates sunt rationes ultimo constituentes , ac secernentes unam divinam Personam ab altera. Ridiculum autem esset asserere, singularitates, & Personalitates Divinas in hoc convenire , quia rationes sunt differentiales, seu quia sunt rationes disconveniendi. At in naturis, ut diximus, re ipsa individua sunt similia.

Objicies 7. Humanitas , v. gr. Petri secundum se se est ens reale, & existit ; habet etiam entitatem suam, quæ una est , ac determinata. Ergo ex se se est singularis; adeoque non est communis. Tum per solam negationem essendi aliud in animalitate fundatam, fit animalitatem non esse *formaliter rationalitatem*. Ergo per solam negationem communicationis in natura Petri fundatam, fit naturam Petri non esse entitative naturam Pauli; adeoque esse ex se se singularem. Tum si singularitas esset distincta *formaliter à natura* , manaret ab ipsa; a-

deoque si natura est principium, à quo profluit singularitas jam ipsa natura esset ex se singularis.

Respondetur ad primum. Ut diximus existentia primo convenit rei quæ *per se* producitur directe. Hinc licet humanitas Petri includat notionem formalem entis realis , tamen ipsa non existit, nisi gratia totius rei. Habet autem suam entitatem unam , ac determinatam in suo ordine essentiæ, non tamen in suo conceptu objectivo notio nem complectitur singularitatis: quod quidem jam satis supra probavimus. Ad secundum. Quælibet negatio realiter indistincta oritur ab aliquo prædicato positivo: ut declaravimus in 1. parte , sect. 1. cap. 1. Hinc & negatio identitatis formalis in aliquo positivo fundatur: & negatio ipsa communicationis in natura per aliquod positivum præstatur. Hoc autem positivum aliquando est essentia illius, cui negatio convenit , quoties nimirum essentia ipsa ex sua formalis ratione excludit oppositum illud , quod per negationem ab ea removetur : ut animalitas ex suo conceptu objectivo rationalitatem excludit. At quando ipsa essentia ex se se non excludit oppositum, tunc positivum negationis fundamentum est aliquod ab ipsa essentia distinctum: ut in natura contin git, quæ ex se se non excludit, sed potius præ se fert communicabilitatem. Ad tertium. Singularitas non dimanat ab ipsa natura , quia

ab aliquo communicabili non potest manare quidquam incomunicabile. Producitur ergo singularitas à Deo simul cum ipsa re, à qua dimanare metaphysice intelligitur: idem de aliis formalitatibus dicimus.

Objicies 8. Si natura ex se non est determinata, nec erit ex se se indeterminata: quo modo homo ex se nec est albus, nec ex se se est non albus. Et sane ipsa essentialis notio naturæ non præ se fert communicabilitatem. Nam hæc debet esse proprietas ipsius naturæ. Eodem ergo modo singularitas, & communicabilitas sunt proprietates naturæ. Quare vel utraque ab ipsa natura petitur, vel neutra: nec est potior ratio unius præ altera.

Respondetur, naturam non esse ex se se determinatam, sed indeterminatam; atque hoc posterius colligi ex primo. Quippe in prædicatis essentialibus quando unius affirmatio tolitur, ejusdem negatio locum habet, etiamsi propositiones syncategoremate componantur unde valet: *Leo necessario non est homo: ergo Leo necessario est non homo.* In prædicatis autem accidentalibus res è contra evenit, siquidem reduplicatio syncategorematica non præ se fert in illis vim causalitatis essentiae respectu ad accidentarias affectiones, unde vera non est ista ratiocinatio: *Homo ex se se non est albus: ergo homo ex se se est non albus.* Quamvis autem communicabilitas non sit prædicatum

essentiale naturæ in primo modo dicensi per se, tamen est illi essentialis in secundo modo: ut risibilitas hoc sensu pertinet ad essentiam hominis. Non sic se habet singularitas, quæ non est proprietas naturæ, nec ulla tenus pertinet ad illius essentiam. Hinc natura ex se se quidem exigit comunicabilitatem, non tamen sibi determinat unam singularitatem præ alia. Communicabilitas enim fundatur in unitate essentiali, quæ propria est naturæ; singularitas vero in distinctione, & pluralitate numerali, quæ propria est rerum gaudientium essentia, & existentia.

Instabis. Ergo essentia naturæ, & ipsius communicabilitas idem essent realiter perfectissima identitate. Quippe natura per se se adneteret sibi reali identitate communicabilitatem. Porro modus iste perfectissimus identitatis realis solum convenit prædicatis Dei propter illorum infinitatem. Igitur &c.

Respondetur. Nego consequentiam. Itaque argumentum probat, nullam extare proprietatem, quæ ab essentia rei exigatur; quare nec essentia hominis exigeret risibilitatem. Essentia ergo, & proprietas creaturarum non sunt idem perfectissima identitate, nec ratione sui. Quippe res ipsa, seu concretum est illud, quod omnia metaphysica sua prædicata expostulat realiter indistincta, nam realis identitas in creatis ex sola unitate existentiæ provenit, quæ propria est

est concreti ; licet essentia ipsa sit ratio exigita proprietatum. Hæc autem exigentia est finitati admixta & imperfectioni. Quapropter veræ non sunt istæ prædicationes *Rationalitas est risibilitas. Humanitas est communicabilitas.* E converso in Divinis identitas etiam ab infinitate derivatur. Quamobrem divina attributa enunciari possunt invicem etiam in *abstracto*.

Colligate , scientias naturales respicere pro objecto quidpiam commune , quod necessarium est *quoad essentiam* , & cui immediate convenient proprietates , quæ per scientiam demonstrantur. De singularibus autem , ut pote contingentibus , non habetur scientia , nec vera demonstratio.

Coronidis loco præstat quidpiam hic adjicere de eo *Universalis* , quod *Platonicum* appellatur. Visum est Aristoteli Platonis verba durius interpretanti , Platonem universales quasdam naturas à singularibus omnino divisas , & separatas re ipsa constituisse , quarum participatione singularia quælibet in tempore producerentur ; & singulæ rerum species sibimet respondentia universalia participarent : eo ferme modo , quo cera sigilli figura contrahit , sigillo eodem semper manente. Hinc sæpe Aristoteles , scribit admitti non posse universale ut substantiam per se subsistentem , & re ipsa à singularibus separatam , atque hoc universale aut nihil esse , aut confitum esse ab intellectu , & genera ,

ac species , puta animalitatem , & humanitatem idem omnino esse realiter cum singularibus. Quod sane indubium est , cum nihil separati queat à sua essentia. Sed ridiculus error illi Platoni falso adscriptus fuit , nam ipse non aliud constituit , nisi in Divina Mente universales reperiri rerum omnium creandarum ideas : quod verum est. Ita Platonem sensisse scribit S. Augustinus libro 83. quæstionum , quest. 46. & consentit Subtilis Doctor in 1. d. 30.

QUÆSTIO SECUNDA.

An Natura communis sit per indiferentiam , vel per inexistentiam ?

Naturam re ipsa communem esse bifariam intelligimus. Aliquis enim visum est , Naturam esse communem *per inexistentiam* , quatenus nimirum eadem omnino indivisa entitas naturæ sit in omnibus suis inferioribus , ita ut ex. gr. una sit *entitas* humanitatis in omnibus hominibus , eorumque naturæ non sint ex se se , & intrinsece multiplicatae , ac divisæ ; sed tantummodo extrinsece ob distinctas quibus afficiuntur , singularitates. Oportet autem unitatem *entitatem* , ut ajunt , discernere ab unitate *numerali* ; hæc enim rem facit individuam , & omnino singularem illa vero unitas est prædicatorum essentialium. Hinc Natura Divina tri-

tribus inexistentis Divinis Personis non est communis, quia unitatem habet numeralem ex se se, atque ex suis intrinsecis omnino individua est, & singularis. Iстis unitatibus duæ ex adverso multiplicationes, seu pluralitates respondent.

At alii arbitrantur, naturam esse communem tantummodo per *indifferentiam*. Tot igitur inquiunt extare entitatis naturæ, quot sunt inferiora, & naturam humanam, v. g. multiplicem esse ex suis intrinsecis in omnibus hominibus, non quidem numero, sed *entitate*, ita ut prædicata quacumque unius hominis distincta sint à prædicatis alterius. Neque tamen ejusmodi *entitates* naturæ humanæ, ex se se sunt singulares, sed unaquæque earum, quantum in se est, indifferentiam habet *logicam*, ut sit cum una, vel cum altera peculiari individuorum singularitate. Hæc indifferentia non est proxima, quippe præpeditur ab identitate rei cum singularitate, est tamen *remota*, si notio ipsa naturæ consideretur, quæ ex se se nullam repugnantiam præse fert ad unam, vel aliam singularitatem. Quapropter Divina Natura eatenus non est communis, quia est in tribus Divinis Personis omnino eadem *entitative*, nec ullam habet in illis multiplicationem sui, & divisionem.

Hanc sententiam expresse tradit Subtilis Doctor in 2. d. 3. q. 1.

&c. Ad Questionem, dicens: *Secundum unitatem propriam naturæ, ut natura est, natura est indifferentis ad unitatem singularem;* & postea. *Natura habet unitatem sibi proportionalem: quæ est indifferentis ad singularitatem, ita quod non repugnat illi unitati de se,* quod cum quacumque unitate singularitatis ponatur; & quæst. 6. &c. Ad Questionem ergo ait: *Concedo ergo, quod unitas (formalis) realis non est alicujus entitatis existentis in duobus individuis, sed in uno tantum.*

Dicimus, naturam esse communem per *indifferentiam*, non vero per *inexistentiam*.

Probatur. Si natura esset communis per *inexistentiam*, una, & eadem entitas naturæ, in se se nullatenus multiplicata, nec divisa, esset in omnibus hominibus. Hoc plura concludit falsa, & absurdia. Ergo natura non est communis per *inexistentiam*; adeoque communis est per *indifferentiam*; hæc enim sat est ad communitem, ut tum ex dictis liquet, tum ex solutione argumentorum declarabitur. Minor probatur. Si una, & eadem indivisa entitas naturæ omnibus hominibus inexistaret, creatio, & anihilatio essent prorsus impossibilis: tum eodem modo se haberet humana natura ad Petrum, Paulum, & cetera individua, ac Divina Natura respectu Divinarum Personarum. Hæc omnia falsa sunt, & absurdia. Igitur

tur &c. Sequela majoris probatur quoad primam partem. Creatio est productio rei omnino ex nihilo , anhilatio est reductio rei omnino in nihilum. Atqui si una, eademque indivisa naturæ entitas inexistit omnibus hominibus, Deus non posset novum hominem creare ; neque enim is fieret omnino ex nihilo , ipsius quippe natura in aliis jam præexitisset : nec posset unum aliquem hominem Deus anhilare ; non enim iste in nihilum omnino reduceretur , nam ejusdem natura in aliis permaneret. Igitur creatio , & anhilatio prorsus essent impossibilis. Prædicta majoris sequela probatur quoad secundam partem. Divina Natura tribus inexistens Divinis Personis unum facit Deum , & Trinitatis subinde habetur Mysterium , quia Divina Natura omnino indivisa est , & immultiplicata : ad multiplicationem autem concreti substantialis , ut diximus in 1. parte , sect. 1. c. 1. necessaria est multiplicatio tum personalitatis , eum naturæ , & ideo Divina Natura tribus inexistens sine sui multiplicatione non tres Deos , sed unum Deum constituit. Atqui natura humana , si per inexistentiam dicatur communis , & entitative indivisa , ac immultiplicata , unum faceret hominem , non plures. Ergo eodem modo se haberet ; immo vero nec esset communis , nam commune est unum in multis , & plura debet constituere. Igitur &c.

Neque dicas , Naturam Divinam ex se se omnino individuam , & singularem esse , atque hoc ipso unum tantummodo Deum facere , secus ac natura humana , quæ licet entitative eadem sit in hominibus , non tamen est ex se se singularis : nam talis unitas naturæ est entitativa quidem , sed formalis , seu essentialis , non numeralis ; Novam etiam creationem esse possibilem , quia nova singularitas , & nova res primo tunc existeret , ac denique naturam creatam affici distinctis singularitatibus : quo fit , ut plura constituant.

Etenim dum natura creata dicitur afficit distinctis singularitatibus , vel istæ multiplicant , & dividunt naturam secundum entitatem suam , ita ut intrinsece non sit una entitas naturæ in omnibus inferioribus , vel non multiplicant entitatem ipsam naturæ sed eam tantummodo extrinsece afficiunt ? Primum id est , quod probatione nostra convincimus , atque tunc natura non potest esse communis per inexistentiam : ut manifestum est. Alterum vero non sufficit ad concreti substantialis multiplicationem : ut in citata prima parte docuimus , nam etiam Natura Divina extrinsece afficitur pluribus Personalitatibus. Tum natura humana esset tantummodo communicabilis pluribus sine sui divisione , & multiplicatione : quod etiam Divinæ Natu-

ræ convenit. Par igitur semper ratio erit de utraque natura, Divina, & humana quod absurdum est. Quamquam autem in nova hominis creatione nova singularitas, & nova res primo existere dicatur, tamen nova hæc res non produceretur omnino ex nihilo, sed fieret ex natura jam præexistente: quod creationis notionem tollit.

Objicies 1. Si natura, ex. gr. humana esset *entitative* divisa, & multiplicata in omnibus hominibus, tot extarent naturæ, quot sunt individua. Singulis enim individuis singulæ distinctæ responderent naturæ. Hoc ipso natura non esset communis. Ergo si natura est communis, debet talis esse per nonexistentiam. Minor probatur. Duæ entitates naturæ humanæ se ipsis consideratæ, ex se se essent singulares. Ergo &c. Antecedens probatur. Duæ illæ naturæ, etiam ut abstrahunt à singularitatibus, invicem ex se se realiter distinguerentur. Nam una non est alia. Atqui realis distinctio non nisi rebus singularibus convenire potest. Igitur &c.

Respondetur. Nego minorem. At probationem, nego antecedens. Ad hujus probationem, distinguo majorem: realiter distinguerentur, *positive*, nego: *negative*, concedo majorem, & distinguo eodem modo minorem: realis distinctio *positiva* non convenit, nisi rebus singularibus, concedo: *negativa*, nego minorem, & consequentiam.

Duæ illæ naturæ, ut à singularitatibus abstrahunt, equidem distinctæ sunt invicem realiter *negative*, quatenus non sunt re ipsa idem; non distinguuntur tamen realiter *positive*, quia distinctio realis *positiva* res distinctas presupponit, quæ completam habent essentiam, & propria gaudent existentia, cujusmodi sane non est natura, nec ullum aliud metaphysicum prædicatum.

Instabis 1. Atqui duæ illæ naturæ ex se se distinguerent realiter *positive*. Ergo nulla responso. Minor subsumpta probatur. Duæ illæ naturæ ex se se non sunt unum realiter *positive*. Ergo ex se se sunt distinctæ realiter *positive*. Consequentia probatur, nam à quocumque unum oppositorum amoveas, alterum eidem attribuis. Igitur &c.

Respondeatur. Nego minorem subsumptam. Ad probationem, nego consequentiam. Ad hujus probationem, nego consequentiam; & dico, duas illas propositiones non esse contradictorie oppositas: ut ex iis compertum est, quæ tradidimus in 1. parte, sect. 2. c. 3. Constant enim syncategoremate, quod in utraque affirmatur. Illæ ergo duæ naturæ ex se se nec sunt distinctæ realiter *positive*, nec sunt unum realiter *positive*. In eo statu consideratæ nec capaces sunt identitatis positivæ, nec distinctiōnis positivæ. Quomodo non sunt vere contradictoria istæ propositiones?

tiones: *Homo ex sui natura est sapiens: Homo ex sui natura est non sapiens.*

Instabis 2. Illæ duæ naturæ sunt quidpiam positivum. Ergo sunt ex se capaces distinctionis realis *positiva*. Consequentia probatur. Quæcumque distinctio duarum formalitatum est *formalis*. Igitur quæcumque distinctio realis duarum naturarum positivarum, debet esse distinctio realis *positiva*.

Respondetur. Distinguo antecedens: illæ duæ naturæ sunt quidpiam positivum, *proprio sensu*, nego: lata significatione, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem, nego paritatem. Illæ duæ naturæ sunt quidpiam positivum *lata significatione*, quatenus non sunt negationes, aut entia ficta; non tamen *proprio sensu*, quia non sunt verae res. Atque hinc discrimen constituitur assumpta paritatis. Quippe formalitates omnes sic se habent, ut conceptus objectivus unius non sit conceptus objectivus alterius; in quo *formalis* distinctio sita est. At non quodcumque positivum præse fert notionem rei. Distinctio autem realis positiva non nisi rebus convenit completa essentia, & propria existentia gaudentibus.

Instabis 3. Atqui duæ ille naturæ habent ex se se propriam existentiam. Ergo &c. Minor subsumpta probatur. Scotus in 2. d. 3. q. 3. scribit, *Naturam habere existentiam in individuis*, & in 4.

Tom. I.

d. 45. q. 3. inquit: Existentiæ actualis primo convenit naturæ, unde hec natura non est existens formaliter, quia hec; sed per naturam. Igitur &c.

Respondetur. Nego minorem subsumptam. Ad probationem, dico. Scotum priore loco citato id unum contendere, nempe existentiam non esse principium individuationis, sed ex se se quidpiam esse commune; unde ait: *Si natura specifica eadem sit in pluribus individuis; habet existentiam ejusdem rationis in eis.* Idem docet in 4. ubi etiam tueretur, existentiam primo intelligi in natura, quatenus natura non est singularis, nisi sit existens.

Objicies 2. Singularitas, v. g. Petreitas est indifferens, quantum ex se se, ut sit cum hac, vel illa humana natura; & tamen non est communis. Ergo licet natura humana sit indifferens, quantum ex se se, ut sit cum hac, vel illa singularitate, non est communis. Igitur indifferentia non sufficit, ut aliquid sit commune; adeoque si natura est communis, talis est per inexistential.

Respondetur. Distinguo antecedens: Singularitas est indifferens *active*, concedo: *passive*, nego antecedens, & consequentiam, & paritatem. Singularitas, ex. gr. Petreitas est indifferens *active*, ad hanc, vel illam naturam contrahendam, & determinandam; unde semper facit idem, nempe Pe-

V trum.

trum. At natura est indifferens passive, quatenus ex se se potest contrahi, & determinari ab hac, vel illa singularitate; unde successive cum diversis singularitatibus intelligitur constituere plura. Indifferentia autem necessaria, ut aliquid sit commune, talis esse debet, per quam fiant plura: cujusmodi est indifferentia passiva, sed non indifferentia activa.

Instabis. Propositio ista: *Aliquis homo est sapiens*, indeterminata est, & indifferens, atque ad plures homines referri potest, & tamen non est communis. Idem ergo dicendum de indifferentia naturæ. Nam & natura ad aliquam unam singularitatem refertur; neque enim existere potest, nisi sit singularis.

Respondeatur, disparem esse rationem. Etenim illa propositio suppositionem continet personalem, nec subjectum illius ad plures hominis referri potest, nam semper unum respicit, licet indeterminate acceptum. At natura, ut diximus, facit plura. Ipsa autem natura ad aliquam singularitatem habendam ordinatur, velut ad suis determinativum, non tamen ex se se unam potius præalia exigit: licet ob realem identitatem separari non possit ab ea, quam re ipsa habet.

QUÆSTIO TERTIA.

Virum Universale Logicum sit pos-
sibile; & an recte, ac sufficien-
ter dividatur in quinque Prædi-
cabilia; & quænam
illa sint?

Universale Logicum, de quo impræsentiarum disserimus, est illud, quod simul & semel pluribus inexistere intelligitur; & de singulis conjunctim posse affirmari; ut diximus in quæst. I. Atque hinc discriben appetet ejusdem Universalis ab Universali Metaphysico, seu natura communi, quæ potest quidem pluribus inexistere, & de illis enunciari, sed tantummodo disjunctim: nec in id potentiam habet proximam: ut Universale Logicum; sed remotam, ut supra declaravimus.

Habet autem Universale Logicum unitatem, & multiplicatatem; unitatem essentiale, & entitativam, ut eadem natura dicitur esse in pluribus conjunctim, & pluralitatem numeralem, per quam natura ex se se nequaquam singularis, talis fit ab individuilibus differentiis rerum, de quibus universale enunciatur.

Quia vero nihil potest de re aliqua enunciari, nisi in illa sit; siccirco essència Universalis Logici per inexistèntiam constituitur; ad quam sequitur posse illud de ijsdem enunciari. Explicatur au-

tem per hoc , quod dici queat de pluribus , quia id notius est *in-existentia* , & quia siccirco universalis notio exhibetur , ut appareat , qua ratione superius enunciari possit de inferiori .

Porro compertum est ex dictis : ejusmodi Universale Logicum re ipsa non existere , quippe natura omnis est à singularitate realiter indistincta , adeoque non habet potentiam proximam , & expeditam inexistendi pluribus conjunctim , neque potest simul idem esse re ipsa cum pluribus individuis realiter distinctis . Inquirimus igitur , an Universale Logicum concipi queat à nostro intellectu , occasione accepta ab ipsis naturis communibus , tum quæ dicenda sit ejusdem Universalis distributio , disputamus .

Dicimus , Universale Logicum effungi posse à nostro intellectu , & rectissime distribui in quinque Universalia , seu Prædicabilia . Ita Doctor Subtilis in 2. d. 3. p. 1. & quæst. 12. Universalium . Hæc porro sunt *Genus* , *Differentia* , *Species* , *Proprium* , & *Accidens* .

Probatur prima pars . Cum enim intellectus noster cognoscat , naturam ex. gr. humanam , quantum est ex se , indifferentem esse ad hoc , vel illud individuum , & in suo conceptu objectivo non præse ferre singulariter , sed esse distinctam formaliter ab ipsa ; hinc abstrahere potest à natura humana hoc singularitatis impedimen-

tum , eamdemque concipere velut proxime inexistentem in pluribus individuis , de quibus conjunctim possit enunciari . Nihil sane adversatur huic mentis nostræ conceptui , quin potius ipsa rerum natura occasionem intellectui exhibet ejusmodi universale effingendi . Igitur Universale Logicum effigi potest à nostro intellectu .

Dices . Ea ratione , qua Universale Logicum re ipsa extare non potest , etiam à nostro intellectu effungi nequit . Ergo &c. Antecedens probatur . Ideo Universale Logicum existere non potest re ipsa , quia unitas formalis per inexistentiam , & multiplicatio naturæ inter se opponuntur . Atquæ duo hæc ne quidem per opus intellectus componi possunt . Alioquin enim intellectus expresse assentiretur duobus contradictoriis , naturam nempe indivisam , & divisam esse numero , nam licet hæc numeralis divisio non tollat unitatem per *indifferentiam* , aufert tamen unitatem per inexistentiam . Igitur &c.

Respondetur . Nego antecedens . Ad probationem , nego minorem . Utique unitas per *inexistentiam* , & multiplicatio naturæ re ipsa opponuntur ; tamen non ita res se habet penes intellectum nostrum , quia intellectus in efformatione Universalis non concipit naturam , ut unam numero , & immultiplicabilem , sed tantummodo ut unam per *inexistentiam* unitate , vel ge-

merica , vel specifica , simul vero eamdem naturam concipit divisibilem vel genere , vel numero , & cum divisio numerica non tollat primafacie unitatem specificam , nec divisio specifica unitatem genericam , ideo intellectui non apparet expressa contradictione , licet hæc re ipsa , & abscondite , seu implicite habeatur : quod ultro concedimus : fatemur enim , Universale Logicum esse ens rationis , cui tamen effingendo occasionem præbet ipsa natura rerum .

Insertur ex dictis . Naturam Divinam non esse universalem logicę , quia in pluribus quidem extat , sed sine ulla sui divisione , ac multiplicatione . Ita etiam si una , eademque forma accidentalis indivisa esset in pluribus subjectis , non esset universalis , quia non haberet multiplicationem in illis .

Probatur secunda pars . Universale logicum in tot classes rectissime distribuitur , quot diversis modis commune aliquod pluribus inexistere , & de illis prædicari intelligitur . At quinque tantummodo sunt hi modi , nec plures , nec pauiores . Ergo Universale logicum rite distribuitur in quinque Prædicabilia . Major evidens est , quia Universale est unum in multis . Minor probatur . Quod commune dicitur , vel pertinet ad essentiam rei , vel eidem ex accidenti aptatur ? Si primum , pars illa essentiæ , quam ab altera contrahi , determinarique intelligimus , Genus est : ut Animal ;

at illa quæ contrahit , & determinat , Differentia appellatur : ut rationalitas . Quod si essentiam totam complectatur , species habetur , quæ ex genere , & differentia coalescit : ut animal rationale . Si secundum aut necessaria quædam connexio intercedit , & Proprium , sive Proprietas dicitur : ut visibilitas , vel denique nullus es hujusmodi nexus , & Accidens est : ut albedo respectu hominis . Quinque adeo sunt modi quibus commune pluribus inexistit , ac de illis enunciatus . Ergo quinque sunt Universalia , quæ Prædicabilia nominant .

Eadem Universalis Logici distributio ostenditur aliis terminis , qui ex capite prædicabilitatis ducuntur , quam diximus esse proprietatem Universalis logici . Tot sunt Prædicabilia , quot sunt modi prædicandi de pluribus . Hi quinque sunt . Ergo quinque pariter sunt Prædicabilia . Minor ostenditur . Quidquid prædicatur de pluribus , vel prædicatur in quid seu per modum essentiæ , vel in quale , seu per modum adjacentis ? Si in quid vel in quid complete , & sic habetur Species ; vel in quid incomplete , & sic habetur Genius . Si prædicatur in quale , vel in quale , quid , & est Differentia ; vel in quale accidentaliter ; & hoc bifarium , vel convertibiliter , & inseparabiliter , & tunc est Proprium , vel inconvertibiliter , & separabiliter , & tunc est Accidens . Quæ omnia distinctius apparebunt ex singulorum prædicabilium descriptione , quam

quam postea trademus. Ultra autem hos quinque modos prædicandi alius minime patet. Igitur &c.

Objicies 1. ex Gassendo. Universale unum est dumtaxat, nimirum *Genus*. Nam Veteres omnes Poetæ, Oratores, Jurisconsulti, Philosophi, quin insuper Aristoteles ipse *hominem* appellaveret *Genus*; quod nempe numeralis discretiva ratio, sive singularitas, sit pars quædam essentialis cuiuscumque hominis, & æquæ unum hominem ab altero discrepare faciat, ac rationalitas homines à brutis secernit. Non ergo quinque Prædicabilia sunt constituenda.

Respondeatur. Veteres non semper proprio, & ad regulas logicales accommodato sensu locutos fuisse: quod nec nos ipsi facimus. Sane nomen illud, *genus*, quandoque usurpatum prout est principium generationis uniuscujusque, vel ab eo, qui genuit; vel à loco, in quo quis generatus est. Sic Plato genere Atheniensis dicitur; & Vir nobilis genere itidem nobili natus. Quotiescumque ergo Veteres non id incumbebant, ut logicalem doctrinam explicerent, latiori significatione hominem *genus* esse dixerunt. At aliquando etiam proprio sensu *genetis* nomen accepere. Unde Cicero lib. 1. de Inventione, cap. 28. diserte scribit: *Genus est, quod partes complectitur, ut animal: pars est, qua subest generi, ut equus.* Et Aristoteles lib. 3. Metaphysicæ, c. 2. *Genera, inquit, divisibilia sunt*

in species... Non enim est genus homo aliquorum hominum. Porro Numeralis, & essentialis differentia discrimen ille solum minime inteligit, qui quantum homo à brutis differat, non satis perspectum habet. Cum igitur differentia specifica sit principium operandi, unde ex illius varietate diversi quoque promanant effectus, siccirco illa ad rei essentiam, ac naturam pertinet. Non ita profecto differentia numericalis, seu singularitas, quæ non est principium effectivum operationum, nec res facit essentialiter diversas esse. Hæc ergo essentiale diversitatem inter homines ipsos minime constituit, cum tamen rationalitas hominem à bruto essentialiter discernat; nisi quis velitter minimis abuti ad instar illius, qui asseveraret, corpus album, ut album est, essentialiter à nigro discriminari.

Objicies 2. Divisio illâ universalis plurimum redundant. Ergo non est admittenda. Consequentia patet; nam divisio debet fieri per membra patiora, quantum possibile est. Antecedens probatur. Universale satis apte distribueretur in duo tantum, nempe *in quid*, & *in quale*, quorum unum nempe ad essentiam rei pertineat, alterum illi conveniat ex accidenti: quemadmodum sane Animal communis sensu in rationale, & irrationale, discernitur: etsi plures species sub hac parte continantur.

Respondeatur. Nego antecedens.

Ad


Ad probationem, nego antecedens, & paritatem. Constituta à nobis distributio universalis aptior est. Nam si universale in illa duo tantum supraea capita divideretur, ea immediata distributio non explicaret modos illos omnes, quibus commune aliquid pluribus aptari intelligitur, nec proprium uniuscujusque universalis effectum, ac characterem manifestaret. Quæ duo declarare ad Logicum maxime attinet, & ab eo præstari facile possunt. Non ita munus est Logici omnes rerum naturas, differentias ve perscrutari : quod & pene impossibile est, & mentem ipsam obfueret ; quare nobis satius est in illa consistere immediata animalis divisione.

Colligit, minui non debere numerum *prædicabilium*, eo quod quatuor tantum sint *prædicata Topica*. Licet enim *prædicatum*, & *prædicabile* idem sint quoad rem, differunt tamen secundum rationem. *Prædicata Topica* ea sunt, quorum ope omnis quæstio dubitabilis, seu problema solvi potest, & quatuor sunt : *Definitio*, *Genus*, *Proprium*, & *accidens*. Cum autem sciepsia non sit de singularibus, ideo quæstionis objectum est *Species*. *Differentia* vero ad *definicionem* pertinet. At numerus *prædicabilium* à modis diversis *prædicandi* colligitur, quos esse quinque am ostendimus. Hæc etiam duo invicem distinguenda sunt, videlicet, *prædicatum univocum*, & uni-


voce prædicari. Ad illud enim sufficit, si ratio quæ enunciatur, sit eadem in pluribus : sive ad essentiam illorum pertineat, sive illis conveniat tantummodo ex antecedenti. Ad *univoce prædicari* idem est ac *prædicari essentialiter*. Universale Porro prædicatur ut unum, priore modo, non secundo; seu est quidem *prædicatum univocum*, sed non omne universale *prædicatur univoce*.

Objicies 3. Constituta universalis distributio videtur deficiens. Ad eam enim *prædicabilium* divisionem pertinere non possunt propositiones istæ : *Deus est homo* : *Verbum est homo* : *Christus est homo*. Nec sane recenseri possunt sub *accidente*; nam accidentia nequeunt affirmari de suis subjectis eo modo, quo homo dicitur de Deo ; hic enim prædicatio vicisim valet. Hinc Scotus in 3. d. 7. q. 1. scribit: *Nul-
lam dari unionem illi similem*; similem nempe unioni humanitas cum Divinitate in Christo. Igitur &c.

Respondetur, priores illas duas propositiones : *Deus est homo*: *Verbum est homo* ad quintam universalis clasem pertinere, nempe ad *accidens*; quippe ex accidenti humanitas conjuncta est Divinitati. Quāmobrem quoadmodum prædicandi, & quoad rationem formalē unionis non discrepat unio illa ab ea, qua materiam cum formalē unitam esse intelligimus. In eo tantum diversa est, quod utrumque unionis hypostaticæ extrellum est subs-



MINTS OF THE UNITED STATES



substantia completa : quo modo non sunt cætera. Hoc ipsum tradit Doctor laudatus , unde hanc dicti sui rationem exponit : *Quantum enim est ex parte ejus , quod prædicatur , est species tantum ; & ad dit : quantum est ex parte modi , habere similem habitudinem accidentis.* At vero cum subjectum tertiae propositionis : *Christus est homo* , sit complexum , & ex æquo significet duo in ejusdem suppositi unitate colligata ; naturam videlicet humanam , & naturam Divinam : ipsum autem prædicatum sit incomplexum : Iccirco prædicatio illa non est adæquata , sed referri debet singillatim ad singulas subjecti partes . Quare si ad naturam humanam referatur , species erit ; si ad Divinam erit accidentis , ut nuper diximus.

Objicies 4. *Genus* , quod dicitur de pluribus differentibus *specie* , & *species* , quæ enunciatur de pluribus differentibus numero constituant duo *prædicabilia*. Ergo etiam *differentia genericæ* , quæ dicitur de pluribus differentibus *specie* & *differentia specificæ* , quæ enunciatur de pluribus differentibus numero , debent constituere duo *prædicabilia*. Ergo *prædicabilia* sunt sex.

Respondetur. Nego consequentiam , & paritatem. Disparitatis porro hæc est ratio , quia *Genus* & *Species* diverso modo enunciantur , illud quidem , ut pars essentiæ per aliam determinabilis ; hæc ut tota essentia. At *differentia tam generi-*

ca , quam *specificæ* eodem semper modo dicuntur , nempe ut pars essentiæ alterius determinativa. Numerus autem *prædicabilium* colligitur solum ex diverso modo , quo commune potest de inferioribus enunciari ; non vero ex majori , vel minori distantia inferioris à superiori.

Colligitur , hunc terminum , *aliquis homo* non posse de multis enunciari , sed semper significare tantummodo unum , & singulare aliquod , quamvis indefinite acceptum , unde dicitur *Individuum vagum*. Hinc nequaquam est universale , quia non dicitur de pluribus. Singulare autem , quatenus inferioris esse intelligitur , & sua prædicata superiora suscipere , in quinque classes distribuitur ; quatenus referri intelligitur ad quinque *prædicabilia* , quæ de eo enunciantur , velut superius de inferiori. Ex diverso etiam capite *prædicabilia* , ac *prædicamenta* distinguimus : illa quidem ex diversis modis , quo aliquod commune potest de pluribus dici , & hi modi sunt quinque , ista vero ex rerum varietate , quæ enunciari possunt , & has decem esse suo loco declarabimus.

Nunc singula præstat describere *prædicabilia*. Est proinde *genus* , illud , quod prædicatur de pluribus differentibus *specie* per modum partis essentialis , que ab altera determinatur , ac veluti contrahitur : quæ ultima verba ita consueverunt Logici exponere : *in eo quod quid* . Ni-

mirum genus, ut animal, est pars essentialis per differentiam specificam contracta, & determinata.

Differentia est illud, quod de pluribus dicitur, veluti eorum pars essentialis, determinativa, & contractiva generis; sive ut ajunt in quale quid, id est per modum alteri adjacentis, attamen essentialiter: ut ex. gr. rationalitas, quæ animal contrahit, ac determinat ad hominem, cuius est pars essentialis.

Species illud appellatur, quod prædicatur de pluribus numero invicem discretris, veluti completa illorum essentia: quod dicunt prædicare in quid: Species porro ex genere, & differentia coalescit, ut humanitas, quæ ex animalitate, & rationalitate componitur.

Proprium illud est, quod prædicatur de pluribus, nec ad illorum essentiam pertinet; necessario tamen essentia copulatur: quod ita expoununt: in quale accidentale necessario. Ita visibilitas est proprium, seu proprietas hominis, de quo prædicatur per modum adjacentis, nec illius essentiam constituit, sed essentia ipsius necessario connectitur.

Accidens nominatur id, quod de pluribus enunciatur velut attributum contingenter iisdem conveniens, & nullam habens necessariam connexionem cum illorum essentia: quod prædicari dicunt: in quale accidentale contingenter. Ita albedo de homine dicitur, velut attributum eidem adjacens ex accidenti, & nullatenus attinens ad ipsius essentiam.

Genus, Differentia & Species triplicis sunt ordinis, Supremi, Medii, & Infimi. Suprema dicuntur, quoties genus non habet supra se genus alterum, nec species speciem aliam, nec differentia differentiam. Media appellantur, quando tam supra se, quam sub se aliud habent sibi quoquo modo simile: Infima nominantur, cum illorum nihil est post ea: sed genus habet speciem immediate sub se; differentia, & species post se singularia immediate respiciunt.

Speciei autem infimæ, quam superius descriptimus, correlativum est Individuum, sive singulare, quod per uniuscujusque peculiarem differentiam numeralem constituitur, & à quocumque alio discernitur. Unde Individuum de uno tantum dicitur; etsi aliquando indefinite, ut se habet terminus iste: Quidam homo. Attamen cum omnes differentiae numerales suo modo & que distinguunt ultimo individua, ideo intellectus effingere potest super eas differentias conceptum quemdam communem ex quadam analogica earum proportione. Sed hæc Singularitas communis non potest habere veram rationem speciei, quia conceptus iste semper est imperfecte præcisus. Porro nobis pro statu isto non aliud patet modus, quo unum Individuum possimus ab altero discretum cognoscere, nisi ex diversa accidentium collectione, quam singularia quæque variam pro sua multiplicitate for-
tiun-

tiuntur. Hinc celebre, & tritum illud.

*Forma, Figura, Locus, Tempus,
cum Nominis Sanguis,
Patria sunt septem, quæ non habet
unus, & alter.*

Hæc omnia, quæ nuper exposuimus, distinctius apparent in Typo Arboris Porphyrianæ, quem hic adjicimus. Recta arboris linea complectitur Genera, & Species, quæ ad singularium naturam pertinent. *Substantia* Genus est Supremum in hac rerum sensibilium coordinatione. *Corpus*, & *Vivens* ut Genera sunt Media, ita illud Species suprema appellari potest, & istud Species Media. Hoc nomen etiam aptari potest *animali*, quod Infimum Genus est. At Homo Species Infima dicitur, quoniam non nisi per numerales discretiones distribuitur, in *Petrum* tempe, *Porphyrium* &c. In aliis duabus lateralibus lineis istius Arboris designantur differentiæ, quæ intelliguntur determinare, & contrahere Genera, atque una cum illis Species componere. Ita *Corporeum*, & *Incorporeum* sunt Differentiæ supremæ: *animatum*, & *Inanimatum*; *Sensitivum*, & *Insensitivum* dicuntur Differentiæ Mediæ. Ultimo loco collocantur Differentiæ Specificæ, seu infimæ, *Rationale* nimirum, & *Irrationale*. Ubi animadvertas oportet, impræsentiarum nos nequaquam asseverare, Ir-

Tom. I.

rationalitatem esse Differentiam proprio sensu Infimam. Novimus enim, irrationalia animantia specificè invicem, & essentialiter differre. Ergo differentia illa infima est respectu hujuscce coordinationis; nec ad Logicum pertinet omnes, & singulas rerum differentias perscrutari.

Homo tamen infimam vere, proprieque Speciem significat; ut nimurum homines quotquot sunt sola numerali differentia discrepant. Quæ vero de Satyris, & Faunis venditantur, ea fabulosa sunt: quandoque autem & Dæmonum ludificationes fuere: ut quod refertur à S. Hieronymo in Vita S. Pauli Eremitæ. Fatuos quoque homines omnes, & si nec minimam præ se ferant rationis speciem, veros homines esse arbitramur, ejusdemque speciei cum aliis, infantium instar; utrosque enim baptismatis capaces esse Ecclesia credit.

Animadvertis autem in hac serie nullam expressam mentionem Angelorum fieri, quia hæc est coordinatio rerum sensibilium; quamquam illi sub differentia *incorporea* satis comprehendantur. Quæ vero differentiæ negativo modo traduntur, cum negationem dicant realiter indistinctam, quidpiam positum præ se ferunt: ut docuimus in 1. parte, sect. 1. c. 1. Ita & vivens in hac coordinatione pro solo vivente sensibili, & materiali accipitur.

Differentia, ut diximus, dividit

X

Ge-

Genus, & Speciem constituit. Non est autem universalis per ordinem ad Genus, quia universale respicit plura ut sibi inferiora; Genus autem est superior, non inferior ipsi *Differentia*. Species quoque non est quidquam inferior *Differentia*, sed ei potius aequalis, quare *Differentia* nec respectu Speciei est universalis. Potest etiam *Differentia* comparari ad propria sua inferiora, v.gr. rationalitas ad hanc, vel illam rationalitatem, atque tunc de illis prædicatur per modum Speciei. Quatenus ergo *Differentia* est, universalis dicitur per ordinem ad inferiora Speciei, v. gr. rationalitas respectu Petri, Porphyrii &c. nam de ipsis prædicatur velut superior, & ut pars essentiæ ipsorum, determinativa generis.

Species quoque subjicitur Generi, immediate, & directe, ut *Homo animali*, atque hoc sensu non est universalis, quia tunc non respicit plura, nec inferiora. Est adeo universalis, quatenus prædicabilis est, & enunciari potest de pluribus sibi inferioribus: cuiusmodi sunt respectu *Hominis Petrus*, & *Porphyrius &c.* Hæc individua dicuntur completa, quia ultimo dividuntur, & solo numero discrepant. De hisce porro Genus non prædicatur, nisi media Specie; ideo enim Petrus est animal, quia est homo.

Proprium quadrifariam accipitur. Primo enim proprium dicitur, quod convenit soli speciei, sed non omnibus individuis ejusdem spe-

ciei: ut esse Medicum congruit homini. Secundo, quod convenit omnibus individuis speciei, sed non huic soli: ut homini esse bipedem. Tertio, quod convenit soli speciei & omnibus ejusdem individuis, sed non semper: ut homini ridere reapse. Quarto *Proprium* vero sensu de quo nunc disserimus, illud est, quod convenit soli speciei, omnibus etiam ejusdem individuis, & quidem semper: ut homini risibilitas. Hoc sensu vera est proprietas, & quartum prædicabile. Est autem universalis nec per ordinem ad Genus, nec respectu Speciei, quia non respicit illa, ut inferiora. Si comparetur autem ad inferiora sua propria, ut risibilitas ad hanc, vel illam risibilitatem, induit modum speciei. Est adeo quartum prædicabile per ordinem ad inferiora illius naturæ, cuius est proprium.

Accidens aliud est, *Prædicamentale*, seu *ens aptum inherere subiecto*, unde differt à substantia, quæ per se existit; aliud vero *prædicabile*, quod contingenter de subiecto enunciatur, & potest adesse, & abesse à subiecto præter subjecti corruptionem. Et illud quidem semper est forma accidentalis, hoc autem potest esse etiam forma substantialis, ut anima dicitur accidentis corporis, quia contingenter illi inest, & vitam tribuit, cuius privatio mors dicitur. Constituitur autem quintum prædicabile, non per ordinem ad propria inse-

tiora : ut albedo respectu hujus, vel illius albedinis ; nam de istis prædicatur per modum speciei; sed per ordinem ad subjecta : ut albedo respectu parietis, hominis, papyri &c. quemadmodum liquet ex iis, quæ supra exposuimus.

QUÆSTIO QUARTA.

An sit possibilis Natura quedam immultiplicabilis ; eaque à nostro intellectu concipi possit, ut logice universalis.

QUAM Thomistarum opinio tradat unamquamque rem esse individuam, & singularem per materiam quantitate determinatam, ac in singulis distributam, arbitrantur illi, possibilem esse Naturam numero non multiplicabilem; immo vero docent, ejusmodi Naturam re ipsa extare, & quoniam Angeli non constant ex materia nequaquam possibles esse plures Angelos solo numero discretos. Aliorum autem Philosophorum communis assertio huic opinioni adversatur. Hæc igitur sit quæstio nobis impresentiarum proposita. Quod si Natura quedam immultiplicabilis numero dicatur possibilis, videndum superest, an ea posset à nostro intellectu concipi velut universalis logice; utrum vero ad effingendam ejusmodi logicam universalitatem necesse sit, re ipsa existere plura inferiora, aut saltem ea esse possibilia.

Dicimus naturam numero immultiplicabilem in rerum creatarum ordine non esse possibilem: hanc vero Naturam immultiplicabilem (si quidem possibilis foret) non posse à nostro intellectu concipi, ut logice universalem. Ita docet Scotus in 2. d. 3. q. 7. & quæst. 18. Universalium.

Probatur prima pars. Deo illud omne possibile est, quod contradictionem non sapit. At Naturam omnem creatam numero multiplicari non præ se fert ullam contradictionem. Ergo Deo possibile est, Naturam quamcumque creatam multiplicare numero. Igitur Natura hæc creata immultiplicabilis non est possibilis. Et sane Natura omnis est bona, Bonum est sui diffusivum. Ergo omnis Natura communicabilis est. Atqui sola Divina Natura, utpote infinite perfecta, communicari potest pluribus sine sui divisione. Ergo quælibet Natura creata, cum sit finita, & limitata, potest pluribus communicari cum sui divisione, & multiplicatione. Nulla igitur Natura creata est immultiplicabilis numero.

Confirmatur. Animæ rationales, etsi spirituales, & ex materia prima nullatenus compactæ, ejusdem quidem speciei sunt in omnibus hominibus, sed numero multiplicatae. Ergo etiam Angelorum natura est multiplicabilis numero. Quod vero reponunt Themistæ, animam rationalem esse multiplicabilem numero ratione subjecti, sive ordinis

ad corpus; non solvit argumentum. Etenim ordo animæ rationalis ad corpus supponit animam ex se se *individuam*; Nam ordo ille relativus est: omne autem relativum rem in sua entitate absolutam præsupponit; cum prius sit esse, quam dicit ad aliud. Materiam autem primam non esse principium *individualitionis* probabimus in 1. parte Metaphysicæ, disp. 3. quæst. 4.

Dices. Angelii sunt formæ simplices. Ergo inter eos sola habetur differentia formarum. Sed hæc est omnino specifica. Igitur Angelorum Natura non est numero multiplicabilis. Hinc Aristoteles lib. 8. Met. t. 10. formas comparat numeris, qui se totis distinguuntur. Tum lib. 2. de Anima t. 29. scribit, multitudinem individuorum haberi ad conservationem speciei: quod Angelis incorruptibilis nequaquam adscribi potest. Denique Divina Omnipotentia magnificabitur, si fateamur, ultra tot species, rerum numero multiplicabiles alias etiam non multiplicabiles effici posse.

Respondeatur, formas differre invicem, & secundum gradum specificum si diversæ sint speciei, & secundum rationem numeralem, si intra eamdem speciem continantur. Igitur in qualibet forma distinguitur ratio specifica, & ratio individualis. Angelus, & Animæ differunt specie, & numero: duæ Animæ rationalis idem sunt specificæ, & numero distinguuntur; atque ita duo Angeli ejusdem spe-

ciei differente numero inter se. Nec verum est omnem formarum differentiam esse specificam. Ceterum Angelii non sunt formæ simplices, quasi nullam admittant compositionem prædicatorum metaphysicorum; hæc enim iisdem convenit, quia entia sunt finita, & limitata. Formæ autem ab Aristotele comparantur numeris quoad earum differentiam essentialē tantum, quæ se totis distinguuntur à formis specie diversis. Multitudo porro individuorum primario oritur ab intrinsecis naturæ, quæ bona est, ac proinde sui difusiva, & communicabilis. Et quamvis conservatio speciei sit caussa multiplicacionis individuorum, non tamen est caussa unica. Quod si Divina Virtus magnificanda est quemadmodum pro certo tenemus, potestas eidem concedi debet sub quacumque specie creandi plura individua; neque tamen dicere possumus, Deum efficere posse impossibilia.

Probatur secunda pars. Universale Logicum effingitur quidem à nostro intellectu, occasione tamen accepta ab ipsa rerum natura, unde non est ens rationis mere commentitium, sed cum fundamento in re. Hinc mens nostra non potest concipere Naturam Divinam, ut logicæ universalem, quia hanc cognoscit ex se se omnino individuam, & indivisibilem. Ergo si supponamus, possibilem esse naturam creatam immultiplicabilem, nullum ista præberet intellectui nos-

tro fundementum, quo eam pluribus coniunctim inexistentem effingeret, sed ea menti nostræ obversaretur, velut ex se se omnino singularis, & individua. Non igitur eam posset intellectus concipere, ut logice universalem. Et sane hæc Universalitas ordo quidam est superioris ad inferiora; sed si inferiora sint omnino impossibilia: quod contingere, data natura creata immultiplicabili, ordo iste, seu relatio nec esse, nec intelligi posset. Igitur &c.

Hinc sequitur, Genus, & Speciem subsistere nequaquam posse, si eorumdem inferiora sint omnino impossibilia. Quod idem verum est etiam de Natura communi, seu de Universali Metaphysico. Una tamen existente specie, & cæteris possibilibus Genus haberetur, quemadmodum & Species, uno extante individuo, & ceteris possibilibus; tunc enim plura inferiora etsi non extarent re ipsa, fierent tamen intellectui nostro objective præsentia.

Neque dicant Thomistæ, unico existente individuo, & reliquis impossibilibus, intelligi semper posse naturam specificè universalem, quatenus ita eadem comparetur mente nostra ad proprium individuum, ut dicatur eidem superior, & indifferens, atque communicabilis aliis individuis, si hæc possilia forent.

Nam ejusmodi responsio expresse continet contradicentia. Supponit enim naturam omnino immul-

tiplicablem, & dum plura ejusdem naturæ individua ut possibilia effigunt, naturam ipsam aperte supponit multiplicabilem. Talis autem hypothesis semetipsam destruit; nec admitti potest, ut diximus in 1. part. sect. 2. c. 2.

Objicies. Indifferentia, & communicabilitas pluribus individuis est proprietas humanae naturæ Petri, adeoque realiter indistincta est ab ipsius essentia. Atqui essentia rerum, quibuscumque aliis repugnantibus, sunt omnino immutabiles, tum quoad prædicta, easdem constituentia, tum quoad prædicta quæ ipsas necessario consequuntur. Ergo repugnantibus omnibus individuis, solo Petro existente, nihilominus natura Petri esset indifferens, adeoque communicabilis, & communis. Igitur natura immultiplicabilis fieri potest à nostro intellectu universalis; & species potest subsistere in uno individuo, ceteris impossibilibus.

Respondetur. Distinguo majorem: est proprietas relativa, concedo: absoluta, nego majorem; atque sic distincto reliquo argumento, nego consequentiam. Communicabilitas naturæ humanæ est proprietas intrinseca ipsius, & realiter indistincta. Sed ideo hæc proprietas naturæ necessario convenit, quia ipsa ex suis intrinsecis bona cum sit, & sui diffusiva, necessario præ se fert possibilitatem alterius naturæ similis, plurimumque individuorum. Quapropter si hanc tol-

tollas individuorum possibilitatem necesse etiam est, ut adimas proprietatem illam naturæ; nam dato uno impossibili, & alterum admitti debet cum priore necessario connexum; illa enim naturæ proprietas non est absoluta, & ad se, sed relativa; quare sublato termino & ipsa tollitur: quo modo si supponas nullum intelligibile esse possibile, consequens est etiam, ut intellectivam quoque animæ rationalis facultatem fatearis esse impossibilem. At tum hæc, tum communicabilitas naturæ sunt proprietates realiter indistinctæ, quia earum terminus revera semper est possibilis.

Instabis. 1. Quacumque admissa hypothesi, hominis essentia iisdem constaret essentialibus prædicatis, quibus nunc componitur. Ergo semper animalitas prædicaretur, ut pars determinabilis; & rationalitas ut pars determinativa. Adeoque &c.

Respondetur. Nego consequentiam. Quippe tunc animalitas non posset dici pars determinabilis, nam ad hominem solum esset ex se se determinata, quemadmodum rationalitas ipsa; si aliæ species animalium essent impossibles. Tunc ergo animalitas perficeretur quidem à rationalitate, sed non determinaretur.

Instabis 2. Si creaturæ omnes essent impossibles, nihilominus Omnipotentia Dei esset Omnipotentia: Idemque dicendum de Omniscentia Dei, repugnante quo-

cumque intelligibili. Ergo repugnantibus etiam inferioribus; nihil tamen minus natura esset communicabilis. Consequentia probatur. Ut enim communicabilitas ad terminum refertur, ita Omnipotentia virtus est productiva rei producibilis. Par igitur est ratio.

Respondetur. Nego consequentiam. Ad probationem, nego antecedens, & discriminis rationem exhibeo. Non est idem judicium ferendum de Deo immutabili, ac de creatura mutabili; quapropter omnis divina perfectio est independens à creaturis, ne mutabilem faciamus Deum, & imperfectum. Itaque Omnipotentia Divina bifariam considerari potest, vel *absolute*, vel *relative*. Priore sensu est perfectio Dei absoluta, ad se, & omnino à creaturis independens; atque hoc sensu perseveraret, etiam quacumque creatura repugnante. *Relative* considerata non aliud est, nisi relatio quædam rationis à nostro intellectu concepta, ordinis instar in Deo fundati, & terminati ad creaturas; atque hoc modo, repugnantibus creaturis, ne intelligi quidem potest. Idem dicimus de Omniscentia Dei, cuius etiam objectum primarium, & motivum est Divina Essentia, nam creaturæ non aliud sunt, nisi objectum mere terminativum, & secundarium. Divina autem cognitio refertur tantummodo ad Divinam Essentiam, velut ad objectum

tum primarium, & motivum.

DISPUTATIO QUARTA.

De Prædicamentis.

QUÆSTIO PRIMA.

Quot sint conditiones necessaria ad Coordinationem Prædicamentalem,
& an Deus in ea Coordinatione constitui possit?

PER ideas universales plura in unum colliguntur, ut diximus, & intellectus noster plures res, quatenus similitudinem habent, instar unius complectitur. At quatenus res ipsæ invicem dissimiles sunt, distribuuntur in classes diversas, quæ Prædicamenta, seu Categoriae appellantur. Ita enim fit, ut res omnes, in suum quæque ordinem digestæ, facilius definiri, ac dividi possint, & per se se singillatim acceptæ, distin-ctius nobis innotescant.

Itaque Coordinatio Prædicamentalis est certa quædam, & determinata rerum series ab intellectu nostro constituta, per quam unicuique rei locus proprius designatur, juxta proportionem, quam ipsa met res inter se se ipsa servant. Quamobrem ea Coordinatio non ad arbitrium conficta est à nostro intellectu, sed illam mens nostra disponit occasione accepta à natura ipsarum rerum.

Hic autem recollenda sunt ea, quæ in priore parte diximus de

Univocis, Æquivocis, Concretis, Definitione, & Divisione, quippe eorum notitia præcedere debet disputationem de Prædicamentis, unde illa dicuntur *Anteprædicamenta*.

Sex porro arbitramur esse regulas, seu conditiones, quas rebus ipsis convenire præsupponimus, ut illæ in seriem Prædicatorum transferri possint. Hæ conditiones duobus hisce carminibus comprehenduntur:

Ens per se, Non mentis opus, Cui terminus, Atque Completum, Univocum, Cujus sit notio simplex.

Primo itaque id, quod in classe Prædicamentali constituitur, debet esse Ens per se. Ens autem per se illud dicitur, quod unica gaudet essentia. Huic opponitur Ens per accidens, quod duas ex æquo præse fert essentias. Cum enim Prædicamentum cuique essentiae proprium designet locum ad confusionem omnem tollendam, siccirco non nisi Ens per se in classe una Prædicamentali collocatur, & Ens per accidens, quatenus unam essentiam dicit, ad unam Prædicamenti classem referri debet, quatenus alteram essentiam præse fert, ad aliud quoque Prædicamentum pertinebit.

Secundo debet esse Ens reale, & non mentis opus, quia ipsammet rerum naturam imprimætentia-

rum consideramus. Quapropter *Entia rationis*, quæ à nostro intellectu effinguntur, nec veram essentiam habent, à Prædicamentis rite excluduntur. Negationes quoque, cum nihil sint, ad Prædicamenta non pertinent.

Tertio debet esse Ens Finitum, cui nempe *terminus* sit. Quippe Ordo Prædicentalis ex generibus, & speciebus componitur, quorum unum de altero prædicatur, eoque caret, ut res quæque subinde definiri, ac dividi queat: carentia autem finitatem dicit, & limitationem. Hinc Deus ad hunc rerum ordinem non pertinet. De quo distinctius postea.

Quarto debet esse Ens *completum*. Cum enim ea, quæ ad Prædicamenta pertinent, per se se, & immediate debeant esse subjectum, vel prædicatum, sola entia completa in Prædicamento statuuntur. Entia quippe incompleta, quæ non sunt ejusdem rationis inter se, & cum suo toto, ut brachium, v. gr. & caput respectu humani corporis, non possunt prædicto modo subjectum esse vel prædicatum in propositionibus; unde non vallet: *Corpus est caput: Caput est corpus*. Hic vero animadverterendum est, *Genus* collocari in Prædicamento, quia etsi re ipsa sit quidpiam incompletum, completum tamen est quoad modum prædicationis, quia prædicatur substantive, & per modum per se stantis. *Differentia* autem, quæ di-

citur adjective, & per modum adjacentis, præ se fert semper notionem partis, & à Prædicamento removetur.

Quinto debet esse Ens *Univocum*; & hoc ex nuper dicta ratione confirmatur. Generis enim, & Speciei notio quidpiam est essentiale, nec potest iis esse communis, quæ non sunt univoca, sed æquivoca. Individua autem univoca sunt ratione speciei, & ideo basis sunt Prædicamenti, quia Species in illis terminatur.

Sexto debet esse Ens *Simplex*, cuius nempe notio simplex sit, ut res omnes singillatim distribuantur, unicuique suus ordo constituantur.

Objicit sane Gassendus, si sex velimus conditiones ad classem Prædicentalis dicere necessarias, posse pro cuiusque libito etiam conditiones desiderari, alias ut ens videlicet sit *corruptibile*, vel *corporeum*, vel *inanime*. Verum nos sex illas conditions ratione adjuncta probavimus, nempe ut subjecta, prædicata, genera, species, ceteraque similia ordinentur, & in classes distribuantur. At nullam Gassendus rationem affert, ut senarium numerum conditionum augendum esse convincat. Immo è contra *Corruptio* ad rerum destructionem, non ad earum naturam, & constructionem pertinet. *Animata* etiam, & *Angeli* rite in Prædicamento collocantur, quippe illis omnia convenire novimus, quæ de-

desiderari possunt, ut in ea serie disponantur.

Potior in hac quæstione difficultas est de Deo; An videlicet Deus ipse in Prædicamento colloqui possit. Proinde.

Dicimus, Deum non posse rite constitui in Coordinatione Prædicamentali.

Probatur. Coordinatio Prædicamentalis non est confitata pro arbitrio, & sine ratione; sed rerum natura occasionem exhibet eam efformandi coordinationem, quatenus nempe ipsa rerum natura ex genere, & differentia conflatur, quorum unum altero caret unde & compositionem præsse fert. Deus porro infinite perfectus cum sit, perfectissima identitate vindicat sibi omnes perfectiones possibles, nulli compositioni locum facit, nec in eo unum attributum altero caret. Ergo non potest rite constitui in Coordinatione Prædicamentali. Hinc S. Augustinus lib. 4. Confessionum c. 16. n. 29: dolet, se Deum mirabiliter simplicem, atque incommutabilem, in Prædicamento olim reposuisse; Et Honorius Augustodunensis, lib. de Cognitione veræ vitæ, c. 3. (inter opera Augustini), loquens de Prædicamentis ait: *Ab his omnibus proprietatibus summa essentia evidenti ratione penitus excluditur.*

Objicies 1. ex Gassendo. Nihil obstat, quo minus Deus in Prædicamentali serie constituantur.

Tem. I.

Igitur &c. Probatur antecedens. Quantumvis Deum finitum concipiamus, in se ipso tamen semper infinitus permaneret; nec nostra cogitatio quidpiam Deo adiicere, vel detrahere potest. Ergo &c.

Confirmatur. Topici Deum constituant in serie Caussarum; Physici in numero Moventium. Ergo Deus poterit etiam colloqui à Logicis in Prædicamento.

Respondetur. Nego antecedens. Ad probationem, nego suppositum. Suponit enim argumentum, Coordinationem Prædicamentalem esse mere fictitiam, & commentiam: quod ex dictis falsum est. Si Gassendus ergo Deum finitum concipere velit, nihil certe detrahet Deo; neque tamen Divina Natura occasionem præbere potest illius conceptus, & iō omnes, qui quid Deus sit non ignorant, conceptum finitatis Deo adversari apprime intelligunt. Topici Deum ut primam omnium causam celebrant, & Physici notionem primi motoris eidem attribuunt. Sed duo hæc limitationem, imperfectionemque minime supponunt, quarum occasione dicantur. Quod si quis velit Deum considerare ut causam Prædicamentorum omnium, per nos usque licet.

Objicies 2. S. Augustinus lib. 5. de Trinitate tria prædicamenta Deo attribuit, substantiæ nimirum, relationis, & actionis. Alii etiam

Patres Deum dicunt esse sub genere. Immo & Aristoteles sæpe Deum distinguunt ut quidam substantia inferioris; Igitur &c.

Respondetatur. S. Augustinum citato in libro Prædicamentum accepte latiori quadam significacione, quatenus tria illa Trinitatis mysterio utcumque exponendo conseruant, & Dei substantiam relationes Divinarum Personarum, earumque processiones satis comode explicant. At quæ fuerit S. Doctoris sententia, ubi prædicamentum propria significatione summaritur, apparet ex dictis. Genus etiam quemadmodum & substantia sæpe ut transcendentalia considerantur, quo sensu abstrahunt à finitate, & infinitate. Ita locutus fuisse Patres cum Theologis dicimus. Aristoteles etiam hanc considerationem Substantiam accipit.

Objicies. Christus constituitur in Prædicamento substantiæ. Sed Christus est Deus. Ergo Deus collocatur in Prædicamento.

Respondetatur. Distinguo maiorem: Christus ut homo est, concedo: ut Deus est, nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Christus in Prædicamento substantiæ constituitur secundum humanitatem, quæ finita est; non vero secundum Divinitatem, quæ est infinita perfecta.

Instabis. Atqui Christus constituitur in Prædicamento substantiæ,

ut i Deus est. Ergo nulla responsio. Minor subsumpta probatur. Naturæ substanciales collocantur in Prædicamento, quatenus concretae sunt, ut videlicet naturam præ se ferunt, & suppositum, seu personalitatem. Atqui Personalitas Christi est idem realiter cum Deitate. Ergo Christus, etiam prout Deus est, constituitur in Prædicamento substantiæ.

Respondet. Nego minorem subsumptam. At probationem, distingo maiorem: ita ut subsistentia, seu personalitas sit ratio formalis, ob quam neutra ponatur in Prædicamento, nego: ita ut personalitas, seu subsistentia sit mera conditio ad id prærequisita, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Quamquam enim natura, quæ in Prædicamento constituitur, debeat esse completa, & subsistens; tamen ipsa subsistentia, seu Personalitas non est formalis ratio, ob quam natura ita disponatur, sed conditio tantummodo prærequisita in ipsamē natura, quæ collocari debet in Prædicamento; oportet enim, naturam illam esse alteri incommunicabilem. Hanc porro denominationem Personalitas tribuit naturæ, quatenus Personalitas est, non vero quatenus finita est, vel infinita.

QUÆS.

Peripatetici decomilat prædicamenta recensent, Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Actionem, & Passionem, Ubi, Quando, Situm, & Habitum.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quot sint Prædicamenta?

Celebris est Pythagoreorum sententia viginti Prædicamenta adstruēnūt, ut decem sint bonorum entium, & totidem malorum. Priora dicebant esse, *Finitum, Par, Unum, Dexterum, Masculum, Quiescens, Rectum, Lucem, Bonum, Quadratum. Posteriora, Infiniūm, Impar, Mūltitudinem, Sinistrum, Feminam, Motum, Obliquum Tenebras, Mālum, & altera parte longius.* Ex Recentioribus Petrus Ramus decem hæc Prædicamenta oposuit sententia Peripateticorum, nimirum *Causam, Facta, Subjecta, Adjuncta, Opposita, Comparata. Noninūm Rationem, Divisionem, Definitionem, & Testimonium.* Recentiores alli arbitrantur, res omnes ad septem veluti suprema capitā referri posse, videlicet ad *Mentem*, quæ, ut illis placet, nihil est nisi substantia cogitans; ad *Materiam*, seu *Corpus*, substantiam videlicet extensam: ad *Mensuram*, quæ rei magnitudinem determinat, & *Quantitas* dici potest; ad *Situm*, vel inter res alias *Positionem*; ad *Figuram*, *Motum*, & *Quietem*. Unde illud:

Mens, Mensura, Quies, Motus, Positura, Figura.

Sunt cum Materia cunctarum exordia rerum.

Peripatetici decomilat prædicamenta recensent, Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Actionem, & Passionem, Ubi, Quando, Situm, & Habitum.

Dicimus, Peripateticorum sententiam vederi ceteris præponendam; adeoque decem esse numeri Prædicamenta. Ita Subtilis Doctor, quæst. I. Prædicamentorum Fatemur autem, assertionem hanc evidenti ratione firmari non posse.

Probatur ergo hac ratione satis probabili. Omne ens vel est *Substantia*, sive per se se existens; vel *Accidens*, sive alteri adjacens, & inhærens. Hoc vero vel est in ipsa substantia, eam extendens impenetrabiliter, & *Quantitas* dicitur; aut eam accidentaria ornat perfectione; & appellatur *Qualitas*; aut ordinem, dispositionemque partium in ipsa substantia praese fert, & *Situs* habetur. Vel substantiam in loco esse ostendit, & dicitur *Ubi*. Vel ad tempus eam refert, & nominatur *Quando*. Denique si in substantia significet ordinem ad aliud, habetur *Relatio*. Vel substantiam operari notat, & est *Actio*. Aut indicat substantiam pati, & *Passio* nominatur. Aut substantiam dicit possidere vestem, vel ornatum, & appellatur *Habitus*. Totidem quoque interrogaciones circa rem aliquam fieri possunt: ut ratiocinanti manifestum fiet. Ergo decem rite

constituant Prædicamenta; adeo ut ad has decem classes omnia referantur.

Aliorum autem Philosophorum opiniones in pluribus deficiunt. Etenim Pythagoricorum placitum ab ipsa coordinationis prædicamentalis notione longe vagatur. Prædicamentum siquidem ex complectis rebus coalescit, quarum una quæque in suo ordine genus supremum sit, speciesque sub se complectatur, ut subjecti, prædicative notio iis aptari possit. Quæ omnia Pythagoricis prædicamentis haud quaquam convenient. Petrus Ramus dum Peripateticorum principia everteret nititur, eadem adstruit. Quæ enim ab eo Prædicamenta appellantur, regulæ sunt illæ, quibus nostra Dialectica maxime continetur: ut ex 1. parte facile colligent omnes. Inscite tamen regulas has Prædicamenta nominat, quoniam Prædicamentum classes incomplexas præse fert ad confusionem omnem adimendam. At regulæ illæ sunt classes complexæ, & argumentorum promptuaria quedam; non genera suprema, sub quibus res omnes disponi possint, & ordinari. Aliorum Recentiorum Categoriarum, si illas excipiās, quæ cum nostris coincidunt, æqualibus premuntur difficultatibus. Aut enim non sunt vera entia realia: ut Motus; aut sunt negationes: ut Quies; aut dispositiones externæ: ut figura, quæ est quantitatis exterior terminatio. Mens ad Substantię Categoriam

pertinet, uti & Materia; & Positura ad situm. Quamobrem nihil hic addiscere potuimus, novi ex Recentiorum doctrina: quorum argumenta omnia jam præoccupavimus. Certum denique est, non esse constituendum unicum tantummodo Prædicamentum. Nec enim haberetur finis ille, quem hie intendimus; quoniam res omnes permanerent confusa, & indistinctæ.

Objicis. 1. Sufficiunt ad res explicandas duo supra genera, quæ sub se cætera contineant, nimirum *Substantia*, & *Accidens*. Ergo sine sufficienti ratione constituantur decem Prædicamenta. Probatur antecedens. Prædicamentum *Substantia* unicum statuitur, & si substantiæ omnes sint inter se diversæ. Ergo unicum etiam sat erit Prædicamentum *Accidentis*, licet accidentia omnia sint inter se diversa. Igitur. &c.

Respondetur. Nego antecedens. Ad probationem, concedo primam partem antecedentis, & distinguo secundam: substantiæ omnes sunt inter se diversæ, natura sua, concedo: quo ad modum *essendi per se*, nego. Atque hinc pater disparitas; Unicum constituitur Prædicamentum *Substantia*, quia unus est modulus, quo substantia omnis *per se esse* intelligitur. At novem rite diximus Prædicamenta *Accidentium*, quia novem enumeratis modis accidentia afficiunt, & denominant substantiam. Prædicamenta autem instituta sunt ad confusionem tol-

Iendam: quod minime obtinetur, nisi explicetur modus, quo res una aliam afficit, & denominat. Hinc intellectus noster cum ad interrogationem, *Quid sit res*, percipit eam dici substantiam, quiescit; At si reponi intelligat eam esse accidens, ulterius inquirit: quodnam Accidens sit.

Objicies 2. ex Gassendo. Ultra decem expositas interrogations fieri possunt etiam aliæ: ut *an res sit?* *per quid sit?* *cujus causa sit?* *cum qua sit?* Addimus, de homine inquiri posse: An sit Princeps, vel Subditus? an Episcopus? & similia. Hinc etiam Le Clerc parte I. Logicæ cap. 5. scribit debuisse Aristotelem in serie prædicamentali enumerare omnes accidentium species, omnesque species substantiarum: tum accidentia quoque spirituum debuissent recenser: Quies corporum, & Ideæ universales. Igitur jure augendus erit prædicamentorum numerus.

Respondetur, propositas à Gassendo interrogations non augere numerum prædicamentorum. Etenim interrogatio, *an res sit?* extra questionem est. Siquidem supponimus rem ipsam esse, ut ea sit questionis, seu interrogations subjectum. Allatae interrogations aliæ ad relationem pertinent, vel significant ipsius rei principia intrinsecæ. Denominationes Principis, Subditi, Episcopi &c. sunt extrinsecæ, & ab hominum voluntate derivantur, & si characterem in-

trinsecum supponunt, ad qualitatem reducuntur: quæ autem tantummodo extrinsecæ sunt, non sunt vera entia realia, nec proinde pertinent ad coordinationem prædicamentalem. Nec necesse fuit, omnes accidentium species enumerate; satis enim est, si generalia capita recenseantur, ad quæ omnes accidentium species reducuntur quoad modum, quo substantiam afficiunt, & dominant. Et quia substantiarum modus unus est, unicum rite statui Prædicamentum substantiarum jam diximus; nec singulæ ipsius species debent describi, quia omnes substantiarum unum, eundem modum habent essendi per se. Accidentia spirituum ad qualitatem pertinent. Quies, ut diximus, est mera negatio motus. Ideæ universales sunt figura nostra intellectus, & ideo non continentur in serie prædicamentali.

Objicies 3. A causa formali, & à causa finali duo depromi debent prædicamenta: quemadmodum duo colliguntur à causa efficiente, & à causa materiali, nempe *actio*, & *passio*. Deinde in loco situ, & habitu intelligitur *actio* quædam ipsorum respectu corporis, & *passio* quædam istius. Ergo sicuti *actionem* generatim, & *passionem* ut duo prædicamenta constituimus, etiam ubi *activum*, & *passivum*; *situs actius*, & *passivus*; *habitus actibus*, & *passibus* alia debent esse prædicamenta. Igitur augendus est numerus prædicamentorum.

Respondetur ad primum, disparem

rem esse rationem. Et enim finis non est vera, & realis causa, sed metaphorica tantum, & moraliter alliciens, siccirco Categoriam minime constituit: maxime cum ipsa causa efficiens propter finem operari intelligatur. Causa autem *formalis* ad prædicamentum *habitus* reducitur, quoniam illius effectus non est quidpiam realiter ab ea discretum, sed est ipsamet causa formalis communicata subjecto. Apparet autem ex his discrimen inter duas hasce saussas, & caussam efficientem, ac materialem. Ad secundum. *Situs activus*, & *passivus* (idemque vallet de *ubi*, & *habitu*) nihil de novo vere productum connotant: quod tamen significant *actio*, & *passio*. Quamobrem probabilior ratio suppetit pro decem tantummodo prædicamentis constituendis.

Colligite, prædicata realiter indistincta, ut potentias animae, v. g. modos etiam intrinsecos, ut finitas in creatura, ad ea prædicamenta reduci, quæ propria sunt rebus illis, quibus convenient: entia autem artificialia esse entia per accidens, pluribusque re ipsa essentias constare: adeoque non constitueret classem aliquam prædicamentalem.

An vero prædicamenta omnia sint inter se realiter distincta, quæstio est in variis distracta opiniones pro diversa Philosophorum sententia de Relationibus. Nam qui relationes in creatis rebus docent reales non esse, it tenent, prædicamen-

ta non esse invicem realiter distincta; ut nimurum eadem res possit collocari in prædicamentis distinctis: etsi non secundum eamdem omnino rationem. Ita albedo in istorum sententia secundum se pertinet ad *qualitatem*; ut vero simul cum altera albedine afficit duo subjecta, & intellectui administrat occasionem illa ad invicem referendi, uti *similia*, ad *relationem* attinet. Scotistæ autem, qui relationes in creatis putant esse reales, & formam præ se ferre extremis relatis supperadditam, docent prædicamenta realiter invicem distinguiri, adeo ut rerum species constituent invicem omnino diversas, & disparatas. Itaque hujuscem Quæstionis solutionem ex iis colligere licet, quæ postea fusius tradituri sumus quæst. 3. de *Substantia* etiam, & *quantitate* speciatim disseremus in quæstionibus sequentibus. Quamobrem nunc allorum prædicamentorum notitiam exhibemus.

Qualitas.

Qualitatis vox ad omnia extendi potest, quæ alteri sunt adjectiva. Unde Aristoteles in Categoris c. 8: *Qualitatem* generatim acceptam ita describit, id, secundum quod *quales* aliqui dicuntur. Descriptionem hanc Recentiiores Philosophi derident, quod ea nihilo doctiores nos efficiat. Sed cum supra genera vix accurate definiri possint, & *Qualitas* latissime fusa sit, & ad-

em-

omnia fere pertineat, non alia meliori ratione nec ab ipsis Recentioribus Qualitas universim omnino considerata describi potest.

Impræsentiarum tamen Qualitas pro accidentariis absolutis affectionibus accipitur, & ita describitur: *Est forma accidentalis absoluta ratione cuius subjectum ea affectum potest intendi, & remitti.* Est autem *Intensio*, quando forma illa major, sive gradu perfectior in eadem subjecti parte intelligitur: Si minor sit, *Remissio* habetur. Id ergo primam Qualitatis declarat proprietatem, seu potentiam *suscipiendi magis, & minus*, sive plures gradus aut pauciores. Altera Qualitatis proprietas est, ut secundum Qualitatem subjectum ipsius simile, vel dissimile alteri dicatur. Tertia addi potest proprietas nempe *habere contrarium*; etsi proprietas hæc non omni qualitati conveniat; nam lux contrarium non habet.

Prædicamentum Qualitatis hæc ratione ordinari potest. Qualitas primo distribuitur in *spiritualem*, & *corpoream*. Tum hæc in *sensibilem* & in *non sensibilem*. Sensibilis in *visibilem*, & *non visibilem* dividi debet. Deinde *visibilis* in suas quæque particulares species: ut *color* in *albedinem*, *nigredinem* &c. olli. Quadripartita etiam accidentalis altera divisio Qualitatis designatur. Primo loco est *habitus*, & *Dispositio*. *Habitus* est *facilitas* quædam *operandi repetitis actibus comparata*, quæ si *imperfecta* sit, nec

firmiter radicata, dicitur *Dispositionis*. Secundo *Potentia naturalis*, & *Impotentia*. Prior est *vis à natura insita ad agendum*: que ramen agenti ex accidenti conveniat. Posterior est *virtutis bujus desensus*. Tertio, si Qualitas diu maneat in *subjecto*, dicitur *passibilis Qualitas*; si non, dicitur *passio*. Quarto loco *Figura*, & *Forma* recensentur. *Figura* aut est *dispositio*, & *terminatio partium Quantitatis*: quæ *Forma* nominatur, quando *subjecto congruit*.

Actio dicitur *Agentis actus*, ut *Agens est*, sive *ordo quidam*, & *relatio transmutantis ad transmutatum*. *Passio* est *ordo effectus ad caussam suam*, sive *transmutatio ad transmutans*. Duo hæc prædicamenta, sicut & quatuor sequentia, dicuntur relations extrinsecus advenientes: quod genus relationis explicabimus quæst. 5. *Actio*, & *passio* cum mutatione contingunt, ac se se mutuo inferrunt.

Actio alia *immanens* nominatur, alia *transiens*. Illa nihil procreat extra ipsum agens: ut *visio*, & *cognitio*. Hæc efficit aliquid extra ipsum agens, ut *calefactio*, & *luminatio*.

Prædicamentum *Actionis* ita distribui potest. *Actio* dividitur in *Actionem anima*, & *actionem corporis*. *Actio corporis* in *substantiam*, *le-*

lem , & in accidentalem , quarum prima habet pro termino quidpiam substantiale , secunda aliquod accidentale . Hæc dividitur in instantaneam , quæ fit in instanti , & in successivam , quæ pro aliquo tempore durat . Denique omnes subdividuntur in plures species infimas . Passio eodem modo distribui potest .

Ubi , & Quando.

Ubi rem in loco esse declarat . *Quando* significat rem coexistere temporis . Et quoniam nihil est tempore , & loco notius , siccirco duo hæc inter prædicamenta habentur . Per illud prius intelligitur ordo quidam inter superficiem continentem , & rem ab ea inclusam : qui ordo mutus est . Per hoc posterius significatur extrinseca duratio rei , quæ aliquando incipit esse , & præsens est tempori , cui coexistit , & à quo mensuratur . Horum Prædicamentorum proprietates , & divisiones declarantur in Physicis .

Situs & Habitus.

Situs ordinem dicit illum , quem partes corporis inter se se , & in loco servant . Hinc mutato etiam loco idem *Situs* permanere potest : ut dum homo sedens de loco in locum transfertur . *Situs* supponit corpus , cui convenit , suis jam qualitatibus affectum . Distribuitur autem in rectum , & flexum ; tum in stationem , sessionem , recubationem &c.

Habitus est corporis ad vestes , &

ornamenta , quibus induitur , relatio . Hinc apparet ad hanc relationem necesse esse , ut unum sit in alio . Coordinatur autem , & distribuitur pro varietate vestium , & ornamentorum . Ad *Habitum* pertinent etiam formarum omnia communicationes , quæ materiam , aut subjectum quocumque formis affectum constituunt . *Situs* , & *Habitus* non sunt merere artificiales , quia ipsorum necessitas à natura oritur . Animadvertisimus etiam idem non esse *habere vestem* , ac ipsa vestis ; nam *vestis* est substantia , *habere vestem* est accidens .

Modi prædicamenta consequentes.

Prædicamenta omnia nonnullas habent communes veluti affectiones , inter quas præcipue recensentur *Ordo prioris* , & *posterioris* , & *ea connexio* , qua quædam sunt simul . Unum porro esse potest prius altero , aut *duratione* , sive *tempore* : ut adolescens puerum præcedit ; aut *ordine* , ut Dux prior est Milite ; aut *caussalitate* , quo sensu *caussa effectum suum præcedit* ; aut *natura* , quoties unum prius alio intelligitur , quoniam ab eo non dependet , sed hoc alterum absque illo existere non potest ; aut *honore* : ut superior inferiorem præcellit . Quæ omnia sic breviter explicantur :

Tempore , *natura* , *prius ordine die* ,
& *honore* ,

Et caussa effectu dicitur esse prior.

Ple-

Pleraque etiam ita connecti possunt, ut sint simul, hisce sequentibus modis.

*Tempore dic simul, quorum genera-
tio nunc est.*

*Quæ convertuntur dicimus esse simul.
Suntque simul Species Genus unum
distribuentes.*

Theologi prioritatem addunt Originis, qua Divinarum personarum Processionem exponunt, omni prorsus imperfectione semota.

QUÆSTIO TERTIA.

*Quinam sit conceptus essentialis
Substantia?*

Substantia nomine in serie Prædicamentali intelligitur Res per se existens, attamen finita. Hujus Divisio in Arbore Porphyriana apparet. Sex autem ipsius Proprietates recensentur. Prima dicitur, *Non esse in subiecto*. Etenim cum Substantia sit per se se, non potest alteri inhærere; hoc est, non potest in suo esse pendere à subiecto diversi generis illi communicando perfectionem accidentariam, quæ ad specificam essentiam rei non pertineat. Quamquam substantiales Formæ à materia itidem substantiali pendent, in qua recipiuntur, & quam determinant ad unam, vel alteram rerum speciem. Secunda est, *Non habere contrarium*. Nempe quia duæ Substantiae ex se

Tom. I.

se invicem non opponuntur, licet pro multipli essentia sua varias affectiones expostulent, ob quas aliquando ad invicem adversantur: ut Ignis, & Aqua. Tertia, *Non suscipere magis, & minus*. Siquidem cum Substantiæ notio essentialis præ se ferat esse per se, Substantiæ omnes in hac ratione indivisiibili omnino sunt æquales. Quarta, *Suscipere contraria*. Sunt enim Substantiæ, pro varia natura, & differentia ipsarum, multiplicibus, contrariisque affectionibus donatae. Quinta, *Univoce prædicari*, id est, de altero prædicari essentialiter. Hoe vero solis substantialibus prædicatis convenit, quæ ab Aristotele appellantur secundæ Substantiæ. Sexta, *Significare hoc aliud*, nempe aliud, quod nullatenus commune sit, sed omnino individuum ac singulare. Hoc autem solis singularibus substantiis congruit, quas Aristoteles *Primas Substantias* nominat.

Ut essentialis illa notio Substantiæ, quam *Perseitatem* dicunt, distinctius percipiatur, quid ea sit expendere juvant, atque hoc ipsum præsenti evolvimus quæstione. Cum autem Substantia considerari possit, & quatenus finita est, ac *Prædicamentalis* dicitur; & quatenus universim omnino accipitur, & conceptu suo abstrahit à finite, & infinitate, atque Deo etiam communis esse intelligitur, & *Transcendentalis* appellatur, animadvertere oportet *Perseitatem*.

Z

non

non esse propriam solius substantiæ prædicamentalis, sed convenire substantiæ universim omnino acceptæ.

Est autem Substantia quidpiam absolutum, & ad se se. Proinde solent Scotistæ *Perseitatem* illam sub triplici statu considerare. Distinguunt enim actum secundum illius potentiam quoque, sive principium hujus actus; & cum principium hoc relativum esse intelligent, alterum substantiæ prædicatum in ea colligunt, quo substantia ipsa constituantur, & quod illius potentia sit veluti radix. Hinc triplicem *Perseitatem* nominant, *actualem*, *aptitudinalem*, & *radicalem*.

Porro cum *Accidens Prædicamentale* sit *ens aptum inhærente subjecto*, cuius descriptionis sensus patet ex declaratione primæ proprietatis Substantiæ, cui repugnat inhærente, eodem modo Scotistæ de *Inhærentia* disserunt, & triplicem distinguunt, *actualem*, *aptitudinalem*, & *radicalem*. Idem valet de quibuscumque aliis rebus, quia ultima differentia latitante, non possumus rem ipsam exponere, nisi per radicem proprietatis intimioris: ut docuimus 1. parte sect. 3.

Quærimus igitur, quinam sit conceptus essentialis Substantiæ universim acceptæ. Certum autem est, *Perseitatem* sitam non esse in sola negatione *inhærentiæ*, quippe Substantia est res positiva; & cum negatio *inhærentiæ*, quæ de substantiâ dicitur; sit realiter indistincta, positivam perfectionem in substantia

supponit: ut diximus in 1. parte sect. 1. c. 1. Atque hinc sequitur *Inhærentiam* quoque Accidentis esse quidpiam positivum, ut per illam *Accidens Absolutum* constituti intelligatur.

Dicimus, conceptum essentiale Substantiæ universim acceptæ præ se ferre principium *perseitatis actualis*: Sive essentiam Substantiæ sitam esse in *perseitate aptitudinali*, adeo ut *perseitas ipsa actualis* nullatenus queat ab illa separari. Atque hinc arbitramur, *perseitatem* illam *radicalem* omnino superfluam esse.

Probatur. Conceptus essentialis Substantiæ universim acceptæ est prædicatum essentiale, & constitutivum ipsius Substantiæ. Atqui principium *perseitatis actualis* est prædicatum essentiale, & constitutivum Substantiæ. Igitur &c. Minor probatur. Illud prædicatum est essentiale, & constitutivum Substantiæ, quo Substantia essentialiter ab Accidente distinguitur. Idem enim est principium distinctivum, ac constitutivum. Atqui principium *perseitatis actualis* distinguit essentialiter Substantiam ab Accidente. Nam id accidenti repugnat, ejusque notioni adversatur. Igitur &c.

Respondetur, *perseitatem aptitudinalem* esse relationem, adeoque non esse constitutivum substantiæ, quæ in se se est *ens absolutum*; proindeque essentiam substantiæ in *perseitate radicali* esse constitutivam, quemadmodum essentia Accidentis sita non est in *aptitudinali*

li inherentia, sed *in radicali*.

Contra est. Quæcumque habeatur de Relatione sententia, *perseitas aptitudinalis* non est relatio vera, & realis. Ergo nulla est allata responsio. Antecedens probatur. Relatio vera, & realis terminum exposcit à sese realiter distinctum: est ad aliud, non ad se se. Atqui *perseitas aptitudinalis* non est ad aliud, sed ad se tantum, & *perseitas actualis* non secernitur reali discrimine à substantia, adeo ut substantia nec divinitus possit ab *actuali perseitate* separari. Ergo tametsi cum Scotistis fateamur, Accidentis essentiam constitui non posse in *aptitudinali inherentia*, quod idem valet de natura aliarum rerum, quoniam n̄ istis apparet effectus realiter distinctus, ad quem *inhærentia*, & facultates operativæ aliarum rerum referantur; hoc admittere non possumus in Substantia.

Objicies 1. Accidentia in Sacramento Altaris *per se* existunt, neque tamen sunt substantiae. Ergo *perseitas* non distinguit essentialiter substantiam ab accidente. Igitur &c. Probatur prima pars antecedentis. Accidentia in Sacramento Altaris re ipsa non inherent. Ergo *per se* existunt.

Respondetur. Nego primam partem antecedentis. Ad Probationem, nego consequentiam. Si quis velit, accidentia in Sacramento Altaris dicere *per se* existentia negative, quantum re ipsa non inherent subjecto; id ultro concedimus. At inficiamur,

accidentia per se existere positive, quasi novum modum *perseitatis* acquirant. Quia igitur impræsentiarum loquimur de *perseitate positiva*, siccirco absolute negamus, accidentia in Sacramento Altaris *per se* existere. Nec oportet novum modum positivæ *perseitatis* iisdem accidentibus tunc concedere, quia re ipsa non inherent. Cum enim gaudeant propria existentia realiter indistincta, quam licet naturaliter habeant in subjecto, non tamen à subjecto recipiunt; ideo deficiente subjecto, manent sine *actuali dependentia* ab illo; & retinent quidem semper *aptitudinem* ad *inhærendum*, sed solo hujusce *aptitudinis acti* secundo privantur. Perseitas autem positiva quamlibet *inhærentiam* excludit.

Instabis 1. Atqui accidentia in Sacramento Altaris *per se* existunt positive. Ergo nulla responsio. Probatur minor subsumpta. Tunc accidentia non habent modum *inhærentia actualis positivæ*. Atquimodus iste tolli ab accidentibus non potest: nisi iisdem addatur modus *perseitatis actualis positivæ*. Ergo &c. Minor probatur. Modus *inhærentia actualis positivæ*, & modus *perseitatis actualis positivæ* sunt duo modi oppositi. Sed ex modis oppositis nequit unus à re auferri nisi alter addatur. Ergo &c. Minor probatur. Auferri non potest à linea rectitudo, nisi eidem addatur curvitas. Igitur &c.

Respondetur. Nego minorem subsumptam. Ad probationem, ne-

go minorem. Ad hujus probacionem, nego minorem universim intellectam. Ad ejus probationem, nego consequentiam, & paritatem. Falsum omnino est, absolute, & universim loquendo, auferri à re non posse unum ex modis oppositis, nisi alter addatur. Ita sane homo, quando dormit, aut re ipsa non ratiocinatur, non habet actualē rationalitatem, neque tamen eidem additur modus contrarius irrationalitatis positivæ. Idem accidentibus contingit. Tunc carent actuali inhærentia, ad quam habent semper aptitudinem, sed eis non additur modus ullus positivæ perceptatis. Hinc patet disparitas. Etenim rectitudo, & curvitas se habent ut differentiæ secundariae in linea, eidemque ita connaturales sunt, ut sine earum alterutra non possit linea existere. At positiva percepta adversatur naturæ accidentis.

Instabis 2. Si Substantia non esset re ipsa *per se*, positive inhæret. Ergo dum accidens re ipsa non inhæret, jam est *per se* positive.

Respondetur. Nego consequentiam, & paritatem. Quamquam antecedens verum non sit, sed potius dicere oporteat, substantiam, si non sit re ipsa *per se*, statim perire, & destrui. Itaque, ut diximus, Accidens dum re ipsa non inhæret, privatur solum actu secundo suæ aptitudinis ad inhærendum subiecto.

Objicies 2. Potest Accidens divina virtute conservari sine actuali

inhærentia. Ergo potest Substantia conservari sine actuali perceptate. Sicut enim inhærentia actualis non est essentia accidentis, sed potest ab illo separari; ita dicendum videtur, perceptatem actualē non esse de essentia substantiæ, sed ab ea separari posse.

Confirmatur. Accidens potest non inhærere, & potest aliquo modo esse *per se*. Ergo substantia potest inhærere aliquo modo, & non esse re ipsa *per se*. Quemadmodum enim substantiæ proprium est non inhærere, ita inhærere proprium est accidentis. Par igitur ratio.

Respondetur, negando semper paritatem. Ut diximus, dum accidens non inhæret re ipsa, non tamen acquirit positivam perceptatis perfectionem, nec quidpiam habet essentiæ suæ repugnans, sed unice privatur eo actu secundo inhærentiæ, cuius aptitudinem habet, & potentiam, sive actum primum. Inhærentia autem actualis quidpiam respicit distinctum, veluti subiectum, seu terminum suum, cum sit relatio, & ad aliud; & ideo ex sola sublatione termini tollitur inhærentia, quin id, quod prius inhærebat, pereat. Ad *perceptas* quidpiam est absolutum, & ad se se, nec ad aliud ordinatur; quare auferri non potest, quin substantia ipsa tollatur, cum omnis proprietas ex necessitate comitetur rem, cui naturaliter convenit. Quod si substantia re ipsa inhæret, actualē haberet dependent-

dentiam à subjecto, cum tamen ex se se non præ se ferat aptitudinem, seu potentiam ad inhærendum; haberet adeo actum secundum sine primo; immo vero per actualem inhærentiam intelligeretur habere ordinem repugnantem essentiæ suæ, quæ in *perseitate* consistit, adeoque modum inhærentiæ excludit.

Colligite, Sustantiam, seu Personalitatem, qua natura substantialis, completa, & singularis, alteri supposito est incommunicabilis, non pertinere ad essentiam substantiæ, sed realiter distinctam esse ab ipsa substantiali natura: ut declarabimus in 1. parte Metaphysicæ, disp. 3. q. 5.

QUÆSTIO QUARTA.

Quanam sit essentia Quantitatis.

Quantitas est forma accidentalis absoluta, qua substantiam affectans, vim ei attribuit, quam altera substantia itidem quantitate affecta, in eundem locum minime penetratur. Quod naturaliter obtinet. Divina enim virtute contingere potest, ut duo corpora quantitate donata in eamdem loci partem penetrarentur: quo in casu privaretur Quantitas suo actu secundo, quemadmodum grave, quamdiu sursum detinetur, caret actu secundo, & effectu illo privatur, quem ex sui natura exposcit.

Hinc prodeunt Quantitatis proprietates; nimirum *Divisibilitas* in-

partes integrales impenetrabiles; *Finitas*, vel *Infinitas*, sed hæc ultima potentialis tantum; *Equalitas*, vel *Inequalitas*; & *Ratio Mensura*, quatenus extensa corpora dimetiri valet; Tum quod Quantitas *Figura* donari possit, & *locum occupare*.

Quantitatis descriptionem exhibuimus opinioni illi accommodatam, quæ nobis arridet circa ejusdem Quantitatis essentiam. Porro hac super re Philosophi in varias distrahuntur sententias. Scotistæ communiter essentiam Quantitatis in impenetrabilitate constituant, atque cum hanc trifariam dividant, in actuelam nempe, aptitudinalem, & radicalem, ut in præcedenti quæstione de *perseitate*, & in *hærentia* diximus, Quantitatis essentiam impenetrabilitate radicali definiunt. Recentiores Philosophi, alii que etiam Veteres essentiam Quantitatis sitam esse arbitrantur in ipsa extensione, seu in certa ipsius corporis entitativa extensione. Partium corporis pluralitatem, & actuelam etiam in loco extensionem Recentiores accipiunt, & Quantitatem proinde à substantia corporea realiter indistinctam esse arbitrantur. Veteres autem realem Quantitatis à substantia discretionem fatentur, & ipsius essentiam alii in ipsa partium pluralitate, alii in extensione locali, alii demum in extensione, seu partium pluralitate constituunt, quatenus hæc præ se fert dispositionem, & coordinationem earumdem partium

tium in toto, qua aliæ sunt mediae, aliæ extremae, & non sunt inter se confusæ, & complicatae: quam opinionem nonnulli etiam Scotistæ docuerunt: ut Faber 5. Met. disp. 13. c. 5. aliisque.

Jam vero Extensio duplex est, alia *entitativa*, seu in ordine ad se se; alia *localis*, seu *in ordine ad locum*. Prima est pluralitas partium cuicunque corpori propria. Altera est, qua corpus occupat spatium loci. Hæc bifariam consideratur. *Circumscrip̄ta* dicitur, qua rei pars una unam loci partem implet, alia alteram; & ita tota res totum locum occupat. *Definit r̄a* appellatur, quando res tota est in toto loco, & tota in singulis loci partibus: quo modo Deus ubique est substantia sua, & Christi Corpus in Sacramento Altaris.

Dicimus, Quantitatis essentiam, non in extensione, sed in impene- trabilitate esse constituendam.

Probatur. Substantia materialis, ut à spirituali secernitur, extensionem habet *entitativam*, seu *in ordine ad se*, atque se ipsa capax est replere spatium loci, etsi non impenetrabiliter. Partium enim pluralitate substantiam corpoream à spirituali distingui declarabimus in Physica Generali, disp. 3. quæst. 1. Ergo cum Quantitas distincta sit realiter à substantia, (ut dicendum erit in eadem Physica Generali, disp. 4. quæst. 1. & Peripatetici omnes concedunt) essentia quantitatis sita non est in ea exten-

sione. Et sane ea partium pluralitas præsupponitur in substantia materiali, ut hæc recipere possit Quantitatem; nam si substantia partes non habeat, nec ex se se sit extensa, intelligi non potest, quomodo recipere valeat Quantitatem extensam, & partes habentem. Porro cum impenetrabilitas sit inti- mior proprietas Quantitatis, eaque solius Quantitatis propria sit, ipsamque ab omni alio secernat: tum reliquæ Quantitatis effectiones ab impenetrabilitate deriventur, ut initio quæstionis diximus; hinc manifeste sequitur, Quantitatis es- sentiam esse ipsammet impenetrabilitem. Unde materia, & forma, etsi corporeæ sint, tamen in- vicem penetrantur, quoniam ex se se Quantitatis affectiōnem non ha- bent.

Animadvertisimus autem, impe- ntrabilitatem actualem, seu potius impenetrationem non esse Quantitatis essentiam, tum quia essentia est prædicatum omnium primum, & intimius, impenetratio autem actualis est actus secundus; tum quia essentia semper manet in re, quamdiu hæc est: impenetra- tio autem tolli potest, permanente Quantitate: ut declarabimus in Physica Generali, disp. 7. quæst. 2. Cum vero in Scotistarum sen- tentia impenetrabilitas aptitudinalis sit quidpiam relatum; iccirco Quantitatis essentia constituitur in radicali Impenetrabilitate. Latente enim ultima rei differentia, es- sen-

sentia ipsius describitur per radicem proprietatis intimioris: ut alias diximus.

Nostram de Quantitatis essentia assertionem tradidit Subtilis Doctor in 4. d. 12. q. 2. ubi disserit inquit: *Substantia corporea, licet esset sine quantitate, adhuc esset corporea, quia esset apta nata esse sub quantitate;* & in 2. d. 12. q. 2. de materia disserens, quatenus divina virtute existeret sine omni forma, ait: *Si quaras, an habeat partes?* dico, *quod partes substantiales habet; illas enim non habet per quantitatem,* & in 4. d. 49. q. 16. disserens de corpore gloriose, & illud considerans absque dimensione, seu quantitate, & dimensiones velut à corpore separatas supponens, scribit: *Si dimensiones essent separatae à corporibus, non essent simul cum alio corpore, ut probat Philosophus 4. Physicorum t. 78. sed illæ dimensiones non essent sensibles, & tamen expellerent aliud corpus.*

Objicies 1. Ut substantia corporea recipiat quantitatem extensem, non debet esse extensa. Ergo ruit ratio, qua diximus, substantiam corpoream ex se se extensem esse. Probatur antecedens. Ut substantia corporea recipiat qualitatem aliquam, v. gr. albedinem, non prærequiritur, quod ea sit alba. Ergo etiam &c.

Respondeatur. Nego antecedens. Ad probationem, nego consequentiam, & paritatem. Quamquam

enim potissima ratio assertioonis nostræ ex ipsa desumatur essentia substantiæ corporeæ, quatenus à spirituali secernitur, ut diximus; tamen & alteram illam rationem à Subtili Præceptore allatam dicimus optimam esse, & rite probari, substantiam corpoream ex se se extensem esse, ut apta sit recipere quantitatem extensem. Dispar autem ratio est de qualitate, ex. gr. albedine. Nam si substantia corporea ex se se non haberet partium pluralitatem, esset indivisibilis: indivisible autem non potest extendi, nec extensem aliquod recipere; adeoque substantia tunc non esset capax quantitatis. At substantia corporea, etsi alba ex se se non sit, tamen quia extensa est aptitudinem habet ad albedinem recipiendam.

Instabis. Ergo substantia quæcumque completa haberet duplex esse extensem, unum à se ipsa, alterum à quantitate. Hoc absurdum est quæmadmodum absurdum esset ascrere, duplex esse album in substantia, unum à se ipsa alterum al albedine.

Respondetur. Distinguo consequens: substantia haberet duplex esse extensem, unum entitativum, alterum impenetrabile, concedo consequentiam: duplex esse extensem ejusdem rationis, nego consequentiam. Substantia igitur completa ex se se extensionem habet entitativam per quam essentialiter distinguitur à substantia spirituali;

li; à quantitate vero fit extensa impenetrabiliter, unde una pars substantiæ corporeæ alteram expelit ab eodem loco. At duo esse alba essent omnino ejusdem rationis; adeoque superflua.

Objicies 2. Si essentia quantitatis est impenetrabilitas, duo corpora quantitate affecta penetrari non possent in eodem loco. Hoc falsum est ex dicendis in Physica Generali, disp. 7. quæst. 2. Ergo &c. Sequela majoris probatur. Quia essentia hominis est rationalitas, nunquam homo potest fieri irrationalis. Ergo etiam &c.

Respondeatur. Distinguo sequelam majoris: si essentia quantitatis esset impenetrabilitas actualis, seu impenetratio, concedo: si impenetrabilitas tantummodo aptitudinalis, vel radicalis, nego sequelam majoris. Ad cujus probationem, concessso antecedenti, nego consequiam, & paritatem. Ut diximus, essentia quantitatis non est ipsa actualis impenetratio. Dum autem duo corpora quantitate affecta divinitus penetrantur, habent principium exigitivum impenetracionis, & privantur solum actu secundo: quemadmodum de accidentis inhærentia docuimus in præced. quæst. Ita etiam homo carere potest actu secundo rationalitatis. At si fieret re ipsa irrationalis, haberet actu secundum sine primo: immo & aperte repugnantem essentiæ suæ.

Objicies 3. Ita se habet actua-

lis impenetratio ad actualem extensionem, sicut impenetrabilitas ad locabilitatem, seu ad extensionem in loco. Atqui repugnat; unum corpus esse actu impenetratum, nisi supponatur extensum. Ergo repugnat, corpus esse impenetrabile, nisi supponatur aptum ad extensionem in loco. Igitur aptitudo ad extensionem localem præcedit aptitudinem ad impenetrabilitatem. Ergo in illa potius, quam in ista constitui debet essentia Quantitatis.

Respondeatur. Nego majorem, Id enim, quod extensum non est, non potest reddi impenetrabile, quia non haberet partes, quibus præstari possit ea denominatio. At esse in loco convenit etiam substantiæ corporeæ secundum se se consideratæ, ut diximus, ideoque non supponit impenetrabilitatem; immo vero extensio in loco impenetrabiliter præsupponit necessario principium impenetrabilitatis: non autem ipsa impenetrabilitas locabilitatem: ut dicitur in argu-
mento.

Instabis. Si substantia corporea haberet ex se se pluralitatem partium, quibus posset extendi in loco, ergo partes istæ ita se haberent, ut una ex se se alteram expellere posset ab eodem loco. Igitur &c.

Respondeatur. Nego sequelam antecedentis. Quamvis enim partes substantiæ corporeæ sint extensæ, tamen sunt penetrabiles ex se se, nec vim habent se se invicem expellendi ab eodem loco, nisi ad-

veniente illis quantitate. Nam, ut diximus in probatione, materia, & forma in composito physico invicem penetrantur.

Colligite, Quantitatem esse primum accidens absolutum in substantia corporea receptum: extensionem vero partium in ipsa substantia esse relationem.

Objicies 4. Scotus in 4. d. 10. q. n. 14. ait: *Differentiam quantitatis dicere ordinem partium in toto;* & d. 49. q. 16. n. 6. docet, *dimensionem*, sive *extensionem entitativam esse rationem*, quamobrem duo corpora nequeant simul esse in eodem loco *virtute naturali*, quæ non potest facere causam sine suo effectu naturali. Argumentum quoque approbat, quo per *rationem*, ut ipse ait num. 3. divisivam objectum fuerat in quæstionis lamine, *impenetrabilitatem corporum ex sola eorum extensione provenire*. Ad illud quippe argumentum respondens, dico, inquit nam. 7. *quod verum est, quod non invenitur aliud, quod sit causa illius repugnancia, nisi dimensionis*. Ergo Scotus impenetrabilitatem in extensione constituit. Ita argumentatur P. Fortunatus à Brixia in Dissertatione Physico-Theologica: *de Qualitatibus corporum sensibilibus*, S. 52. Deinde in 2.d. 12.q.2. de materiali loquens sine forma, scribit: *Sicut Angelus, quia non est quantus, est in loco aliquo definitive, non circumscriptive, sic materia sine forma esset definitive alioqui*. Ergo sub-

Tom. I.

stantia sine quantitate non esset extensa in loco. Hinc in 4. d. 10. q. 1. docet, solam quantitatem esse rationem fundamentalem replendi locum circumscriptive, & dimensive, & d. 12. q. 2. qualitatem corpoream à quantitate separatam non esse actu divisibilem, sed tantum potentia remota. Ergo Subtilis Doctor nostræ assertioni refragatur.

Respondetur. Subtilis Doctoris mentem aperte manifestam esse ex iis, quæ post probationem nostram retulimus. Priore autem loco in objectione citato probat, Corpus Christi in Eucharistia habere propriam quantitatem, & ab essentia quantitatis excludit positionem partium in loco, quæ ad situm pertinet. Positio autem, quæ est differentia quantitatis, & dicit ordinem partium in toto, seu coordinationem partium corporis, præ se fert in illis partibus vim, atque aptitudinem, qua una pars aliam pellere potest ab eodem loco. Atque hinc Doctor partes extare in materia dixit, seclusa quantitate. Secundo loco citato, *dimensionis* nomine non intelligit *extensionem entitativam*; ut P. Fortunatus interpretatur. Falsum etiam est, in arguento, quod à Scoto approbatur, objectum fuisse *impenetrabilitatem corporum ex sola eorum extensione provenire*. Ibidem enim dicitur: *Formalis ratio repugnandi duo corpora esse simul non est materia*. Ergo *impenetrabilitatem non*

Aa

ab

ab extensione entitativa materiae, sed à quantitate repetendam esse ibidem Doctor scribit: quod nos docemus. Aliis in locis Scotus divisibilitatem, & circumscriptivam loci repletionem ita considerat, ut re ipsa sunt: sunt autem impenetrabiles; quemadmodum Angelus re ipsa est in loco definitive penetrabiliter. Hoc sensu materia sine quantitate non esset in loco circumscriptive, nec esset divisibilis, sed potius ad instar Angeli, qui non habet impenetrabilitatem, dicereetur esse in loco definitive, quia tunc partes materiae possent penetrari, atque totæ simul esse in toto loco, & totæ in singulis loci partibus. Hinc quæst. 11. Quolibet alium, artic. 1. disserte docet, corporeitatem (quæ sane convénit materiae ex se se, & juxta doctrinam Scotti præsupponitur in materia, ut hæc possit quantitatem recipere) esse fundatum præsentia localis circumscriptivæ, & divisibilis.

Postremo dicendum superest de Quantitatis distributione. *Quantitas* dicitur *Continua*, si partes ipsius nexus habeant inter se se, sive illæ simul esse possint, sive una alteri semper accedat. Si partes queant esse simul; erit *Quantitas continua permanens*: Si secus, *Quantitas est continua successiva*. *Quantitas* est *discreta*, quando partes illius sunt ad invicem disjunctæ: ut in numero contingit, cuius esse ab intellectu, & libito hominum probat. Unde numerus ad prædicamen-

tum non pertinet, nec Arithmetica est scientia realis: etsi res supponat, quibus ab intellectu nostro numerus applicetur. Sola igitur *Quantitas continua permanens* prædicamentum constituit: ut facile est ex dictis colligere.

Hujus tres species enumerantur: *Linea*, sive longitudo: *Superficies*, sive latitudo cum longitudine: *Corpus*, sive profunditas, aut altitudo cum latitudine, & longitudine. Ne cogitaveris tamen re ipsa extare longitudinem sine latitudine, vel hanc sine illa; ut Geometræ describunt. Nusquam enim id probari potest. Unde Geometræ supponunt, ea quidem per se se concipi posse, non tamen re ipsa inveniri.

QUÆSTIO QUINTA.

Vtrum relationes in creatis sint reales, & formam præ se ferant extremis relatis superad- ditam?

Relatio ita describitur. *Ordo*, & affectio unius ad aliud: ut Paris ad filium, servi ad Dominum. Tria proinde necessaria sunt ad relationem; nempe *id*, quod ad aliquam refertur, & appellatur *fundamentum remotum*, quia relatio ab eo oritur; *id*, quod relationem ipsam sicut, & terminat, sive *quod à fundamento respicitur*, atque sollet terminus nominari; denique *id*, quod relatio ipsa immediate se-

quitur; hoc est, à quo relatio immediate oritur, & dicitur *fundamentum proximum*. Ita ex. gr. relatio similitudinis inter duos parietes albos præsupponit parietem unum, veluti fundamentum remotum; aliud parietem, veluti terminum; & albedinem illorum, tanquam fundamentum proximum, id est, veluti rationem, in qua relatio ipsa fundata sit.

Relatio primum distribuitur à Scotistis in *realem*, & *rationis*. Illa *rebus inest*, nullo cogitante intellectu. Hæc per solam mentis operationem in *rebus effingitur*. Animadvertis porro Subtilis Doctor in I. d. 31. quæst. unica §. *Ad questionem*, relationem *realem* tres conditiones necessario expostulare; primo, ut extrema relationis, & *fundamentum proximum* existant re ipsa; secundo, ut eadem extrema reali discrimine secernantur, quia nihil potest ad semetipsum referri ordine reali; tertio, ut ipsa relatio, quacumque mentis operatione seclusa, ex natura extremitum insurgat.

Quod si *Relatio realis non respiciat terminum re ipsa existentem*, sed referatur ad terminum tantummodo possibilem, tunc appellatur *Aptitudinalis*. Distinguitur tamen hæc relatio *Aptitudinalis* à relatione *Transcendentali*, quæ realiter indistincta est, & separari non potest, sed terminum, habet actualem: ut *Creaturæ ordo ad Deum*; & hæc relatio pertinet

ad *Prædicamentum rei*, cui convenit. *Relatio autem Actualis* ea est, quæ separari potest à suo fundamento, & terminum habet re ipsa existentem: atque hæc dicitur *Relatio Prædicentalis*.

Hæc bifariam secatur. Altera nominatur *intrinsecus adveniens*, quæ nimur ab ipsis extremis eo prædicato affectis, vi cuius referri dicuntur, quodammodo diminare intelligitur, nec aliam exposcit ex parte relatorum conditionem: quo sensu duo alba dicuntur similia. Altera appellatur *extrinsecus adveniens*, quæ novam hanc conditionem expostulat: ut calefactio non extat, nisi ignis, & combustibilis materia invicem approximetur; quæ tamen approximatio non est caussa calefactionis, sed mera conditio ad calefactionem prærequisita.

Sola *Relatio Prædicentalis*, *actualis*, & *intrinsecus adveniens* constituitur in hac classe *Prædicentali*. Nam *relatio extrinsecus adveniens* pertinet ad sex ultima *Prædicamenta*, ut diximus; quamquam sit in illis ratio omnino universalissima, per quam non satis explicatur proprius, & peculiaris horum *Prædicamentorum* effectus, quo fit, ut non posse sit unicum ex hisce sex *Prædicamentum* constitui sub notione relationis *extrinsecus advenientis*.

Prior illa *Relatio multiplicari* intelligitur pro varietate *prædicatorum*, ex quibus res dicuntur ex-

dem, vel diversæ; similes, vel dissimiles; æquales, vel inæquales; vel mutuo se se respiciunt: ut effectus à sua causa pendet. Ipsa autem relata sunt simul natura, cognitione, & definitione, tum ad convertentiam dicuntur; nam Pater intelligi non potest sine Filio, & subinfertur ex uno existentia alterius, si sub tali ordine accipiatur. Atque hinc apparent etiam proprietates Relationis. Essentia porro Relationis utrumque extremum connotat, fundamentum nempe, in quo ipsa existit, & terminum, ad quæm refertur, & ordinatur. Neque prius intelligitur, Relationem esse in fundamento, & postea referri ad terminum: sicut prius intelligitur Universale inexistere pluribus, quam de illis enunciari, quia prædicatio sequitur identitatem; Sed è contra Relatio notione sua est ordo unius ad aliud, quamobrem æque ambo illa præ se fert, existentiā nempe in fundamento, & ordinem ad terminum.

De Relationis natura varie recessentur Philosophorum opiniones. Nominales cum primis, aliique Philosophi affirmant, nullum ordinem relatorum in creatis re ipsa inveniri, sed solo opere intellectus adstrui. Evidem Relationem fundamentaliter, ut ajunt, acceptam fatentur esse realem, reapse enim existunt extrema, quæ invicem ordinantur. At si formaliter consideretur relatio, eam dicunt opus,

esse intellectus nostri, unum ad aliud referentis, aut unum cum altero comparantis, juxta eorumdem naturam, & affectionem, quæ occasionem nobis administrant ordinem illum concipiendi.

Scotistæ cum Thomistis arbitrantur, Relationem etiam in creatis esse realem, & quidem formaliter acceptam, adeo, ut seclusa qualibet intellectus operatione, rebus insit, & formam præ se ferat ab ipsis extremis realiter distinctam, atque superadditam fundamento remoto, termino, & fundamento proximo, etiam simul, & collectim acceptis. Nonnulli alii Peripatetici, cum relationes doccant esse reales, & minime pendere à mentis nostræ operatione, illarum tamen notionem longe diversam exponunt. Plerique enim cum Suaresio putant, relationem sitam esse in solo fundamento proximo; quatenus tamen connotat essentialiter, terminum; quo sublatto, permanet quidem in ipso fundamento proximo, relatio *quoad entitatem*, minime vero *quoad denominationem*; enim vero fundatum proximum, v. g. albedo, non denominat similem parietem unum album, nisi existat alter paries albus, qui sit terminus similitudinis. Aliis placet, relationem constituere in complexo ex fundamento remoto, termino, & fundamento proximo. Postremo alii relationem *in concreto* distinguunt à relatione *in abstracto*, hancque

statuunt in sola ratione fundandi, quæ inest fundamento remoto: illam vero sitam esse dicunt in præfato complexo.

Dicimus cum Scotistis, in creatis extare veras relationes reales, quæ sunt formæ extremis relatis superadditæ, & ab ipsis realiter distinctæ.

Probatur prima pars. Fide eruditur, extare in Divinis relationes reales, quibus Pater. Æternus Filium ut à se genitum, respicit; Pater etiam, & Filius respiciunt Spiritum Sanctum, ut ab ipsis procedentem. Ergo etiam in creatis admittere oportet veras reales relationes. Consequentia probatur. Ideo ejusmodi relationes in Divinis admittuntur, quia certo scimus, Patrem Æternum generare Filium. Atqui compertum est etiam experientia, patrem in creatis generare filium. Ergo etiam in creatis admittendæ sunt relationes reales, quibus pater filium respiciat, ut à se genitum; & filius referatur ad patrem, à quo generatur. Deinde relatio nihil aliud est, nisi ordo unius rei ad aliam. Sed ejusmodi ordo non pendet à nostra cogitatione. Perfectio enim Universi in ordine posita est, atque ordine omnia subsistunt, quo sublato ruerent; & quacumque sublata intellectus nostri operatione, duo alba sunt similia; album vero, & nigrum dissimilia: duæ quantitates palmares sunt æquales; quantitas autem palmaris, & quantitas bipalmaris

sunt inæquales. Igitur relationes sunt reales &c.

Respondent, ideo in Divinis relationes esse reales, quia sunt substanciales, & constitutivæ Divinarum Personarum; adeoque disparem longe esse rationem de relationibus in creatis, Ordinem vero Universi, similitudinem, æquallatem, & similia, non aliud præse ferre nisi extrinsecam denominationem, nec reales esse, nisi fundamentaliter.

Contra. Ideo in Divinis reales agnoscimus relationes, quia Pater Æternus generat Filium. Quamvis ergo relationes in Divinis sint substanciales, & constitutivæ Divinarum Personarum: quod minime convenit relationibus creatis; tamen quia etiam in creatis pater generat filium, veræ extant in ipsis reales relationes. Ita sane in Deo, & in homine scientiam reperiri dicimus, quia uterque objecta percipit; licet scientia in Deo sit substancialis, & realiter indistincta propter infinitam Dei perfectionem, & immutabilitatem, in homine autem finito, & mutabili accidentaria, & realiter distincta. Allatæ vero denominaciones, ne-dum fundamentaliter, sed formaliter rebus convenienti, nullo intellectu cogitante; & omnis denominatio à forma oritur, est enim effectus formæ denominantis: & cum denominatio sit relativa, non potest præstari per formam absolutam; adeoque necessario admit-

ten-

tenda est forma relativa. Porro cum nihil evincat, formam relativam in uno potius extare subiecto denominato, quam in altero, dicendum est, relationes in ipsa re denominata reperiri, easque denominationes esse intrinsecas.

Objicies 1. Duo alba sunt entia absoluta, & nihil habent relativi, nisi quatenus ab intellectu comparari possunt. Ergo relationes constituendæ sunt in sola comparatione facta à nostro intellectu.

Respondetur. Nego secundam partem antecedentis. Duo enim alba ex se se apta sunt fundare relationem, sublata operatione intellectus nostri; nec intellectus posset vere comparare unum alteri, tanquam illi simile, nisi res ipsa illa duo in se se similia forent. Quemadmodum ergo absque ulla intellectus fictioni duo alba denominantur re ipsa similia, & in se se forent adhuc similia, si nullus extaret intellectus; ita etiam, sublata quacumque mentis nostræ fictione, & operatione, admittenda est forma relativa, quæ præstet ejusmodi denominationem.

Objicies 2. Similitudo inter duas albedines non est nisi relatio identitatis specificæ ipsarum. Porro hæc est relatio rationis. Ergo &c. Minor probatur. Relatio identitatis numericæ, qua individuum est idem sibi ipsi, omnium consensu dicitur mera relatio rationis. Ergo idem dicendum de relatione identitatis specificæ.

Respondetur. Nego minorem. Ad probationem, nego paritatem. Etenim relatio identitatis numericæ non versatur inter extrema realiter distincta, adeoque non est relatio realis, deficiente una ex conditionibus ad relationem realem necessariis. At relatio identitatis specificæ est realis, quia versatur inter duo extrema realiter distincta.

Objicies 3. Deus dicitur de novo Creator, & Conservator absque ulla relatione reali ad creaturam. Verbum dicitur unitum humanitati absque reali unione. Igitur relativæ denominationes non præ se ferunt relationes reales.

Respondetur, nullam denominationem esse posse sine forma denominante sibi proportionata: quæ forma inest rei denominatæ, si res ipsa sit capax; aut saltem alteri subjecto convenit, quando res denominata non potest eam formam in se recipere. Porro denominatio Creatoris, & Conservatoris non est sine forma relativa, quam tamèn creaturis solis inesse dicimus, quia Deus infinitus, & immutabilis non potest novam formam recipere. Hæc igitur forma relativa non aliud præ se fert, nisi dependentiam creaturæ à Deo fieri, & conservari; unde quia Deus terminat hanc dependentiam, Creator dicitur, & Conservator: quemadmodum paries ex sola visionis terminatione dicitur visus. Idem dicendum de unione inter

Ver-

Vérum , & humanitatem. Unio enim non inest Verbo immutabili, sed in sola residet humanitate mutabili , atque per istam unionem Verbum denominatur intime coniunctum humanitati , quatenus ex ipsis unionis terminatione Verbum fit intime præsens , & indistans ab humanitate , & cum ipsa constituit unum Suppositum substantiale. At in creaturis mutabilibus constituenda est forma relativa, quando illæ dicuntur relative.

Instabis. Relatio , si existit , est modus respectivus. Sed modus respectivus , afficit utrumque extremum. Ergo relatio etiam in Deo esset constituenda.

Respondetur , modum respectivum afficere utrumque extremum, sed diversa ratione , nam afficit unum extremum *per inherētiam*, alterum vero *per adhæsionem* , & puram terminationem ; unde modus respectivus denominat unum extremum intrinsece , alterum extrinsece. Ita se habent relations creaturarum ad Deum.

Probatur secunda pars. Omnis denominatio nova, intrinseca , realis , & relativa provenit ab aliqua forma nova , intrinseca , reali , & relativa ; Denominatio enim est formalis effectus formæ denominantis. Atqui denominatio similis in uno pariete albo , dum alter paries fit albus , est denominatio nova , intrinseca , realis , & relativa. Ergo oritur ab aliqua forma nova , intrinseca , reali , & relati-

va. Porro ejusmodi forma non est albedo , quia hæc est forma absoluta. Igitur admittenda est forma superaddita relationis. Deinde nulla res transire potest re ipsa de contradictori negativo ad contradictorium positivum , nisi per novam formam realem , & positivam. Ergo dum unus paries albus, accedente altero pariete albo , fit re ipsa similis : quod antea non erat , novam utique acquirit forma realem , & positivam. Hæc autem forma relativa realiter distincta est ab extremis etiam simul , & collectim acceptis. Neque enim potest identitatem habere cum ambobus extremis , quæ ad invicem realiter distinguuntur. Sed nec identitatem habet cum suo fundamento , quia sublato termino , tollitur relatio , & tamen fundamentum permanet. Igitur &c.

Confirmatur assertio ex refutatione aliarum opinionum. Relatio cum primis sita non est essentialiter in fundamento proximo. Alioquin enim denominaret illud v. g. simile , aquale &c. etiam destructo termino ; hoc enim sublato , permaneret in fundamento relatio, quia permaneret fundamentum proximum ; à quo ipsa non distinguitur in hac opinione : omnis porro forma , quæ inest subiecto capaci , denominat illud : quemadmodum albedo in pariete existens, quocumque alios sublato, semper denominat parietem album. Quod autem Adversarii reponunt,

re-

relationem esse formam connotati-
vam , adeoque non denominare,
nisi coexistente termino , quem
connotat : quo modo visio si re-
ciperetur in lapide , non denomi-
naret lapidem videntem , quia con-
notat subjectum vitale , cuiusmo-
di non est lapis : quo etiam modo
res in primo suæ creationis in-
stanti non dicitur conservari , quia
connotat præexistentiam ; hac res-
ponsione nihil proficiunt . Primo
enim connotatio præexistentiæ no-
vam debet realem relationem præ-
se ferre ; est enim eadem ratio de
connotatione , ac de aliis denomi-
nationibus relativis . Deinde vide-
re non est habere visionem , sed
per visionem circa objectum ope-
rari , ipsum percipiendo ; unde vi-
sio non denominaret lapidem vi-
denter , etsi recipere tur in illo:
quod tamen est impossibile , ut
probabimus in Physica Generali ,
disp. 5. quæst. 6. At vero esse si-
mile aliud non est nisi habere si-
militudinem , quemadmodum esse
album non est aliud nisi habere
albedinem . Porro sublato etiam
termino , similitudo haberetur , quia
extaret fundamentum proximum ,
in quo similitudo ipsa formaliter
constituitur . Tum connotatio illa
termini , si quidpiam est à funda-
mento proximo distinctum , & ip-
sa esse nova relatio , & nova for-
ma superaddita ob allatas rationes ,
vel si nihil est distinctum , mini-
me inserviret , adeoque si sublato
termino non habetur similitudo ,

hæc nunquam haberetur , etiam
posito termino . Et dum Suarez
asserit , sublato termino , relatio-
nem permanere quidem *quoad en-
titatem* ; non tamen *quantum ad
denominationem* , vel intendit , re-
lationem perire tantummodo *quo-
ad vocem* ; vel fatetur , quidpiam
aliud perire à nuda voce distin-
ctum ? Si primum , ergo quemad-
modum res erat similis , ita simili-
lis etiam esset , sublato termino ,
licet talis minime appelletur : ea
ferme ratione , qua Suaresius fa-
tetur , duos parietes albos esse si-
miles , etsi nullus intellectus de
illis cogitaret . Si secundum , ergo
non permanet tota entitas relatio-
nis per illam vocem significata . Igi-
tur &c.

Secundo , relatio constitui non
potest in complexo ex fundamento
remoto , termino , & fundamento
proximo . Alioquin enim hoc com-
plexum esset ordo unius ad aliud ,
quemadmodum est relatio ; adeo-
que si ipsius terminus esset intra
complexionem ipsam , ordo ille
esset ad se ; si alter ponatur ter-
minus à complexo distinctus , ea-
dem recurrat ratio , atque ita pro-
gredieremur in infinitum . Tum re-
latio similitudinis uni intelligitur
inesse : complexum vero non es-
t unum . Denique allata superius ar-
gumenta etiam adversus hanc op-
inionem valent . Præsertim vero re-
felluntur ex dictis , qui relatio-
nem in abstratto esse ipsum fun-
damentum proximum arbitrantur .

Nam

Nam hoc quidpiam est absolutum & ad se ; relatio est ad aliud , & respectiva ; adeoque illud non potest tribuere denominationem relativam, vel hanc semper conferret, sublato etiam termino; ut probavimus. Igitur &c.

Objicies 1. Duo alba ex se se, sublato quocumque superaddito, sunt similia. Igitur similitudo non præ se fert formam superadditam. Probatur antecedens. Illa duo alba ita se habent ex se se, ut unum tale sit, quale est aliud. Ergo ex se se sunt similia.

Confirmatur. Ut docet Aristoteles lib. 5. Met. ea dicuntur similia , quorum qualitas est una; hinc una ex proprietatibus qualitatis in eo sita est, ut secundum ipsam res dicantur similes , vel dissimiles. Ergo similitudo non est , nisi ipsa albedo.

Respondetur. Distinguo antecedens. Duo alba ex se se sunt similia , fundamentaliter , concedo: formaliter , nego antecedens , & consequentiam : eodemque modo solvitur reliquum argumentum. Duo alba ex se se dicuntur similia fundamentaliter , quatenus nata sunt fundare relationem similitudinis: non sunt autem similia formaliter , quia non habent formam, quæ possit illis præstare denominationem similis. Ita intellectus, sublata intellectione, dicitur intelligens fundamentaliter , non formaliter , quia tunc non habetur nisi facultas potens efficere intelle-

Tom. I.

ctionem. Qualitas etiam reddit simile , vel dissimile , fundamentaliter , & eodem modo ea dicuntur similia , quorum qualitas est una, quia nempe ex unitate qualitatis oritur relatio similitudinis. Aristoteles autem describit similia per qualitatem, quæ est fundamentum proximum similitudinis, quia qualitas notior est relatione.

Instabis. Etsi qualitas sit forma absoluta , potest tamen tribuere denominationem relativam. Ergo potest reddere subjectum suum formaliter simile. Probatur antecedens. Etsi qualitas sit forma absoluta, potest tamen fundare relationem. Ergo etiam &c.

Respondetur. Nego antecedens. Ad probationem, nego consequentiam , & paritatem. Etenim fundare relationem pertinet ad genus caussæ efficientis : ut manifestum fit in substantia , quæ fundatum est accidentis , & illud in se recipit. Genus autem caussæ efficientis non expostulat caussam formaliter talem , cuiusmodi est effectus , sed solam exigit virtutem in caussa ; ideoque forma absoluta potest fundare relationem. At denominatio relativa pertinet ad genus caussæ formalis : quod genus caussam petit formaliter talem , cuiusmodi est effectus. Quamobrem cum forma absoluta non sit formaliter relativa , non potes præstare denominationem relativam.

Objicies 2. Si extaret forma illa

Bb re-

relativa, nihilominus non posset tribuere enti absoluto denominationem relativam. Ergo est omnino superflua. Probatur antecedens. Forma relativa secernitur ab ente absoluto per suum esse relativum. Ergo non potest tribuere enti absoluto esse relativum, seu denominationem relativam. Consequentia probatur. Accidens, quod à substantia distinguitur per inhärentiam non potest tribuere substantiæ denominationem inhärentis. Ergo etiam &c.

Respondeatur. Nego antecedens. Ad probationem, nego consequentiam. Ad hujus probationem, nego consequentiam, & paritatem. Omnis forma, quæ alicui subjecto inest, secernitur ab illo per suum prædicatum differentiale, & specificum, & tamen eidem subjecto tribuit denominationem ab hoc specifico prædicato depromptam; nec debet necessario tribuere illi, cui inest, denominationes à prædicatis suis genericis derivatas, quippe non est in subjecto generice accepta, sed specificè. Igitur forma relativa, v.gr. similitudo, secernitur ab ente absoluto per suum esse relativum, & tamen tribuit illi denominationem relativam à prædicato specifico depromptam, videlicet denominat illud simile. Neque ista denominatio repugnat enti absoluto, cum referri ad aliud *accidentaliter* non opponatur prædicato absoluto, quod est *essentialiter* ad se. Ita albedo distinguitur specificè à

substantia per rationem albi, & tamen tribuit substantiæ hanc denominationem. Ideo autem Accidens inhærens Substantiæ, non tribuit illi denominationem inhærentis quia inhærentia est prædicatum genericum omni acciden-
ti commune: nullum autem accidens est in substantia secundum merum esse genericum, sed in illa est secundum esse specificum; & ideo non debet necessario tribuere substantiæ, nisi denominationem à suo prædicato specifico derivatam, puta impenetrabilis, albi, nigri &c. Substantiæ quoque repugnat inhærentia; ut diximus quæst. 3. Ratio igitur, propter quam accidens non tribuit substantiæ denominationem inhærentis hæc est, quia videlicet ea denominatio non oritur à prædicato specifico ipsius accidentis; non vero quia accidens per inherentiam distinguatur à substantia.

Instabis. Quod est *essentialiter* rationale, non potest denominari *accidentaliter* irrationale. Ergo quod est *essentialiter* ad se, sive absolutum, non poterit à forma relativa denominari *accidentaliter* ad aliud, sive relativum.

Respondeatur. Nego consequentiam, & paritatem. Rationale enim, & irrationale sunt prædicata metaphysica, & specifica, & ideo identitatem habent realem cum illo, cui convenient, nec subinde possunt alicui convenire tantummodo ex *accidenti*, atque ab eo realiter dis-

distingui. Non ita se habent ens ad se, & ens ad aliud, quæ proinde possunt extrinsece uniri, ut unum tribuat alteri denominacionem: etsi non possint in unum, & idem prædicatum coalescere. Sic spirituale, & materiale non possunt idem esse per identitatem realem; anima tamen spiritualis conjuncta est extrinsece cum corpore materiali.

Objicies 3. Denominatio relativa haberi potest sine forma relativa superaddita. Ergo hæc est omnino superflua. Probatur antecedens. Supponamus, unum tantummodo parietem album hic existere, tunc paries iste dum alter fit albus redditur de novo *fundamentaliter* proxime similis absque ulla forma superaddita. Porro ejusmodi denominatio *fundamentaliter* proxime similis est relativa. Ergo &c. Major probatur. Quælibet forma superaddita non efficitur, nec producitur, nisi in instanti temporis, cum revera sit res, cuius existentia non nisi instanti temporis commensuratur. Atqui denominatio illa *fundamentaliter* proxime similis non habetur, nisi in instanti naturæ; in primo enim instanti temporis, quo extrema sunt, jam sunt similia *formaliter*: quod quidem consequitur, & presupponit esse *fundamentaliter* proxime simile, sive posse proxime relationem fundare. Ea etiam denominatio, qua paries dicitur *fundamentaliter* proxime similis, non præces-

sit adventum alterius parietis albi, nam ante hujus adventum paries ille non erat similis, nisi *fundamentaliter* remote, hoc est, poterat solum remote relationem fundare. Igitur cum denominatio *fundamentaliter* proxime similis sit relativa, & separabilis, sicuti denominatio, qua paries albus dicitur formaliter similis, si illa subsistit sine ulla forma superaddita, idem de secunda dicendum est.

Respondetur. Nego antecedens. Ad probationem, distinguo minorē: denominatio *fundamentaliter* proxime similis est relativa, & extrinseca, concedo: est intrinseca, nego minorem, & consequentiam. Paries ille albus prius sine alio existens, redditur deinde proxime potens fundare relationem per adventum alterius parietis, albi, quia ex isto termini adventu habet omnia necessaria ad relationem efficientem; unde ejusmodi denominatio est extrinseca, videlicet deprompta est ab extrinseco adventu alterius parietis albi. Cum autem ea denominatio non habeatur, nisi in instanti naturæ, ut diximus, siccirco oritur ab ipso adventu termini; nam licet adventus ipse termini compleatur in instanti reali, tamen illius effectio plura naturæ instantia complectitur; qua propter dum talis adventus intelligitur; tunc habetur etiam in fundamento denominatio *fundamentaliter* proxime potentis relationem efficere. Idem patet, dum intellec-

tus noster, accedente objecti præsentia, fit complete potens efficere cognitionem. Ejusmodi enim denominatio est extrinseca intellectui. Quamobrem similes denominaciones non expostulant formam inexistentem rei denominatae. At vero denominatio, qua paries albus dicitur *formaliter* similis, est denominatio intrinseca, ut antea probavimus: habetur etiam in reali instanti temporis: ideoque formam exigit relativam, & superadditam. Deinde denominatio *fundamentali* *alter* proxime similis non aliud præse fert, nisi virtutem efficiendi relationem, in actu primo proximo constitutam; ac proinde pertinet ad genus caussæ efficientis, quod non exposcit nisi virtutem in caussa. At denominatio *formaliter* similis pertinet ad genus caussæ formalis, quod necessario exigit caussam *formaliter* talem: ut diximus.

Objicies 4. Admisa relatione superaddita, sequeretur progressus in infinitum. Hoc absurdum est. Ergo non est approbanda forma illa superaddita. Sequela majoris probatur. Si Petrus est diversus à Paulo per diversitatem superadditam, jam hæc ipsa diversitas, ut pote à Petro realiter distincta, & diversa, esset ab ipso Petro diversa per aliam diversitatem superadditam. De hac idem valet argumentum; atque ita progrediendo in infinitum. Igitur &c. Antecedens probatur. Petrus est diversus à Paulo per diversitatem superadditam.

Ergo etiam ista diversitas esset à Petro diversa per aliam diversitatem superadditam.

Respondeatur. Nego sequelam majoris. Ad probationem, nego antecedens. Atque ad hujus probationem, concessu antecedenti, nego paritatem. Relatio diversitatis Petri à Paulo est ratio, qua illi invicem differunt; ideoque non indiget alia diversitate, ut sit à Petro diversa, quia *quod est quo in uno genere, non indiget alio quo in eodem genere*. At Petrus est id, quod à Paulo differt; proindeque indiget diversitate superaddita. Sic paries albedine indiget, ut sit albus: ipsa vero albedo non indiget alia albedine.

Instabis 1. Si dependentia, per quam creatura à Deo dependet, esset realiter distincta ab ipsa creatura, indigeret alia dependentia, ut & ipsa à Deo dependeret. Ergo si diversitas, per quam Petrus à Paulo differt, est forma Petri superaddita, adeoque realiter ab ipso distincta, indiget alia diversitate, ut & ipsa à Petro sit diversa. Antecedens traditur à Doctore Subtili in 2. d. 1. q. 4. §. *Ad questionem istam*, ubi ait: *Si relatio effectus ad caussam accideret lapidi, & per consequens esset res alia à lapide, pari ratione ipsa haberet relationem ad Deum, ut effectus ad causam, & tunc accideret sibi alia relatio effectus, & ita esset alia relatio, & sic in infinitum.*

Respondeatur. Nego consequentiam,

tiam, & paritatem. Etehinc in prædicta hypotesi, ut ait Scotus, illa dependentia esset vera res, & creatura, quæ per se se terminaret veram actionem, & caussalitatem Dei efficientis, adeoque esset quidpiam dependens, ut sunt cetera entia creata. At diversitas, de qua loquimur, semper est mera ratio differendi, adeoque non indiget alio superaddito, ut sit diversa à Petro.

Instabis 2. Etsi diversitas illa per se metipsam dicatur à Petro diversa, quia est ratio differendi; tamen Petrus dici non potest per se metipsum diversus ab ea diversitate, quoniam Petrus est id, quod differt. Igitur Petrus erit diversus ab illa diversitate per aliam. De hac idem reddit argumentum: atque ita saltem ex parte Petri progrediendum erit in infinitum.

Respondetur. Nego antecedens. Etenim *id, quod est quo in uno genere, non indiget alio quo in eodem genere, nec supponit in suo subiecto aliud quo in illo genere.* Sic productio non dicitur producta per aliam productionem, nec materia per aliam unionem dicitur conjuncta unioni, qua jungitur forma. Ergo diversitas, qua Petrum à Paulo diversum denominat, non supponit in Petro aliam diversitatem, nec ipse Petrus dicitur proprius diversus ab ea diversitate, sed solum dicitur diversus extrinsece, quatenus eamdem diversitatem terminat.

Objicies 5. Ut docet Aristote-

les lib. 5. Physicorum *ad relationem non datur motus.* Porro si relatio esset forma superaddita, ad relationem daretur motus. Igitur relatio non est forma superaddita. Minor probatur. Si hic de novo ponatur paries aliquis albus, novæ emergerent relationes similitudinis in parietibus albis alibi existentibus. Atqui hoc evenire non potest absque mutatione illorum parietum alborum. Ergo ad relationem daretur motus, sive mutatio.

Respondetur. Distinguo maiorem. *Ad relationem non datur motus*, per se, concedo: per accidens, nego majorem; & eodem modo distinguo totum argumentum. Aristoteles loquitur de motu *per se*, qui videlicet sit ex intentione agentis, & *per se* est terminus actionis. Hic sane motus relationi non convenit. Neque enim agens intendit relationem, sed solam fundamenti productionem: nec actio immediate attingit relationem ipsam, quæ immediate emanat à fundamento proximo. At si loquantur de motu *per accidens*, quo scilicet subiectum aliter se habet nunc, quam prius, etsi non fiat ex intentione agentis, & per actionem illius, ejusmodi motus concedendus est relationibus, ut patet ex novis denominationibus, per quas, tanquam per effectus, cognoscimus novas relationes. Quod & ipse Aristoteles concedit t. 10. dicens: *Quare secundum accidens motus earum est.*

Instabis 1. Atqui nec motus *per accidens* dari potest ad relationem. Ergo nulla responsio. Minor subsumpta probatur. Agens creatum neque *per accidens* potest agere in distans. Atqui admisso motu ad relationem, agens creatum saltem *per accidens* ageret in distans; Nam qui unum parietem album Romæ ponit, saltem *per accidens* caussaret similitudinem in aliis albis parietibus Mediolani, Bononiæ, & alibi existentibus. Igitur &c.

Respondetur. Nego minorem subsumptam. Ad cuius probationem, nego minorem, & illius adjunctam probationem. Etenim qui unum parietem album Romæ ponit, nullatenus influit in productionem relationum Mediolani, Bononiæ, & alibi emanantium. Neque enim aut terminus, aut qui terminum ponit, est causa effectrix relationis, sed hæc unice emanat à fundamento, existet tamen termino, veluti conditione necessario præquisita, cum relatio sit essentialiter ordo ad aliud.

Instabis 2. Si relatio totaliter efficitur à fundamento, explicari non potest, ad quid inserviat terminus. Terminus enim non præstat influxum aliquem physicum propter maximam distantiam: nec moraliter influit; quasi, posito termino, teneatur Deus novam relationem in fundamento producere; immo si res ita se haberet, inquit Owiedus, Natura debuisset sollicitos Tabellarios instituere; qui

alia alba admonerent de productione novi albi, ut ipsa possent statim novas efficere relations:

Respondetur. Nego antecedens. Terminus enim, ut diximus, se habet velut conditio necessario requisita, qua posita immediate relatio efficitur. Cum enim relatio sit ordo ad aliud, effici non potest, nisi existat illud, ad quod per relationem fundamentum ordinatur: eo modo quo corpus grave natum est moveri deorsum, præsupposita tamen impedimenti ablatione, tanquam conditione necessario præquisita ad motum illud efficiendum. Quemadmodum autem Owiedus non arbitratur, necessarios esse Tabellarios, ut nuncient aliis albis productionem nobis albi, tanquam partis novarum relationum insurgentium, quæ juxta illius opinionem sitæ sunt in complexo ex fundamento, termino, & ratione fundandi; nec eos putat necessarios Suaresius, ut præexistentibus albis notum faciant, album recens prædictum connotare novam relationem, ideoque ipsa novam acquisivisse denominationem similis, quam prius non habebant; Ita dicendum est idem in Thomistarum, & Scotistarum opinione.

Objicies 2. Si relatio esset forma superaddita, Deus posset conservare extrema relationis, simul, & collectim accepta, absque relatione. Hoc falsum est. Ergo relatio non est forma superaddita. Minor probatur. Ut sèpe docuit Scotus,

tus, omne prius independens, & realiter distinctum potest conservari sine suo posteriori. Porro extrema relationis priora sunt relatione, & ab illa non pendent. Igitur &c. Deinde si relatio diversitatis inter hominem, & brutum esset forma superaddita; homo, & brutum differenter tantummodo accidentaliter, videlicet per illud accidens relationis. Hoc autem absurdum est. Tum si relatio duplicitatis esset forma quantitati bipalmari superaddita, denominaret quamlibet partem quantitatis, quia illi quantitati inest divisibiliter: quemadmodum albedo quamlibet subjecti partem denominat albam. At si ita est, jam pars quælibet dicetur bipalmaris, & esset æqualis toti. Igitur &c.

Respondetur ad primum. Nego majorem. Ad probationem, distinguo majorem: si posterius non sequatur naturaliter id, quod est prius, concedo: si naturaliter sequatur, nego majorem, & concessa minori, nego consequentiam. Deus itaque non potest conservare extrema relationis simul accepta absque relatione, quia hæc naturali quadam necessitate emanat à fundamento, statim ac existit terminus; Quare Deus non potest alio modo impedire emanationem relationis, nisi tollendo unum, vel alterum extremorum. Cujus ratio est, quia licet Deus possit impedire omnes caussarum secundarum effectus, antequam isti producan-

tur, non tamen id potest, dum re ipsa producuntur, & causa jam intelligitur *actualiter* efficiens; aliquin manifesta haberetur contradiction, nam causa re ipsa efficeret & non efficeret. Porro fundamentum, posito termino, est causa *actualiter* efficiens relationem; proindeque non potest Deus &c.

Ad secundum. Homo & brutum differunt *essentialiter*, si spe-
citemus fundamentum hujusce differencie; si vero consideremus for-
malem ipsam denominationem di-
versitatis, differunt *accidentaliter*
per relationem diversitatissuperad-
ditam. Hæc tamen relatio suam
habet denominationem ab ipsis ex-
tremis, quæ sunt diversæ essentiæ,
proindeque dicitur diversitas essen-
tialis: eo modo quo unio necens
substantias dicitur substantialis ab
ipsius substantiis unitis.

Ad tertium. Relatio duplicatis non denominat quamlibet partem quantitatis, quippe exigit pro suo subjecto adæquato, quod ab ea perficiatur, & denominationem recipiatur, totam quantitatem, nam hæc sola habet extensionem necessario requisitam ad suscipiendam illam denominationem. Non est autem idem dicendum de partibus paries, nam quamlibet ipsius pars apta est recipere denominationem alibi, ideoque ab albedine denominatur.

Objicies 7. Admissa forma re-
lationis superaddita, sequeretur,
musca volitante, aut Petro moven-

te digittum, mutari singulas Universi partes per susceptionem novæ formæ, & novæ affectionis realis. Hoc absurdum videtur. Igitur relatio non est forma superaddita. Major probatur. Musca volitante, aut Petro digittum movente, mutantur omnes relationes propinquitatis, & distantiae ad omnia entia, & aliæ novæ relationes, sive formæ reales in singulis entibus emanarent. Consequens etiam esset, omnia entia fundare diversas relationes; adeoque omnia essent relativa: quod Aristoteles negat lib. 4. Met. Ergo. &c.

Respondetur. Concedo majorem, & nego minorem. Cum enim Universitas hæc quoad omnes sui partes sit conexa, necessario sequitur, una parte mutata, alias etiam mutari. Quemadmodum ergo in opinione aliorum Peripateticorum, tot novæ denominationes insurgunt, ita inquietunt Scotistæ non esse inconveniens, tot novas formas multiplicari; cum enim relatio sit exigua quædam entitas, ingerens istæ relationum numerus nec numerum aggravat, nec intellectum nisi imbecillem. Aristoteles autem non negat, omnia entia fundare multiplices relationes, sed tantummodo inficiatur, entia omnia secundum suam essentiam esse relativa.

Hæc ad propositæ Questionis solutionem attinent ex Scotistarum sententia. Nunc Consectaria quædam lubet summatim adjicere, quæ

ex propria sententia rite colligunt Scotistæ.

Primo igitur docent, formam illam relationis superadditam extremis multiplicari numero ad numeralem terminorum multiplicationem. Eodem enim permanente fundamento, & multiplicatis terminis specie diversis, multiplicantur relationes specie distinctæ. Ergo eodem manente fundamento, multiplicatisque terminis numero distinctis, debent multiplicari relationes numero distinctæ. Ita ex. gr. Pater dicitur primi, & secundi sui filii Pater per duplicem generationem activam; igitur & duplicem habet relationem paternitatis, quippe hæc relatio in ea actione fundatur. Neque paternitas, qua Pater referebatur ad primum filium, potest ipsum referre ad alterum filium; alioquin enim etiam, non existente secundo filio, hujus Patrem denominaret: ea ratione, qua diximus albedinem debere semper tribuere denominationem similis, si similitudo est ipsa albedo. Tum paternitas illa respicit pro suo termino adequato primum filium. Atque hinc discrimin apparent inter relationem *prædicamentalem*, & relationem *transcendentalem*, ac facultates, seu potentias operatrices; nam istæ pro suo objecto adequato non respiciunt nisi rationem aliquam formalem specificam, atque ex istius unitate vel pluralitate suam unitatem, vel pluralitatem mutuantur, ut alias diximus,

&

& realiter indistinctæ sunt à suis fundamentis.

Secundo, cum relationes sæpe sint mutuæ, unde quemadmodum Dominus, v. gr. relationem habet ad servum, ita servus ad Dominum; Scotistæ asserunt, relationem terminari ad absolutum, non ad alteram correlationem, ita ut Dominus referatur quidem ad servum, terminet autem relationem servi per suum esse absolutum. Et sane correlationes sunt simul tempore, natura, & cognitione; ut manifestum est: At terminus relationis præcedit prioritate naturæ relationem ipsam, nam hæc ab illo dependet. Ergo relatio non ad correlationem, sed ad absolutum terminatur. Hinc caussâ respicit effectum, quoad ipsius entitatem, quæ à caussa producitur, & dependet. Hinc, & respectus oppositionis in ipsis relativis ad relatum quidem terminatur, non tamen quatenus fungitur munere correlativi; hoc enim illi ex accidenti convenit; sed quatenus fungitur munere absoluti, relationem alterius sistendo. Hoc modo in Divinis Paternitas terminatur ad Filietatem, non prout hæc refert Filium ad Patrem; sed quatenus personam Filii constituit, atque tunc fungitur munere absoluti.

Tertio, inquiunt Scotistæ, unam relationem posse fundare aliam, non quidem in eodem ordine, sed in diverso. Nam ex. gr. duæ paternitates sunt similes inter se se re-

Tom. I.

ipsa, & nullo intellectu cogitante. Ergo hæc denominatio est in illis nova, intrinseca, realis, & relativa; adeoque novam formam realem exposcit, sicut denominatio illa, qua duo homines dicuntur similes; quippe tam in hominibus, quam in paternitatibus ea denominatio est accidentaria, & realiter distincta, ac separabilis. In divinis autem relationes se se respiciunt ad modum correlativorum, nec Pater esse, aut intelligi potest sine Filio; ac subinde per suos essentiales conceptus invicem distinguuntur, & opponuntur.

Neque hinc sequitur, admitti oportere progressum in infinitum in relationibus sub diversa ratione semper consideratis. Res enim eo tandem deduceretur, ut status in una, vel altera relatione constituendus sit, vel quia differentia ad relationem *transcendentalem* pertinebit, vel quia individualis erit, adeoque omnino ultima. Sed de his jam satis.

Postremo loco Nominalium, aliorumque sententiam satis probabilem esse arbitramur, qui in Divinis quidem relationes reales agnoscent; in creatis vero ajunt relationes *fundamentaliter* utique reales esse, quatenus res ipsæ absolute occasionem administrant menti nostræ eas invicem referendi, aut comparandi; *formaliter* autem in ipsa intellectus comparatione constituent.

Et sane in rebus hisce creatis

Cc ni-

nihil pene est non absolutum ; nec nulla ratio nos cogit relativi quidpiam re ipsa illis concedere ; nec satis compertum est , ea , quæ relata dicuntur , ita se habere , ut re ipsa illorum unum ad alterum referatur , veluti simile , vel dissimile ; distans , vel præsens . Ergo negotium hoc uni menti nostræ est adscribendum , quæ unum cum altero conferat , ordinemque concipiatur unius ad aliud . Quid enim , quæso , mihi advenit , si in Indiis alter homo oriatur ? Quid novi accidit parieti albo hic existenti , si alius paries Romæ albus evadat ? Quo nuncio hæc alibi contingentia , hic enarrantur , ut novus ordo , nova relatio promanet ? Quod si relatio novam formam , novam affectionem realem præ se fert , quotiescumque volitat Musca , singulæ Universi partes ita mutarentur , ut nova forma realis singulis addatur , præsentia nimirum , vel distantia , ac similiūm .

Quia vero relationum realium assertores reponunt , iis omnibus subtiliorem intellectum minime prægravari ; Nominales è converso candide fatentur , tantam sibi præsto non esse ingenii subtilitatem , qua tantam rerum omnium realem mutationem , ad unius Muscaæ motum , simul intelligere valeant , & afirmare ; atque hac super re judicium eorum expostulant , qui reliquo partium studio in veritatis assecutionem incumbunt .

Inficiantur etiam , relationes simi-

litudinis , ex gr. reales esse , si formaliter accipientur , quamquam reale sit fundamentum , quo permoveatur intellectus ad ordinem similitudinis efficiendum . Hinc Mundi perfectionem sitam esse dicunt in ipsis rebus absolutis , quæ à nostro intellectu referri invicem possunt ; in ordine , inquam , fundamentaliter accepto , qui extat etiam , nullo intellectu cogitante : sed non in ordine formaliter sumpto , nam hic mentis nostræ opus est .

Disparem porro rationem esse de Divinis relationibus , inquiunt . In Divinis Catholici reales relationes concedunt , non ductu naturæ rationis , sed fidei lumine mentes nostras illustrante . Ipsa vero fidei notitia præhabita , rationem investigare nituntur , cur illæ sint dicendæ reales . Ideo autem relationes illas in Divinis reales fatentur , quia Divinas Personas constituunt , ac nisi extaret Paternitas realis , nequaquam intelligi posset Pater , qui Filium generet ; non enim Divinæ Personæ per aliud , quam per relationes constituuntur ; quamobrem illæ relationes reales sunt . At in creatis , à quacumque paternitatis relatione abstrahendo , intelligitur esse absolutum Patris , à quo Filius generetur ; & relatio illa adstruitur necessaria unice ad præstandam Patris denominationem . Talis porro denominatio in creatis non est realis , ut re ipsa ad Filium Pater ordinetur , licet fundamentaliter realis appellari pos-

possit. Non ergo in Divinis relationes dicuntur reales, quia Pater generat Filium; sed quia illis sublati nihil haberetur, quo Divinæ Personæ constituantur.

Relations denique *Transcendentiales* quidpiam esse absolutum arbitrantur Nominales. Quamobrem essentiam accidentis in ipsa Inherentia aptitudinali constituunt. Idemque de aliis potentiis, seu principiis docent.

DISPUTATIO QUINTA.

De veritate, & Falsitate Propositionis.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Propositiones de futuro contingenti sint determinate vera, vel falsæ?

DE Veritate, & falsitate Propositionis jam disseruimus in I. parte, sect. 2. c. 1. Nunc igitur de iis propositionibus contingentibus disputamus, quæ circa futuras hominum operationes liberas versantur; & inquirimus, utrum re ipsa duæ propositiones contradictoriarum de futuro contingenti ita se habeant, ut una earum sit in se determinata vera, altera determinata falsa; quamquam id nobis minime innotescat; unde apud vulgus fertur commune illud effatum. *De futuris contingentibus non datur determinata veritas.*

Porro cum id, quod est determinatum ad futuritionem, debeat necessario evenire, duplum distinguere oportet necessitatem. Una est antecedens, & absoluta; altera consequens, & conditionata. Prior illa antecedit voluntatem nostram, oritur à caussa nobis nequaquam libera, facit rem; & ideo cum, veluti Domina imperans, liberum arbitrium antevertat, illud etiam à sua indifferentiæ regno exturbat. Posterior comitatur voluntatem nostram, oritur à caussa nobis libera, fit ab ipsa re; quare cum ut comes liberum arbitrium sequatur, ejus dominio subjicitur. Ita sane qui pro nutu suo libere igni accedit, dicitur etiam pro libito calefieri; qui vero cogiturn igni accedere, omnino necessario absolute calefit.

Hinc vero duplex itidem determinatio intelligitur. Unam Philosophi appellant *de inesse*, quantum inexistenciam prædicati significat; & hæc rem futuram esse præ se fert, nec tamen potentiam amovet ad oppositum. Alteram nominant *de possibili*, quia possibilitem ipsam, seu potentiam afficit; & ista rem ita futuram esse notat, ut excludat potentiam ad oppositum. Quamobrem duplex dicitur etiam indeterminatio, seu indifferentia hisce determinationibus adversa; *de inesse*, ac *de possibili*. Indeterminatio *de inesse* connotat actum secundum non esse determinatum: ut quan-

do res aliqua intelligitur omnino indifferens ad existendum, & non existendum: Indeterminatio de possibili solam significat actus primi, seu potentiae indifferentiæ, nec excludit determinacionem actus secundi: & hæc in re apparet, quæ licet Dei voluntate ad futuritionem determinata sit, in se se tamen semper est indifferens, & cum sit contingens, quantum est ex se se potest non existere. Dicimus, propositiones de futuro contingentí esse determinate veras, vel falsas.

Probatur. Deus ab æterno cognovit determinate omnia futura contingentia. Ergo propositiones de futuro contingentí sunt in se determinate veræ, vel falsæ. Consequentia evidens est. Etenim cognitionis non facit sibi objectum, sed illud solummodo contemplatur; Nec ideo res veræ sunt, quia cognoscuntur, sed siccirco ut veræ cognosci possunt, quia tales in se se, & re ipsa sunt. Antecedens probatur ratione naturali. Deus est ens summe perfectum, quo nihil melius excogitari potest, & quod omnem prorsus perfectionem continet. Atqui cognitionis certa, & determinata futurorum est maxima perfectio. Deus igitur futura cognoscit omnia: & quidem determinate. Ergo futura contingentia sunt in se se determinate cognoscibilia, adeoque vera, vel falsa. Alioquin Divina Scientia errori esset subjecta, & Deus ipse falli-

posset: quod infinitæ Dei Perfectioni omnino repugnat.

Eadem veritas inconcusso Divinarum Litterarum testimoniō demonstratur: Etenim Regius Psalmes dicebat Deo, Psalmo. 138. Intellexisti cogitationes meas de longe, & omnes vias meas prævidisti. Et Jesus Filius Sirach, Ecclesiastici c. 23. ait: Domino Deo, antequam crecentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia. Et Danielis c. 13. Susanna sic Deum allocuta est: Deus aeterne, qui nosti omnia, antequam fiant. Idipsum confirmant unanimi sententia SS. Patres, atque præ ceteris Augustinus in lib. 5. de Civitate Dei, c. 9. ubi errorem Ciceronis refellit, qui (inquit optime S. Doctor) ut confirmaret liberum voluntatis arbitrium, dum vult (homines) facere liberos fecit sacrilegos. Concludat igitur Augustinus: Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est. Igitur &c.

Objicies 1. Si Deus certo cognosceret futura contingentia, & hæc propositio, ex. gr. Petrus cras peccabit, esset determinate vera, vel falsa, ruit humana libertas. Hoe absurdum est. Ergo &c. Sequela majoris probatur. Humana libertas ruit, si operationes hominis necessario evenirent. Atqui tunc peccatum Petri, vel ejus non peccatum necessario eveniret. Igitur &c.

Con-

Confirmatur. Si propositio illa vera est , Petrus jam esset determinatus ad peccatum. Si propositio est falsa , Petrus esset determinatus ad non peccandum. Ergo Petrus non esset amplius indifferens; adeoque nec liber , quia libertas indifferentiam præ se fert. Ergo &c.

Respondetur. Nego sequelam majoris. Ad probationem distinguo majorem : si operationes hominis necessario evenirent , necessitate absoluta , concedo ; necessitate conditionata , nego majorem; eodemque modo distincta minori , nego consequentiam. Ad Confirmationem , distinguo antecedens: Petrus esset determinatus , determinatione de inesse , concedo: determinatione de possibili , nego antecedens , & consequentiam. Divina præscientia non facit objetum , sed illud , ut est in se , contemplatur. Atque , ut optime scribit S. Hieronimus in cap. 26. Ieremiæ , non ex eo quod Deus scit futurum aliquid , siccirco futurum est : sed quia futurum est , Deus novit , quasi præcivus futurorum: Igitur Petrus cras peccabit , vel non peccabit , prout ipsi libuerit: quidquid autem Petrus facturus est , jam Deus ab æterno præscivit. Hinc peccatum , vel non peccatum Petri necessario eveniet: necessitate conditionata ; ex suppositione nimirum Divinæ Præscientiæ , quæ non cogit Petri voluntatem , sed id præcognovit , quod

Petrus arbitrio suo facturus est. Quamobrem ista necessitas non est absoluta , seu antecedens , sed conditionata , & consequens ; nam si Petrus peccaturus est sua libertate , Deus prævidit ipsum peccaturum: si autem Petrus voluntate sua peccaturus non est , & hoc ipsum Deus prævidisset. Hinc Petrus est determinatus , non determinatione de possibili , quæ potentiam excludit ad oppositum , sed determinatione de inesse , quæ actum futurum significat pro libera Petri voluntate. Neque enim (verba sunt S. Augustini loco citato de Civ. Dei) ideo peccat homo , quia Deus illum peccaturum præscivit : immo ideo non dubitatur ipsum peccare , cum peccat , quia ille , cuius præscientia falli non potest , non factum , non fortunam , non aliquid aliud , sed ipsum peccaturum esse præscivit. Qui si nolit , utique non peccat : sed si peccare noluerit , etiam hoc ille præscivit.

Instabis 1. Atqui peccatum , ex gr. Petri , necessario eveniret , necessitate absoluta. Ergo nulla responsio. Minor subsumpta probatur. Quæ ex suppositione antecedenti eveniunt , necessitate absoluta fiunt. Atqui peccatum Petri eveniret ex suppositione Divinæ Præscientiæ , quæ à Petro frustrari , aut eludi non potest. Igitur &c.

Respondetur. Nego misorem subsumptam. Ad probationem responsio patet ex dictis. Etenim

Præ-

Præscientia Dei antecedit quidem duratione operationem Petri, quia illa est æterna, hæc temporalis; non tamen caussalitate, nam comittatur Petri determinationem: ut antea dicebamus. *Sicut tu (ait optimè ad rem nostram S. Augustinus; lib. 3. de libero arbitrio, c. 2.) adversus Evodium disputans). Si- cut tu memoria tua non cogis facta esse, qua præterierunt: sic Deus præscientia sua non cogit facienda, qua futura sunt. Frustrari tamen, ac eludi à Petro non potest præscientia Dei, quia præscientia, ut inquit Boetius, lib. 5. de Consolatione Philosophiae, prosa quarta, tam si futuris eveniendi necessitas non est; signum tamen est, necessario ea esse ventura.*

Instabis 2. Præscientia Dei omnem Petro adimit indifferentiam, sive potentiam ad oppositum. Ergo antecedit caussalitate operaciones Petri. Minor subsumpta probatur. Præscientia Dei est omnino infallibilis. Atqui si Deus præscit, Petrum cras peccaturum, & Petrus posset cras non peccare, præscientia Dei posset falli. Ergo &c. Minor probatur. Si Petrus cras non peccaret, falleretur actu præscientia Dei. Ergo si Petrus posset cras non peccare, posset falli præscientia Dei. Consequentia inde ostenditur. Sicuti se habet actus ad actum, ita potentia ad potentiam. Atqui actualiter Petrum non pecare præ se ferret actualem errorem in Dei præscientia. Ergo posse

Petrum non peccare, possibilem in illa errorem concludit.

Respondeatur. Nego minorem subsumptam. Ad probationem, nego minorem. Ad hujus probationem, nego consequentiam. Ad probationem istius, distinguo maiorem: si cetera sint paria, concedo: si cetera paria non sint, nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam, & paritatem. Ad errorem actualem præscientiae debent duo hæc simul haberi, nempe præscientia peccati Petri, & non existentia peccati Petri: sive præscientia componi debet cum suo opposito. Etenim falli est opinari rem esse, quando non est; aut non esse, quando est. Quare ad possibilem præscientiae errorem deberent posse componi simul præscientia peccati cum suo opposito, sive cum negatione peccati. Porro si Deus prævidit Petrum cras peccaturum, & Petrus re ipsa non peccaret, præscientia, & oppositum illius simul haberentur: atque adeo erraret scientia. At si Deus prævidit Petrum peccaturum, & Petrus potest non peccare, simul componuntur præscientia peccati, & potentia Petri ad non peccandum; proindeque non componitur præscientia cum suo opposito, quia præscientia refertur ad actum, non ad potentiam. Quod si potentiam hanc vellet Petrus executioni mandare, & re ipsa non peccare, Deus quoque prævidisset Petrum non peccaturum.

In-

Instabis 3. Si, præsupposita præscientia Dei, Petrus posset non peccare, ista Petri potentia executionem habere posset suam, etiam in illa suppositione. Ergo re ipsa componi posset simul præscientia cum suo opposito.

Respondetur. Distinguo antecedens: potentia posset habere executionem, in sensu composito præscientiæ, nego: in sensu diviso, concedo antecedens, & nego consequentiam. In sensu composito divinæ præscientiæ, Petrus certo ac determinate peccaturus est, quia scientia id, quod re ipsa futurum est, quale est in se contemplatur. At in sensu diviso præscientiæ Dei, id est non præsupposita præscientia Dei, Petrus potest executioni mandare potentiam suam non peccandi.

Instabis 4. Atqui hoc non sufficit ad libertatem Petri. Ergo nulla responsio. Minor subsumpta probatur. Si Petrus vi aliqua superiori constringatur vinculis, licet possit ambulare in sensu diviso vinculorum, tamen quia in sensu composito vinculorum ambulare non potest, libertatem revera non habet ad ambulandum. Ergo licet Petrus possit re ipsa non peccare in sensu diviso divinæ præscientiæ, quia tamen non valet potentiam suam executioni mandare in sensu composito ejusdem præscientiæ, revera libertare non gaudet ad non peccandum.

Respondetur. Nego minorem

subsumptam. Ad probationem, nemo causalem antecedentis. Libertas Petri ad ambulandum non ideo per vincula tollitur, quia Petrus in sensu composito vinculorum ambulare re ipsa non possit; Sed quia in Petri potestate non est sensus ipse compositus, vel divisus vinculorum; nam vi sibi superiori constringitur, quam superare, ac repellere non valet. At in re nostra ipse sensus compositus, vel divisus divinæ præscientiæ revera est in potestate Petri, quia si Petrus nollet peccare, Deus non prævidisset Petrum peccaturum, sed è converso præciisset ipsum Petrum revera minime peccatum; ut diximus.

Instabis 5. Ergo scientia Dei à creaturis penderet. Quippe pro nutu Petri esset, vel non esset, atque Petri denominationem præsupponeret.

Respondetur. Nego consequentiam. Quippe creaturæ non sunt objectum motivum divinæ scientiæ, nec virtute propria intelliguntur. Est enim sola Divina Essentia objectum motivum divini intellectus, quæ propter summam suam veritatem, seu intelligibilitatem eidem omnia repræsentat, & in ordine intelligibilium per se ipsam præstat illud omne, quod valent alia intelligibilia. Hoc itaque tantummodo sensu rite dicere possumus, divinam scientiam præsupponere res creatas; quatenus cognitio non facit sibi objectum, sed

sed objectum unice contemplatur.

Objicies 2. Si futura contingētia essent determinate vera, vel falsa, atque ut talia à Deo cognoscērentur, vana esset sollicitudo hominum circa temporalia, & spiritualia. Præscientia enim Dei falli, aut frustrari non potest. Hoc absurdum est. Ergo &c. Tum lex propositionum contradictoriarum est, ut una sit vera, altera falsa, atque hoc disjunctive. Ergo disjunctive etiam à Deo cognoscuntur; atque adeo Deus non cognoscit aliquod futurum contingens esse determinate verum, sed scit tantummodo, unum vel alterum ex contradictoriis futurum esse.

Respondeatur ad primum. Nego majorem ex dictis. Cum enim scientia Dei non faciat sibi objectum, sed illud ut in se est contempletur; hinc futura Deus prævidit, servato modo agendi humano, & hominum industria, ac sollicitudine, quæ media sunt necessaria ad existentiam operationum, & effectuum futurorum.

Ad secundum. Evidem nos tantummodo disjunctive cognoscimus, unam, vel alteram propositionum contradictoriarum esse veram, quia imperfecti sumus, & omnis nostra cognitio deficiens est, nec ad futura, ut ea sunt in se ipsis, pertingere valet. At omnis Dei cognitio perfectissima est, adeoque futura percipit, ut re ipsa sunt in se determinata.

Objicies 3. Deus in Sacris Litteris dubitanter loquitur de futuris contingentibus. Ita ait Matthæi c. 21. *Verebuntur forte filium meum.* Jeremiæ c. 26. *Noli subtrahere verbum, si forte audiant, & convertantur unusquisque à via sua mala.* Ezechielis c. 11. *Si forte vel ipsi audiant, & si forte quiescant.* Joel quoque c. 11. inquit: *Quis scit, si convertatur, & ignorat.* Et Christus Joannis 8. dicebat: *Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis.* Dicendum ergo videtur, Deum non cognoscere futura determinatae, & allata à nobis in probatione testimonia S. Scripturæ ita cum istis esse concilianda, ut ea Deo attribuant futrorum contingentium notitiam, non quidem certam, & determinatam, sed mere conjecturalem, & indeterminatam, quæ dubitationem minime excludit.

Respondeatur, hæc & similia in Divinis Litteris non Dei omnia præscientis dubitationem indicare, sed liberum hominis arbitrium locutionibus illis à Deo significari. Verbum forsan, ait S. Hieronymus in citatum caput Matthæi, *majestati Dei convenire non potest, sed nostro loquitur affectu, ut liberum hominis servetur arbitrium;* & in Ezequielem: *Loquitur autem, Deus hac ambigentis affectu; nempe ut ostendat sollicitudinem suam pro nobis, & spem nostram erigit.* Aliam rationem reddit Augustinus, verba illa expendens Psalmi 2. Ne

quan-

*quando irascatur Dominus. Hoc enim cum dubitatione positum esse inquit; non secundum visionem Prophetæ, cui certum est: sed secundum eos ipsos qui monentur; quia cum dubitatione solent cogitare iram Dei, quibus non aperte revelatur. Illa etiam particula forte non semper est dubitantis, sed aliquando etiam increpantibus, idemque significat, ac particula *utique*: ut animadvertisit S. Augustinus tract. 37. in Joannem; hinc testimonium illud Joan. 8. ita exponitur c. 14. Si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis. Unde idem S. Doctor citato in tractatu scribit: Dubitationis verbum est, quando dicitur de homine, ideo dubitante, quia nesciente: cum vero dicitur à Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.*

Neque decet assingere Deo cognitionem conjecturalem, quæ imperfecta est. Quæ esset enim (ut cum Boetio loquamur lib. 5. de Cons. Phil. pr. 3.) hac præscientia, quæ nihil certum, nihil stabile comprehendit? Aut quid hoc referret vaticinio illo ridiculo Tiresiae? (apud Horatium, sat. 5. lib. 2.) O Laerti ade, quidquid dicam, aut erit, aut non.

Objicies. 4. Si Deus certo cognoscere futura contingentia, aliquando mentitus fuisset. Hoc absurdum est. Ergo &c. Sequela majoris probatur. Isaiae c. 38. ingress-

-Tom. I.

sus Propheta ad Ezequiam Regem ægrotantem ait illi: *Hæc dicit Dominus: Dispone Domui tue, quia morieris tu, & non vives. Jonas c. 3. jubente Deo, abiit in Ninivem, & clamavit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Genesis etiam c. 4. Caino timenti, ne occideretur, ait Deus: Nequaquam ita fiet. Atqui hæc omnia contra evenerunt. Nam Ezechias tunc mortuus non est, Ninive subversa non fuit, & Cain occisus est à Lamech. Igitur &c. Respondetur. Nego sequelam majoris. Ad probationem, explicò allatas sententias. Piores duæ non significant futurum absolutum, sed conditionatum, cuius eventus penderet ab aliqua conditione, quæ minime posita, etiam futurum tollitur. Ita prædicta tunc fuit mors Ezechiae, si nempe Deus permisisset causas naturales mortem Ezechiae intentantes operari. At Deus Ezechiae precibus exoratus, cumdem sanitati restituit. Etenim lib. 4. Regum c. 20. ubi eadem historia refertur, legimus: Ezequias convertit faciem suam ad parietem, & oravit Dominum... Et antequam egrederetur Isaias medianam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum, dicens: Revertere, & dic Ezechie duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: & ecce sanavi te.*

Subversionem quoque Ninive comminatus est Deus, si nempe

Dd

Ni-

Ninivitæ non egissent pœnitentiam. Cum igitur Ninivitæ pœnitentiam egerint, ut ex eadem historia liquet, siccirco futurum illud conditionatum minime evenit. Addimus moralem S. Augustini interpretationem, qui in Psalmum 50. num. 11. eversam dicit *Ninivem in malo, adificatam in bono.*

Certum denique non est Cainum à Lamech fuisse occisum, immo contrarium indicare videntur verba Lamechi dicentis citato in capite Geneseos: *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum.* At Cain erat Lamechi abavus, nec rite poterat ab eo adolescentulus appellari. Quamquam ergo Cain mortem promere-retur, quia fratrem suum Abelum interfecerat, Deo tamen clementissime exiguum numerum hominum spectante, à morte violenta servatus fuit. Alia est responsio S. Hieronimi, qui in epist. 125. ad Damasum, ex Hebræorum traditione scribit, promissionem illam Dei significasse, Cainum non fore occidendum eo modo, quo ipse timebat: *Omnis, qui invenerit me, occidet me.* Id enim non contingit, nec Lamech ex intentione Cainum interfecit; dicitur enim eumdem occidisse ex errore inter venandum, eum putaret seram telo confodere.

Objicies 5. Si Deus cognovisset futurum Adami, & Evæ peccatum, istud non evenisset. Atqui in nostram perniciem re ipsa peccatum istud contingit. Ergo &c. Sequela

majoris probatur. Si Deus futurum illud peccatum certo agnovisset, illud impedivisset, vel non permettendo Evas à Diabolo decipi, vel majorem Evæ gratiam conferendo: Ergo &c. Probatur antecedens. Tenet ista Subtilis Doctoris argumentatio pro Immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ: Potuit Deus Mariam præservare à peccato originali; Decevit Deum Mariam præservare; Voluit Deus Mariam præservare. Ergo re ipsa Mariam à culpa originali præservavit. Atqui Deus, quia omnipotens, poterat sane impeditre peccatum illud, manente etiam hominis libertate; quia vero Deus est summum bonum, nolebat peccatum illud evenire; hoc etiam decens erat divinæ bonitati, ne tot creaturæ rationales perirent, Ergo Deus impedivisset peccatum illud.

Respondeatur. Nego sequelam majoris. Ad probationem, nego antecedens. Ad hujus probationem, concedo majorem. Minor autem propositio distinguenda est: ut mox explicabimus; & exinde negatur consequentia, & latissimum exponitur discrimen. Nemo inficias ibit, Deum potuisse impeditre peccatum Protoparentum, manente etiam eorum libertate. At negamus Deum debuisse illud re ipsa impeditre. Cum enim primo Deus decretaverit sinere caussas secundas suos motus operari, liberas libere, naturales necessario, atque hominem indiffe-

rentia ditaverit arbitrii , prævidit subinde futurum libertatis abusum in Adamo , & Eva. Abusus ejusmodi adversus æquisimam Dei intentionem pugnabat , nam ipse peccata prohibuit , virtutes præcepit, tum auxilia gratiæ contulit Adamo , & Evæ , quibus sussulti poterant, si voluissent , divino obtemperare mandato, iniquas Serpentis suggestions repellere , & à vetito pomo abstinere. At illi propria voluntate mala Deum deseruere. Nec decens fuit Deo malæ voluntatis exercitium impedire, ne concessam homini libertatem retractaret , quam eidem contulerat, ut homo rectum ageret , & sibi per bona merita æternam gloriam compararet. At nihil simile occurrit in Scotti ratione pro immaculato Virginis conceptu. Nam , ut Theologi docent, prædestinatio Beatissimæ Virginis Mariae prævisionem antecedit peccati originalis , & cum Deus Christum præordinaverit velut caput omnium creaturarum , Virginem quoque ut Christi Matrem elegit ante originalis culpæ futuræ præsensionem ; & ideo Mariam puram adeo , & immaculatam vele debuit , ut Dei Matris honor postulabat.

Futura contingentia alia sunt absolute , quorum existentia jam à Deo decreta , & prævisa absolute fuit , ac de his in quæstione disseruimus; alia sunt conditionata, quæ re ipsa nunquam erunt , quoniam conditio , à qua pendent , nunquam

erit : qua tamen existente , & ipsæ in esse ponerentur. Porro hæc etiam futura conditionata Deum certo per noscere , ipsius Dei summa perfectio evincit.

Quo autem in medio Deus futura omnia cognoscat , disputant Theologi. Evidem consentiunt omnes , Deum res extra se cognoscere in sua Divina Essentia, quæ virtute sua omnia continet , atque ut prima veritas est , ac primum intelligibile ; cetera representat divino intellectui. Sed cum Divina Essentia ex se se omnino sit indifferens ad unam , vel alteram partem contradictionis representandam ; ideo dissident Theologi, unde nam futurorum contingentium determinatio sit repetenda.

Thomistæ docent, Deum decreto suo omnia futura ab æterno ita prædeterminasse, ut decretum illud sit ab intrinseco efficax , & præterminans , & caussalitate præcedat futura ipsa. Hoc Decretum appellatur Antecedens , Oritur autem ab infinita virtute , & efficacia Dei , & operationes nostras antecedit perfectione , quia à Deo est perfectissimo ; duratione , quia æternum est; caussalitate, quia causa est determinationis creaturæ , & voluntatem nostram præmovet , ac prædeterminat ; unde pertinet ad actum primum. Aliis Theologis placet , Deum habere certam , & determinatam futurorum conditorum cognitionem per Scientiam , quam nominant Medium,

quatenus non est Scientia simplicis intelligentiae, qua cognoscuntur mere possibilia, nec est Scientia visionis, qua cognoscuntur futura absoluta. Hæc Scientia Media omnino independens est à Divinis Decretis, unde futura libera conditionata Deus cognoscit in eorum veritate objectiva, quam res ipsæ futuræ habent in se ipsis; & circa liberas hominis actiones nihil omnino ab æterno statuit absolute, nisi prius congnoverit, quid homo facturus esset, si in illis, vel illis circumstantiis colloccaretur. Scotistarum sententia est, Deum futura omnia cognoscere, sive absoluta, sive conditionata in suo Decreto Concomitanti. Hoc porro Decretum ita declaratur. Cum Deus primo constituerit caussas secundas suos agere motus, liberas libere, naturales necessario, & cum ipse infinita polleat perfectione; ideo voluntate sua summe perfecta continet virtualiter voluntates nostras, atque se solo valet ea ab æterno decernere, quæ voluntas nostra pro suo libito in tempore constituet; proindeque operationes nostras in tempore futuras ita ab æterno jam determinavit, ut decreto suo in eamdem illam coincideret determinationem, quam voluntas nostra pro suo libito in tempore seliget. Quo fit ut Deus non prædeterminet voluntates nostras ad unam determinatam contradictionis partem, sed decreto suo id solum constituat, quod nostræ vo-

luntati futurum est consentaneum. Hinc decretum istud Concomitans non prædeterminat voluntatem nostram, adeoque non afficit actum primum, nec præcedit caussalitate operationes creaturarum.

Scotistæ igitur in hoc Concomitanti Decreto Deum omnia futura cognoscere arbitrantur. Si futura autem sint conditionata, decretum est absolutum ex parte actus divinæ voluntatis, quia hæc jam est determinata, non determinanda; est conditionatum vero ex parte objecti, quia objectum est determinatum ad existentiam habendam: non quidem absolute, sed conditione adimpta. Cum enim (inquit) futura contingentia, etiam conditionata, ex se se indifferentia sint ad veritatem, vel falsitatem, antecedenter ad divinum decretum nihil habent, quosint determinatae vera, & futura, adeoque à solo divino decreto determinatam habent futuritionem, & veritatem. Hoc porro Decretum non potest esse Antecedens, ut Thomistis placet, quia hoc videtur non satis cohaerere cum nostra libertate. Nam ejusmodi Decretum non est in nostra potestate, prædeterminat voluntates nostras, & pertinet ad actum primum agendi, atque præcedit caussalitate operationes nostras. Pôtro (ut bene ait Subtilis Doctor in 2. d. 37. §. ideo merito) *Quandocumque aliquid consequens sequitur necessario ad aliquid antecedens; in cuius potestate non est antecedens,*

dens, neque in ejus potestate est illud consequens. Atque adeo operatio nostra, quæ necessario sequitur efficax illud Decretum Dei, & ab eo causatur, non esset nobis libera. Decretum igitur, in quo Deus præscivit futura libera, aliud non erit, nisi Decretum Concomitans, quo Divina Voluntas per se ab æterno futura omnia sic determinat, ut coincidat in eamdem determinationem, quam faciet in tempore creatura, quoniam creata voluntas in Divina Voluntate virtualiter continetur.

Sed hæc distinctius erunt expli-canda in Theologica Facultate.

DISPUTATIO SEXTA.

De Scientia.

QUÆSTIO UNICA.

An Scientia, Fides, & Opinio in eodem intellectu simul esse possint de eodem objecto formaliter?

Scientia, ut alias diximus, est certa, & evidens cognitio rei; certa quidem, quia dubitationem omnem depellit; evidens autem, quia tunc nobis veritas manifeste elucet. Scientia porro vel simplicem aliquando notitiam dicit, vel per demonstrationem, seu rationationem, & vim syllogisticam comparatur.

Ex allata Scientiæ descriptione apparet ipsius discrimen à fide, & ab opinione. Nam *Fides*, si divino initiatu*m* testimonio infalibili, ut

ait Apostolus ad Hæbreos cap. 11. est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium; nempe fundamentum, quod spem nostram sustentat, unde firma simul habetur; ac certa persuasio, seu firmissimus assensus rerum, quæ non apparent in se ipsis, sed revelatae sunt à Deo. Proinde Scientia per evidentiam discriminatur à Fide Divina. Quod si Fides humano testimonio fit innixa, evidentiam non habet, nec certitudinem quippe ab eo proficiscitur, quod fallere potest, & falli. Quamobrem ejusmodi fides humana longius à Scientia distat, certitudine simul, & evidencia. Hinc dicenda est opinio. Siquidem Opinio, ut alias diximus, est assensio propositioni præstita, sed certitudini, evidentiæque non innixa, quia vel objectum est omnino contingens, vel assensionis caussa est tantummodo probabilis.

Scientia, Fides, & Opinio vel quoad habitum spectari possunt, vel quoad actum. Quia vero habitus, ut animadvertiscitur Scotus in 3. d. 24. pugnantiam invicem non habent, nisi ratione actum, ideo præsens quæstio non respicit habituum societatem, neque habitum scientiæ relatum ad opinionem, Fidemque actualem. Ergo sensus quæstionis est, an intellectus noster, sive naturaliter, sive supernaturaliter, habere simul queat actum scientiæ, & fidei, vel opinionis de eodem objecto, formaliter, id est, sub eadem ra-tio-

tione considerato : diversis tamen mediis intellectum moventibus.

Quamvis autem opinio actualis, utpote quæ ex genere suo ad certitudinem, firmitatemque scientiæ non pervenit, semper præ se ferat, posse opinantem dubitare de opposito; non tamen hanc ipsam dubitationem semper habet adnexam. Potest enim quis assensum probabilem animo tenere, quin re ipsa ambigat de opposito, vel quia res ut plurimum contingit, aut gravibus testimoniorum, communive hominum consensu firmatur, vel quia voluntatis obstinatio adeo figit intellectum, ut rem posse aliter evenire non animadverat. Igitur cum intellectus ex veritate objecti prudenter cognita moveatur ad assensum probabilem, dubitatio autem potius ab eo assensu intellectum retrahat, hinc fit, assensum opinativum haberi posse sine actuali dubitatione.

Dicimus, scientiam actualem, nec naturaliter, nec supernaturaliter in eodem intellectu simul esse posse de eodem objecto formaliter cum fide actuali, vel cum opinione, quæ adnexam habeat dubitationem; opinionem vero à dubitatione actuali abstractentem non posse ut plurimum, ac naturaliter simul componi cum scientia, id tamen contingere posse divina virtute, & supernaturaliter. Assertionem colligitur ex Scoto citato, & consona est doctrinæ Aristotelis, lib. 1. Analyticorum Posteriorum

cap. 30. dicentis : *Perspicuum est fieri non posse, ut eamdem rem simul opinetur quispiam, & sciat; alioquin existimaret eamdem rem aliter se habere posse, & non aliter se habere posse, quod fieri nequit.*

Probatur prima pars. Certissimum est non posse intellectum nostrum duo invicem contradicentia simul, & semel de eodem formaliter objecto affirmare; alioquin enim fateretur idem simul esse, & non esse. Atqui si de eodem objecto formaliter scientiam simul haberet, ac fidem, vel opinionem, duo invicem contradicentia de illo affirmaret. Ergo scientia, fides, & opinio, ut diximus, non possunt esse simul. Minor probatur. Intellectus actu scientifico judicaret necessariam esse connexionem praedicati cum subjecto: assensu autem opinativo eamdem diceret non necessariam, sed contingentem. Intellectus itidem scientia perciperet evidenter, praedicatum subjecto annexi: fide vero evidentiā in eo nexus nequaquam inesse crederet. Ergo contradicentia affirmaret. Scientia quoque certitudinem, & evidentiam parit; opinio incertitudinem, fides invidētiam. Scientia dubitationem omnem ab animo repellit; opinio, ut supponimus, dubitationem annexam habet. Ergo intellectus simul ac semel de eodem formaliter objecto certus esset, & incertus; evidens, & invidens; non dubius, &

du-

dubius. Quæ invicem contradicentia esse nemo non videt.

Neque vero quis dicat, medium diversitate contradictionem omnem ammoveri; adeoque in eodem intellectu simul esse posse scientiam unius objecti *formalis*, fidemque, vel opinionem, si diversis mediis intellectus innitatur.

Etenim utcumque dicas à diversis mediis oriri certitudinem, & incertitudinem: evidentiam, & inadvertitiam; hæc omnia invicem pugnant contradictione, atque cumdem intellectum simul esse, & non esse concluderent. Rursus conexio prædicati cum subjecto suapte natura vel est necessaria, vel contingens; non igitur potest simul, & semel contingens, & necessaria affirmari, ne per diversos quidem actus, aut per media diversa.

Confirmatur hæc ratio. Non potest intellectus diversis etiam actibus una simul assentiri, & dissentiri eidem objecto formaliter: quemadmodum nec voluntas potest una simul multiplici actu velle idem, & nolle amare, & odire. Ut enim voluntas amore in objectum tendit, odio autem ab illo recedit; ita intellectus simul affirmaret actu scientifico, objectum esse evidens, & necessarium: opinione vero inevidens diceret, & contingens, sive non necessarium.

Probatur secunda pars. Posito actu scientifico supervacanea est vis probabilitatis. Ergo ut plurimum, & naturaliter scientia, &

opinio non compontuntur in eodem intellectu circa idem objectum formale. Probatur antecedens. Si semel intellectus certam, evidentemque objecti cognitionem habeat, & vim medii scientifici, demonstrationisque percipiat, negligit profecto quascumque rationes probabiles, nec ab illis movertur, quomodo qui lumini splendissimo Solis rem oculis obversantem videt, per exiguum, tenuemque lucernæ flammarum ne quidem attendit. Ita sane momenta probabilia nihil conferunt ad assensum iis præstandum, quæ per se se nota sunt. Ergo etsi rationes probabiles, & Sapientium auctoritates disponere queant, & adjuvare intellectum ad percipiendas demonstrationes, nullatenus tamen commovere possunt intellectum, qui certa, evidentique notitia objectum teneat. Ergo tunc vis probabilitatis supervacanea est &c.

Probatur tertia pars hac generali ratione. Divina virtute id omne possibile est, quo posito nihil absurdum, & contradictoris habetur. Nulla porro est contradictione, si opinio à dubitatione abstracta, & assensum probabilem unice præ se ferens cum actu scientifico componatur; & Dei voluntate non esset supervacanea, cuius placito deserviret. Id enim argumentorum enodatione clarescat. Opinio igitur eo sensu accepta poterit supernaturaliter una simul cum scientia eidem intellectui inesse.

Objicies 1. Contra primam partem. Joannis cap. 20. dixi Jesus Thomæ : *Quia vidisti me , Thoma, credidisti.* Ergo Thomas Apostolus scientiam simul habuit , & fidem de Christi Domini corpore à mortuis suscitato. Fides igitur & scientia simul esse possunt.

Respondetur , Thomam aliud vidisse , aliud credidisse. Hominem quippe vidi , & Deum credidit. Aliud vidi , ait de S. Thoma S. Gregorius Papa , hom. 26. in Evangelia , aliud credidit. A mortali quippe homine Divinitas videri non potuit. Hominem ergo vidi , & Deum confessus est , dicens: *Dominus meus, & Deus meus:*

Instabis. Christus Dominus cœtatis verbis non est locutus æquivoco , sed de eodem objecto dixerat: *vidisti;* subdit vero *credidisti.* Hinc Thomæ prætulit eos , qui non viderunt , & crediderunt ; Beati , inquit , *qui non viderunt , & crediderunt.* At si Thomas Divinitatem credidisset , quam minime viderat , non esset cur eidem præponerentur non videntes ; nam & ipse credidisset id , quoque minime vidisset. Igitur dicendum est , Thomam Apostolum credidisse Christi Domini resurrectionem , de qua dubitaverat : ut in eodem Evangelio refertur. Porro resurrectionem Christi intuitiva visione tenebat. Ergo simul vidi idem , & credidit.

Respondetur , Gregorii Magni auctoritatem , interpretationem

que non esse contemnendam , quam etiam S. Augustinus , aliasque Patres tradidere. Nec æquivoca locutione usus est Christus , sed tantummodo mysterium innuit , ut sensus fuerit : *quia vidisti me , Thoma , à mortuis suscitatum , Deum me esse credidisti , quoniam homo purus mirandam adeo resurrectionem operari non potest.* Quia igitur Thomas Divinitatem Christi ex tam miro , naturæque vires superexcedente effectu , nimirum ex gloria Corporis Christi resurrectione percepérat , iccirco eidem Christus fidelis alios merito præposuit , qui Divinitatem Christi credunt , & confitentur , tametsi peculiarem adeo , mirandamque illius operationem nequaquam viderint. Thomas autem non de sola hæsitavit Christi resurrectione , verum etiam de Divinitate anceps fuit , nec credidit Christum esse Deum , nisi postquam scientia experimentali resurrectionem ipsius perspexit , ac subinde exclamavit : *Dominus meus , & Deus meus.*

Objicies 2. Beata Virgo Maria cognovit scientia experimentali se de Spiritu Sancto concepisse , atque hoc idem Angelo credidit revelanti. Sic & Joannes Apostolus vidi Christum crucifigi , quod idem credere debuit , quippe ad Fidei articulos pertinet. Multa quoque in Sacris Litteris proponuntur nobis credenda , quæ tamen scientia naturali demonstrantur. Ita sane

existentia Dei per naturalem scientificam demonstrationem innotescit: ut dicendum erit in 2. Metaphysicses partē , disp. 1. quæst. 1. Apostolus autem Paulus ad Hæbr. cap. 11. inquit : *Credere oportet accidentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se, remuneratur sit.* Quod si fides non posset scientiæ sociari, meritum non haberent illi, qui Dei existentiam credunt, eamdemque naturali evidentissima ratione cognoscunt. Igitur dicendum, fidem esse posse cum scientia.

Respondetur. In Beatissima Virgine Maria, & in S. Joanne non fuisse simul scientiam, & fidem, sed unam alteri tempore præcessisse. B. Virgo primum credidit Angelo revelanti, tum scientia experimentali cognovit se concepisse. Porro animadvertis id non contingisse virili consortio , verum esse compert, quod ab Angelo prænuntiatum fuerat. Ita & Joannes, dum vidit Christum Dominum cruci affixum, id sane non credidit; atque, ut ait Subt. Doctor loco superius laudato , nec unquam postea recognitando illius crucifixionem , habuit fidem de ea , sicuti nec dum vidi intuitive ; habebat tamen habitum , quo illud credidisset , si non vidisset. Nobis etiam credere oportet existentiam Dei, ut ait Paulus, per pium voluntatis affectum, qui ad credendum nos moveat, adeo ut parati simus assentiri, tametsi præsto non esset ratio. Ex hoc itaque pio affectu meritum oritur. In

Tom. I.

citato autem Metaphysicses loco expendimus, cur in sacris Litteris credenda proponantur plura quæ naturali etiam ratione innotescunt: quia videlicet tūtior est via divinæ auctoritatis. At qui scientiam habet; de iis non habet fidem actualem.

Objicies 3. Contra secundam. Scientia, quæ à priori dicitur , & ex causa procedit, simul circa idem objectum formale componi potest naturaliter cum scientia , quæ ab effectis dicitur , & appellatur à posteriori. Igitur & assensus probabilis ab omni dubitatione abstractrens simul esse potest cum scientia. Quemadmodum enim scientiam habens à priori , non negligit eam , quæ ab effectis colligitur ita nec probabilitatis argumenta contemnit.

Respondetur, disparem esse rationem. Utraque enim scientia, sive per caussam, sive per effectum derivata , parit certitudinem , & evidentiā: tametsi illa sit posteriore efficacior. Cum igitur sint ejusdem rationis , possunt esse simul. At cum scientia certitudinem afferat, & evidentiā: opinio autem solam probabilitatem , quæ nec firmum reddit assensum nec evidentem ; siccirco ut plurimum, & naturaliter qui certitudinem habet , & evidentiā, media neglit probabilia.

Dices , Sententia probabilis, etiam in conspectu probabilioris, semper est probabilis , & vim ha-

bet

bet suam movendi intellectum. Ergo opinio probabilis etiam simul cum scientia vim suam retinet; adeoque &c.

Respondeatur discrimen esse, quia utraque sententia, sive minus, sive magis probabilis, intra eundem ordinem consistit, atque assensionem mere probabilem patrit. At scientia, ut diximus, certitudinem affert, & evidentiam, quæ nunquam comitantur opinionem, altiorisque, ac diversi sunt ordinis à probabilitate.

Dices. Opinio probabilitate sua adjuvat intellectum, ut verum percipiat. Virtus enim addita virtuti, etiam majori, eamdem perficit, & adjuvat.

Respondetur, id verum non esse, nisi virtutes sint ejusdem rationis, earumque discrimen sit tantummodo penes magis & minus. Longe autem diversa est ratio scientia, & opinionis: ut diximus.

Objicies 4. contra tertiam. Opinio etiam abstrahens à dubitatione, semper tamen est capax illius; scientia vero dubitationem à se prorsus excludit. Ergo neque supernaturaliter possunt simul componi.

Respondeatur, nullam re ipsa oppositionem haberi, quamvis opinio in actu primo sit capax dubitationis, quæ repugnat scientiæ. Sat enim est, si reapse dubitatio non habeatur. Tunc enim intellectus non esset certus, & dubius; sed ita certus esset per scientiam, ut possit fieri dubius, si probabilia opinio-

nis momenta unice considerentur: quæ duo invicem non pugnant.

Instabis. Opinio semper est incerta; hoc ipso enim à scientia discredinatur, quæ ex notione sua certitudinem habet. Ergo pugnantia semper componerentur invicem.

Respondeatur. Scientiam positive certam esse, opinionem vero à dubitatione actuali abstrahentem dici posse incertam tantummodo negative, quatenus non obtinet certitudinem; atque hinc etiam à scientia secernitur, cum haec evidentiā positivam, & positivam itidem certitudinem præ se ferat: non sic illa. Neque inde pugnantia aliqua colligitur; omnes enim formæ disparatae ita se habent, ut una non sit altera, & affectiones, seu attributa obtineant diversa, nihilo tamen minus invicem componuntur: ut albedo, & dulcedo in lacte. Animadvertis autem scientiam ita præ se ferre certitudinem, & evidentiam, ut sine istis nec esse, nec intelligi queat; quippe quod certitudo, & evidētia ducunt intellectum ad assensum scientificum. At opinio potest esse sine dubitatione, quia dubitatio non confert ad assensum probabilem, ex veritate objecti prudenter existimata procedentem.

Objicies 5. Amor, & odium ne divina quidem virtute possunt simul esse in eadem voluntate respēctu ejusdem objecti. Nec ergo in eodem intellectu esse poterunt simul sciētia, & opinio, etsi haec ab-

abstrahat à dubitatione actuali. Quemadmodum enim amor, & odium invicem pugnant, ita quoque scientia, & opinio. Nam à scientia procederet judicium unum formale, quo res diceretur non posse aliter se habere; ab opinione autem procederet alterum judicium virtuale, quo res diceretur posse aliter se habere. Tum per scientiam intellectus esset convictus, per opinionem non esset convictus: quæ duo contradictionem præ se ferunt. Opinio quoque virtutem scientiæ infringere, ac imminueret. Igitur &c.

Respondetur, discrimen ex dictis patere. Amore enim voluntas in objectum fertur, odio autem ab illo recedit. Accessus porro ad objectum, & recessus ab ipso simul, & semel invicem pugnant. At scientia, & opinio duos potius præ se ferunt accessus, quibus intellectus in objectum fertur: uno quidem per certitudinem, altero per probabilitatem. Neque duo illa judi-

cia contradictionem dicunt, quippe priore judicio teneret intellectus certo, & evidenter, non posse rem aliter se habere, posteriore autem non jam arbitraretur, re ipsa oppositum contingere posse, sed tantummodo ejusmodi judicium ex se se posset in actualem dubitationem ferri: quatenus autem cum scientia componeretur non haberet eam dubitationem. Nullus porro actus secundus pugnat contradictione cum potentia ad oppositum. Jam vero intellectus absolute dicitur, & esset convictus per scientiam, quæ certitudinem parit, licet simul cognosceret media ad assensum probabilem ducentia: in quo nulla est contradictione. Postremo scientia excludit quidem omnem dubitationem, sed non assensum mere probabilem, nam & iste aliquando scientiæ acquirendæ servit. Ergo probabilitas opinionis virtutem scientiæ non infringere. Possunt adeo supernaturaliter componi simul scientia, & opinio.

PHILOSOPHIAE
PARS SECUNDA,
SEU METAPHYSICA.

Metaphysicæ Præludium.



Ecunda Philosophiæ Pars à Peripateticis *Metaphysica* dicitur, quod nempe in rebus divinis, maximeque reconditis occupetur, quæ Physicam Contemplationem sensibilia evolventem longius excedunt. Hæc proinde Facultas *Sapientiæ*, *Prima Philosophia*, ac *Scientie Generalis* nomen obtinuit, quoniam prima omnium disciplinarum principia, & quasi summa capita complectitur. *Theologia* etiam *naturalis* appellatur, quippe de ipso Deo disserit, quantum humanæ rationis acies infirma in lucem illam intendi potest.

Hinc vero elucet summa hujuscè disciplinæ dignitas, & summa utilitas, cum Deum ipsum, & res à materia abstractas contempletur, & disciplinæ pene omnes ex ea pendeant, & generalia principia ab illa mutuentur. Cum autem *Sapientia sit rerum præstantissimarum, & universalium notitia*, Metaphysicam rite dicimus Sapientiæ nomine illustrari; tum simul esse Scientiam arbitramur, si Scientiæ vocabulum generatim, universeque accipiatur, pro quacumque notitia certa, & evidenti, quæ vel ex ipsis primis principiis oriatur. Ex iis porro, quæ in *Præfatione Logicæ* constituimus, satis probatum manet, Metaphysicam esse Scientiam theoreticam, non practicam, quippe in id unice collineat, ut veritatem inveniat, Deumque ipsum non alia ratione contemplatur, nisi ut ille est nobilissima Entis species; nec se se Metaphysica ad morum directionem extendit.

Itaque Metaphysica sic apte describitur, *Sapientia, & Scientia, quæ contemplatur Ens, ut ens est, atque ab omni materia tum rationis cogitatione secernitur*. Ut nimurum ens reale, & quascumque illius species Metaphysica perscrutetur; non specialia ipsarum prædicata.

ta investigando, quod aliis facultatibus proprium est sed generales earum notiones, atque aatributa expendendo.

Ita sane Ens illud reale, ut ens est, & quatenus est commune Deo, & Creaturis; Substantia quoque & Accidenti; unde Aristoteles lib. 4. Met. scientiam esse dicit proprium est Metaphysicæ Objectum quæ speculator ens, prout est ens, & quæ ei per se insunt. Etenim Ens reale existit re ipsa, & Facultas hæc ipsius descriptionem exhibit, proprietatesque declarat, & omnia, quæ tradit, illius gratia contemplatur, veluti ipsius species, aut affectiones. Ens autem reale dicitur Objectum Metaphysicæ, quatenus est ens, quia Metaphysica illud considerat sub mera formalis notione entis, nec peculiares singulorum entium differentias perscrutatur, sed ea respicit, quatenus secundum rationem ipsam entis abstrahunt à materia, vel re, ut Deus, & substantia alia spirituales; vel consideratione, ut prædicata omnia transcendentia, seu omnino universalia, in quibus nulla corporis notio intelligitur.

Metaphysicam igitur in duas partes distribuimus, quarum prior *Ontologia* vocatur, quæ de Ente generatim, ejusdemque affectionibus, & principiis disputat; posterior vero *Pneumatologia*, hoc est, Spirituum Scientia, dicitur, & Deum ipsum, Angelos & spiritualem Hominis Animam contemplatur.

Hippe eus etiam rite probatis
et noui intellectu.
nullus impido legebam in se connivere
omnis agi scilicet exercitare possunt.
impeditus secundum. Et cum, &c
secundum exercitare possunt.
Opifium Materiales, videlicet
speciationis & suorum Doctorum,
Hæc secundum contemplationes est
diligenter, & diligenter.
Opifium Materiales, videlicet
speciationis & suorum Doctorum,
Hæc secundum contemplationes est
diligenter, & diligenter.

PARS PRIMA
METAPHYSICÆ,
SIVE ONTOLOGIA.

DISPUTATIO PRIMA.
De Ente universim considerato.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Ens reale? & quid sit Ens rationis? & an istud effingi queat à nostro intellectu?

NS appellatur à verbo substantivo *Sum, es, est*. Bifariam porro accipitur; Vel quantum tenus Ens dicitur principium præsentis temporis, & actualem rei existentiam significat, sive idem est ac *existens*; Vel quantum nominis tantum, non participii vim habet, & rem ipsam præse fert à quacumque temporis differentia abstrahentem. Priore sensu alligatur verbo, & tempori; posteriori autem significatione naturaliter sortitur nominis.

Hac secunda consideratione est Objectum Metaphysicæ, atque describitur à Subtili Doctore, quæst. 3. *Quolibet alium, illud,*



quod habet, vel habere potest entitatem extra animam; illud nempe, quod re ipsa existit, vel existere potest, nec pendet à nostri intellectus figmento: uti declarat idem Doctor in 1. d. 8. qu. 4. dicens: *Ens reale est illud, quod ex se habet esse, circumscripsit omni opere intellectus, ut intellectus est.* Ex qua entis realis descriptione liquido apparet, Deum, & Creaturam esse entia realia; Substantiam quoque, & Accidens, quod nostra sententia quidpiam est ab omni substantia secretum. Etenim hæc omnia vel saltem existere possunt, nullo habito respectu ad commentata nostri intellectus.

Habet ens reale suas proprie-

ta-

tates. Earum prima recensetur *Unitas*, quia ens reale tum à quolibet alio diseretur est, tum in se se omnino indivisum: ut nimirum essentiam habet suam, atque ab omni alia divisam. Altera proprietas est *Veritas*, sive *Intelligibilitas*, quia ens reale movere potest intellectum nostrum ad sui notitiam, & potest ab eo cognosci. Hanc duplē esse diximus disp. 2. in sol. ad 4. ob. *motivam*, & *terminativam*; & illa quidem propria est enti reali, hæc fragmentis quoque aptatur. Tertia proprietas est *Bonitas*. Quodcumque enim ens reale sua gaudet bonitate. Siquidem aptum est, & convenient, atque ex hoc ipso est expetibile. Unde Bonitas per convenientiam appetibilem explicatur, ut quemadmodum Veritas ad intellectum referatur, ita Bonitas voluntatem respiciat.

Simplices entis realis proprietates usque modo complexissimus. Nam, & aliæ habentur, quæ compositis designantur vocibus; nimirum *Actus*, & *Potentia*: sive existentia, quæ *Actus* dicitur *entity*, & *possibilitas*, quæ nominatur *potentia objectiva*. *Necessitas* quoque, & *Contingentia*; cum omne ens reale vel necessario existat, ut Deus: vel ex accidenti à Deo producatur, ut Creaturis contingit. Denique *Identitas*, & *Distinctio*: De quibus speciatim in Logica disseruimus. Constat autem ex his, proprietates istas merito

appellari *disjunctas*, quod ambæ partes illarum nequeat uni enti particulari simul congruere; sed enti reali sub disjunctione convenientian.

Habet etiam ens reale suos *Modos*. Unicuique enim rei suus modus nectitur, nempe attributum aliquod ab ipsa rei essentia diversum. Si *Modus* separari queat ab ipsa re, *extrinsecus* est, quoniam eam veluti exterius afficit, atque jam omnino completam rei naturam supponit. Ita triangularis, vel quadrata figura est *Modus corporis*. At ubi *Modus* intime, arcteque conjunctus separari à re non potest, tum *intrinsecus* dicitur, nec tamen essentiam ipsam ulla tenus immutat, quam afficit. Hinc nos possumus rem sine *Modo* conciperè; *Modus* autem *adæquatus* intelligi non potest, nisi *confuse* saltē percipiatur res, vel essentia, ejus est *Modus*: Sic *Finitas*, vel *Infinitas* sunt *Modi intrinseci* entis reali, ab eo re ipsa indistincti, & inseparabiles, sine quibus essentiale entis notionem habere possumus, sed illorum conceptus saltē *confuse* connotat ens ipsum.

Utautem ea, quæ de enti reali natura diximus, distinctius innotescant, præstat hinc notitiam tradere *Entis* illius, quod *Rationis* nominant. Nam *opposita* *juxta se posita*, magis eluescunt: ut notavit Philosophus lib. 2. Rhetororum; & quia ens rationis enti reali adversatur, *oppositorum autem*

eadem est disciplina, idcirco Metaphysica, quæ per se in contemplatione entis realis versatur, agit quoque per accidens de ente rationis, & ipsius notionem exhibet.

Ergo Ens rationis, illud est, quod re ipsa nec habet, nec habere potest existentiam, sed unice nostri intellectus segmentum est; sive ut ait Scotus quest. 3. Quolibet Ens rationis est aliquid precise habens esse in intellectu considerante. Nunc itaque inquiramus, an ejusmodi ens rationis effungi possit à nostro intellectu; sive utrum intellectus noster sibi quidpiam effrigere, ac concipere valeat, quod nec existat, nec sic re ipsa possibile, sed totum suum esse, ut inquiunt, *objectivum* in solo mentis nostræ segmento habeat.

Dicimus, ens rationis effungi posse à nostro intellectu. Assertio colligitur ex Aristotele, lib. 6. Met. ubi divisionem tradit entis in anima, & entis extra animam. & ex Scoto locis supra laudatis.

Probatur. Multa sæpe cogitamus, quæ nec re ipsa existunt, nec possibilia sunt. Atque ejusmodi cogitata sunt ens rationis. Ergo ens rationis effungi potest à nostro intellectu. Major probatur. Sæpe enim imaginamur Angelos vel pulcherrimos juvenes, nec desuere homines adeo rudes, & imperti, ut Deum ipsum corporatum effingerent; Chimeram quoque mente concipimus, cuius caput leoninum sit, venter caprinus, &

cauda serpentis, ac similia intellectu evolvimus. Minor evidens est. Hæc enim omnia absurdâ sunt, & impossibilia, & habent tantummodo esse *objectivum* in intellectu. Igitur &c.

Respondent, hæc omnia non esse entia rationis. Nam ens rationis expostulat duo impossibilia, nempe intellectum nostrum distincte percipere duo invicem contradicentia, & simul, ac semel connecti, ut eadem conceptu suo unico complectatur. Hoc autem omnino impossibile est; nequit enim mens nostra simul assentiri duobus contradictoriis. Hinc Scotus, qu. 3. Quolibet. §. de primo, apperte asserit; ens rationis esse nihil, ac prorsus esse impossibile. Verissime enim, inquit, illud est nihil, quod includit contradictionem, & solum illud: quia illud excludit omne esse extra intellectum, & intellectu, quod enim est sic includens contradictionem, sicuti non potest esse extra animam, ita non potest esse aliquid intelligibile, vel aliquid ens in anima.

Contra argumentamur. Ea notio entis rationis nova prorsus est, & longe diversa ab illo conceptu, quo, Veteres omnes, aliquique passim Philosophi ens rationis descripsere. Hinc Subtilis Doctor ubi declarat, quid ipse intelligat sub nomine entis rationis, nusquam minit oportere ad ens rationis effingendum, ut intellectus noster simul ac semel assentiatur aperte duo-

duobus contradictoriis, sed scribit, *ens rationis esse aliquod tantummodo habens esse in intellectu considerante.* Ergo responsio allata non aliud præstat, nisi verborum lites ingeminare: quod ridiculum est. Etenim si admittatur notio illa entis rationis, Philosophi omnes fatebuntur, hoc ens rationis prorsus esse impossibile. At semper superest inquirendum, an possibile sit ens rationis sensu à nobis proposito, quatenus nimirum intellectus noster effingat sibi quidpiam, quod nec existat, nec re ipsa existere queat. Quamobrem responsio allata nihil proficit.

Subtilis autem Doctor verbis in responsione citatis non loquitur de ente rationis. Etenim ibidem asserit; *rem communissime acceptam se extendere ad quodcunque, quod non includit contradictionem, sive sit ens rationis, hoc est, præcisæ habens esse in intellectu considerante: sive sit ens reale, habens aliquam entitatem extra considerationem intellectus.* Tum rem communissime acceptam opponit nihilo, & verba in responsione citata profert, ac nihilum illud esse docet, quod expresse contradictionem habet, & rationem addit: *quia nunquam contradictorium cum contradictorio constituit unum intelligibile, neque sicut objectum cum objecto, neque sicut modus cum objecto.* Immo vero quia Doctor hoc ipso in loco illud, quod contradictionem includit, secernit ab ente rationis,

manifestum etiam fit, allatam responsonem adversari sententiaæ Subtilis Doctoris.

Objicies 1. Si intellectus noster effingeret ens rationis, v. g. Angelum corporeum, assentiretur simul, & semel duobus contradictoriis. Atqui hoc, ut diximus, est impossibile. Ergo &c. Sequela majoris probatur. Intellectus Angelum, & Corpus concipiens velut unum compositum, cognosceret utriusque naturam. Sed duæ istæ naturæ ita se habent, ut una alteri repugnet. Ergo intellectus simul, & semel assentiretur, eas invicem repugnare, & tamen illas uniret. Igitur &c. Quemadmodum ergo impossibile est, intellectum concipere, Petrum non esse Petrum; ita fieri non potest, ut intellectus concipiat, Angelum, seu spiritum, id est, non corpus esse corpus.

Respondetur. Nego sequelam majoris. Ad probationem, distingo majorem: intellectus cognosceret utriusque naturam, & expresse animadverteret earum invicem repugnantiam, nego: securus, concedo majorem, eodemque modo distincta minori, nego consequentiam, & adjunctam paritatem. Fatemur equidem, ens rationis re ipsa involvere contradictionia latenter, sed intellectus contradictionem expresse non animadvertis. Dum Angelum effingit corporeum, duas naturas substantiales, ac positivas confuse concipit, Angelum, & Corpus, atque unum

ex hisce compositum effingit, sed non animadvertis expresse oppositionem utriusque naturæ: quo modo si dicam *Petrus non est Petrus*, idem omnino reculet expresse, & aperte, atque illud idem sub eadem omnino ratione simul affirmarem, & negarem.

Instabis. Atqui intellectus expresse animadverteret illam repugnantiam; Ergo nulla responsio. Minor subsumpta probatur. Dum intellectus concipit Angelum corporeum, vel tantummodo concipit Angelum, & Corpus disjunctivum, vel utrumque concipit conjunctivum? Si primum, tunc intellectus non efficit ens rationis, quia non percipit nisi duo entia realia. Si alterum, jam intellectus aper-te animadvertis eam repugnantiam. Ergo &c. Hæc ultima pars minoris probatur. Intellectus expresse animadvertis repugnantiam illam, si debeat hoc judicium efformare: *Non corpus est corpus*. Ita est. Ergo &c. Minor probatur. Non alia nobis præsto est idea Angeli, nisi idea substantiæ non corporeæ; Spiritus enim describitur per negationem partium, sive corporis. Igitur dum intellectus concipit Angelum, in eo expresse animadvertis negationem corporis. Dum igitur affirmat, Angelum esse corpus, aperte ait, non corpus esse corpus. Quod est prorsus impossible.

Respondetur. Nego minorem subsumptam. Ad probationem di-

co intellectum concipere Angelum, & Corpus conjunctivum; & nego secundam partem minoris. Ad hujus probationem, nego minorem. Ad ejus probationem, distinguo antecedens: idea Angeli distincta, & expressa, concedo: idea Angeli confusa, nego antecedens, & consequentias subillatas. Substantia spiritualis utique à nobis, ut spiritualis, describitur per negationem corporis, atque hoc ipso res spiritualis à corporeo secernitur. Cognoscimus tamen, hanc negationem, ut pote realiter indistinctam, & separabilem, præ se ferre quidpiam positivum in ea re spirituali, puta in Angelo. Quanto autem intellectus concipit Angelum corporeum, non considerat Angelum cognitione distincta, quatenus spiritualis est, sed idea confusa positivum illud intelligit, quo Angelus constituitur, atque de hac enunciat pluralitatem partium. Proinde non affirmat expresse corpus de non corpore.

Objicies 2. Ens rationis non est intelligibile. Ergo effingi à nostro intellectu non potest. Probatur antecedens. Intelligibilitas est proprietas entis realis, sive ipsius veritas: ut diximus. Ergo &c.

Respondetur: distinguo antecedens: Ens rationis non est intelligibile, intelligibilitate motiva, concedo: intelligibilitate mere terminativa, nego antecedens; & distincta probatione ipsius, nego consequentiam. Responsio appetet

ex dictis. Intelligibilitas motiva est proprietas entis realis, nam solum ens reale potest mouere intellectum ad sui notitiam. At intelligibilitas mere terminativa etiam figurantis convenit. Ens itaque reale per speciem sui à nobis cognoscitur; & intellectus præcognitis entibus realibus, eadem unit, atque hoc modo ens rationis effingit, & entia ipsa realia ducunt nos in cognitionem entis rationis.

Instabis 1. Atqui ens reale non potest ducere nos in cognitionem entis rationis. Ergo nulla responsio. Minor subsumpta probatur. Non potest homo ducere nos in cognitionem leonis. Ergo nec ens reale &c. Consequentia probatur. Homo magis convenit cum leone, quam ens reale cum ente rationis. Etenim homo, & leo sunt ens reale, substantia, vivens, & animal, adeoque eorum uterque in hisce prædicatis assimilatur re ipsa. At nihil est commune enti reali, & enti rationis: ut postea dicimus, quæstione sequenti. Igitur &c.

Respondetur. Nego minorem subsumptam. Ad probationem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad hujus probationem distingo antecedens: Homo magis convenit cum leone, proportione *entitativa*, concedo: proportione *objettiva*, nego antecedens, & consequentiam, ac paritatem. Proportio duplex distingui debet. Altera dicitur *entitativa*, quæ di-

citur *entitativa*, quæ convenientiam dicit prædicatorum. Alia appellatur *objettiva*, quæ similitudinem præ se fert repræsentationis. Hoc modo magis convenientur Cæsar, & statua Cæsaris, quam Cæsar, & leo, licet inter hos sit major proportio *entitativa*. Itaque homo non potest ducere nos in cognitionem leonis, quia leo efformatus non est ad similitudinem, & ad exemplar hominis. At ens rationis effingitur ab intellectu ad instar entis realis; unde fit ad similitudinem, & exemplar ipsius entis realis. Majorem adeo hoc sensu convenientiam habent, & ideo &c.

Instabis 2. Atqui ens rationis cognosci non potest, ne medio quidem ente reali. Ergo nulla responsio. Minor probatur. Quid intelligibile est, debet prius sub sensu cadere: ut dicturi sumus in 2. parte, disp. 3. quæst. 8. Atqui ens rationis nullo modo est sensibile. Igitur &c.

Respondetur. Nego minorem subsumptam. Ad probationem, distingo majorem: debet prius cadere sub sensu, vel per speciem propriam, vel per speciem alienam, concedo: semper per speciem propriam, nego majorem; & sic distincta minori, nego consequentiam. *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit sub sensu.* Sed quod sub sensu cadit, seu sensibile est, vel per speciem propriam percipitur, vel per alienam. Ita nobis pro statu isto affectiones sen-

sibiles per sui speciem occurunt, substantia vero mediis iisdem affectionibus, seu per species accidentium redditur sensibilis. Quia igitur ens rationis effectum est ad exemplar entis realis, per species entis realis cadit sub sensu.

Instabis 3. Si ens rationis caderet sub sensu per species entis realis, & quoquo modo cognosci posset, deberet existere, antequam cognosceretur. Atqui solum ens reale præcedit existentia cognitionem sui. Ergo &c. Sequela majoris probatur. Objectum est prius actu in ipsum tendente, ut Aristoteles docet lib. 1. de Anima. Ergo ens rationis deberet existere, antequam cognosceretur. Id porro impossibile est, quia ens rationis non sit nisi per cognitionem.

Respondetur. Nego majorem. Ad probationem, antecedens veritatem habet, si loquamur de objecto motivo, non de objecto mere terminativo: cuiusmodi est ens rationis. Itaque ens rationis fit per cognitionem, non quod cognitione ipsa sit ens rationis; est enim actus realis: nec quia essentia entis rationis sit extrinseca denominatio cogniti; sed quia ens rationis id est, quod per cognitionem representatur, & est objectum, seu idolum quoddam, & terminus ipsiusmet cognitionis.

Objicies 3. Ens rationis non habet causam efficientem. Ergo &c. Intellectus est causa realis; sed causa reali correspondet effectus

realis; ergo intellectus non potest esse causa entis rationis; adeoque &c.

Respondetur. Nego antecedens. Ad probationem, distinguo minorrem: causa reali correspondet effectus realis, quando causa operatur actione physica, & reali, concedo: quando agit actione *metaphorica*, & *intentionali*, nego minorrem, & consequentiam. Intellectus utique est causa realis, sed est etiam causa *intentionalis*, expressiva nempe, & representativa. Hinc quando per cognitionem fertur in objectum, & illud representat, ac intelligit; nihil re ipsa producit. Cum igitur intellectus effingendo ens rationis, operetur actione *intentionali*, quæ & *metaphorica* dicitur, tunc non habet effectum realem, & physicum; sed enti rationi dat merum esse *objectivum*: ut diximus.

Objicies 4. Proprietates re ipsa non enunciantur, nisi de ente reali. Atqui proprietates quædam enunciantur re ipsa de ente rationis. Dicitur enim effigi posse ab intellectu, esse verum, aut unum ens rationis. Igitur &c.

Respondetur, argumentum pugnare terminis suis. Nam si ens rationis dicitur effigi posse ab intellectu, hoc ipso innuitur, nihil esse in ente rationis, quod ab intellectu non effingatur; adeoque omnes illius proprietates, quemadmodum & ipsius essentia, non habent nisi esse mere *objectivum* in intellectu

effingente. Dum autem dicimus, ens rationis esse possibile per intellectum, nihil aliud significatur, nisi existere intellectum, qui effingere valet ens rationis: vel præstito sibi fundamento in re, ut sunt Universalia logica, vel nulla etiam administrata occasione à rebus, ut in Chimera, aliquisque contingit.

Hic porro præstat nonnulla adiçere, quæ ad præsentem disputationem attinent. Et primo quidem adnotamus, ens rationis effigi posse etiam per primam intellectus operationem, quatenus simplici apprehensione potest mens nostra complecti per modum unius duo objecta; quæ re ipsa conjungi nequeunt. Non enim soli termini simplices sunt objectum primæ operationis intellectus, verum etiam termini complexi percipi possunt, immo & integra propositio potest quandoque illi obversari. Nam si mens nostra simpliciter apprehendit extrema propositionis, nempe subjectum illius, & prædicatum, car non poterit simplici etiam obtutu eorumdem percipere unionem, nihil de ea affirmando, vel negando? Hoc ipso intellectus permanet indifferens ad assensum, vel dissensum, nam assentiri, vel dissentiri, sicut & affirmare, vel negare, peculia sunt secundæ mentis operationi, scilicet judicio. Hinc Subtilis Doctor in 2. d. 1. q. 3. lit. D ait: *Contradictoria possunt apprehendi ab intellectu, & etiam simul apprehenduntur, alioquin nullo mo-*

do intellectus diceret ea esse contradictoria... Sic apprehendi non est intelligi cum assensu. Proinde laudatus Doctor in 2. d. 6. q. 2. lit. O inquit: Intellectus simplex potest apprehendere equalitatem Dei sine errore, & sufficit sola simplex apprehensio ad hoc quod appetitus appetat illud apprehensum alteri. Dixit autem Scotus id fieri sine errore, quippe error proprio sensu falsitas est complexa, quæ affirmationem, negationemve præ se fert, ac subinde in primam mentis operationem non cadit; hæc enim solam habet falsitatem imcomplexam, quæ ignorantia dicitur, etsi possit etiam alio ex capite dici falsa, quatenus occasionem quandoque præbet falso judicio.

At vero sensitivæ facultates nullo modo possunt efficere ens rationis. Nam si loquamur de sensibus externis, supponunt semper objectum in se se præsens, & existens: cuiusmodi est solum ens reale. Sensus autem interni semper habent pro objecto aliquod per se sensibile, nec ad ullius rei naturam pertingunt, sed unice possunt plura accidentia simul complecti, non effingendo illorum identitatem, sed tantummodo extrinsecam eorumdem unionem.

Porro quemadmodum diximus, intellectum nostrum effingere posse ens rationis, & ea concipere, quæ reapse sunt impossibilia; ita arbitramur voluntatem nostram appetere posse aliquod impossibile:

ut

ut docet Scotus in r. d. 45. Voluntas enim conferre unum cum altero potest, tum reflexiva est, & bonitatem ab intellectu in uno objecto præostensam potest alteri applicare, immo etiam quod impossibile præostenditur: pro arbitrio suo appetere. Quod in malis Angelis contigisse plerique Theologi arbitrantur, qui cum cognoscerent æqualitatem cum Deo esse omnino impossibilem, eamdem nihilominus appetivere; unde Isaias c. 14. Luciferum dicentem describit: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.*

Cum autem Deus sit omnisciens, &, ut ait Apostolus ad Hebræos c. 4. *omnia nuda, & aperta sint oculis ejus*, dicendum est, Deum cognoscere figura intellexus nostri. Attamen ea percipit theoretice solum, & quatenus in nostro sunt intellectu; hinc cognoscit Deus impossibilia, non ut unum aliquid, sed quatenus intelligit eorum unum alteri repugnare. Neque dicere quis potest, Deum in se se, & immediate cognoscere entia rationis, sed illis dissentiri. Alioquin deberet Deus rem primo apprehendere diverso modo, ac sit in se, & re ipsa: quod imperfectionem manifeste præ se fert.

Demum animadvertisimus, denominationes extrinsecas, privationes, & negationes non esse entia rationis, quia veritatem obtinent re ipsa, & nullo etiam intellectu cogitante. At secunda intentione sunt figura intellexus nos-

tri unum ad aliud referentis, vel ea comparantis, tametsi à rebus ipsis realibus mens nostra occasionem arripiat: ut alias diximus.

QUÆSTIO SECUNDA.

An admittenda sit REALITAS Entis Communis Deo, & Creaturæ; Substantie, & Accidenti.

PRæsens Quæstio arctissime connectitur cum altera, quam in 2. parte Logices fuse pertractavimus de Distinctione formalis, disp. 2. quæst. unica. Quod enim ibi disputavimus de prædicatis metaphysicis prædicamentalibus, hic de transcendentali notione Entis realis investigandum suscipimus; An videlicet ratio Entis realis universim accepta sit distincta formaliter à suis differentiis, & quantum est ex se sit communis Deo, & Creaturæ, Substantie, & Accidenti, adeo ut præ se ferat *conceptum objectivum* ab his omnibus perfecte abstrahentem, & formaliter ab ipsorum differentiis distinctum. Si ratio *objectiva* entis realis ita se habet relate ad sua inferiora, quemadmodum animalitas respectu hominis, & bruti; tunc *Realitas Entis* hoc ipso erit constituta. Id igitur impræsentiarum evolvimus.

Quocirca ea, quæ de multiplici *conceptum* notione in citato Logices loco diximus, hic recolenda sunt, tum quæ tradidimus de Identitate reali perfectissima, aut imperfecta, tum ea, quæ exhibuimus disp.

disp. 3. de Communitate, & Indiferentia Naturæ ; nam iis , quæ nunc tradituri sumus , illa lucem afferunt , & pleraque argumenta ibidem soluta , alii terminis hic produci possunt , & ex jam allatis responsonibus enodari .

Oportet autem ulterius animadvertere , *Compositionem ex genere suo unionem esse plurium , quorum is sit invicem ordo , ut eorum unum perficiat alterum , atque id , quod perficitur , careat ea perfectione , quam ab altero expectat ; sive , ut solent dicere , quorum unum sit potentia , alterum fit actus . Si hæc extrêma sint res physicæ , tum Compositio Physicæ habetur . At in prædicatis metaphysicis *Compositionem quoque Metaphysicam* nominamus . Porro ubi extat Identitas perfectissima , nullus manet Compositioni locus , quia prædicatum unum ex vi suæ infinitatis semper habet alterum unde nunquam illo caret , nunquam est potentia respectu illius : tametsi quia infinitas , cum sit Modus , non immutat essentiam prædicati , quod afficit , *conceptus objectivus* unitus prædicati semper sit formaliter distinctus à *concepto objectivo* alterius . Hinc facile intelligitur Simplicitas Compositioni adversa .*

Hinc duo hæc distinguenda sunt , videlicet *non esse aliud , & non habere aliud* . *Non esse aliud* significat in suo conceptu objectivo formaliter , & re ipsa alterum non præ se ferre . *Non habere aliud* significat in hisce metaphysicis prædicatis ,

de quibus disserimus , realiter ab altero sécerni .

Porro *Realitas* est prædicatum metaphysicum , vel *transcendentialis* , vel *prædicamentalis* nominatur , quemadmodum & prædicata metaphysica alia esse *transcendentalia* diximus , alia *prædicamentalia* . *Realitas* ergo *Entis* erit ipsummet prædicatum metaphysicum *Entis* realis . Ipsa vero *Realitas* vel considerari potest secundum se se , ut abstrahit ab existentiâ ; & tunc appellatur *Realitas Objectiva* ; vel spectari potest prout existit re ipsa , & in suo inferiori , velut in *subjecto* , extare intelligitur , atque modum existendi præ se fert ; & tunc dicitur *Realitas Subiectiva* .

Philosophi illi , qui distinctionem Formalem inficiantur inter prædicata metaphysica prædicamentalia , ut sunt , v. g. Animalitas , & rationalitas , negant etiam Realitatem *Entis* . Nonnulli pariter Scotistæ , ut Cl. Pater Mastrius , licet fateantur , *Ens reale* præ se ferre conceptum à suis inferioribus perfecte abstrahentem , nihilominus non admittunt , *Ens reale* præ se ferre etiam *realitatem* communem .

Dicimus , *ens* præ se ferre realitatem objectivam Deo , & Creaturis ; Substantiæ , & Accidenti communem .

Probatur assertio nostra iisdem omnino rationum momentis , quibus ostendimus in citato Logices loco distinctionem formalem , Sco-

tistis omnibus corundem efficaciam nobiscum consitentibus, si de prædicatis metaphysicis prædicamentilibus loquamur. Omnibus compertum est, eidem prædicto contradicentia aptari non posse. Alioquin idem simul esset, & non esset. Atqui si ratio entis realis, & asseitas, quæ est differentia Dei, sunt unum, & idem prædicatum, contradicentia eidem tribuerentur. Ergo ratio entis realis, & asseitas sunt duo prædicata distincta formaliter, & nullo intellectu cogitante. Hoc ipso ens dicit realitatem communem; adeoque &c. Minor probatur. Deus re ipsa, nulloque etiam cogitante intellectu, quatenus ens reale est, convenit cum creatura, & est formaliter ens reale, nam & ipsa creatura est ens reale. At certum est, Deum, quatenus tale ens reale est, sive prout *ens à se*, disconvenire re ipsa à creatura, quæ est *ens ab alio*. Igitur ne idem omnino prædicatum sit reapse ratio convenientiendi, & ratio disconveniendi, quod contradictionem sapit, affirmare oportet re ipsa rationem, seu prædicatum entis distingui à differentia Dei. Quod idem valet relate ad substantiam, & accidentem. Atqui non distinguuntur realiter proprio sensu, quia non sunt res, nec separari possunt. Ergo distinctio eorum prædictorum est formalis; adeoque admittenda est realitas entis.

Respondent, Deum non convenire formaliter, & re ipsa cum crea-

tura, sed convenire tantummodo fundamentaliter, quatenus si à nostro intellectu concipientur conceptu inadæquato, occasionem eidem præstant efformandi conceptum entis iisdem comunem. Enim vero Deus, & creatura sunt primo diversa. Athomo, & brutum non sic se habent, proindeque homo re ipsa convenit cum bruto; & longe dispar est ratio. Addunt in transcendentalibus admitti non posse realitatem communem, quia hæc illis repugnat ratione compositionis metaphysicæ, quam necessario præse fert.

Verum hæc responsio probaret etiam, animalitatem non præse ferre realitatem communem homini, & bruto: ut ratiocinantibus apparet. Quamvis autem Deus, & creatura sint primo diversa, convenire tamen possunt re ipsa in realitate, & hæc realitas non præse fert necessario compositionem: quomadmodum in objectionum solutione declarabimus.

Objicies 1. Si ens reale præse ferret realitatem formaliter distinctam à suis differentiis, & communem Deo, ac creaturæ, constitueretur in Deo compositione. Atqui hæc pugnat cum summa Dei simplicitate. Igitur &c.

Sequela majoris probatur. Omnis *realitas* communis pluribus, & inexistens illis, tanquam superius inferioribus, est perfectibilis, & per consequens rationem habet potentiae. Idem ergo dicendum esset de

de Ente reali, quod ex se se differentiam Dei non includeret, immo hæc ipsa differentia esset veluti forma perficiens rationem entis. Quemadmodum igitur ens reale, ut conjungitur cum differentia creaturæ, cum ea compositionem facit, ita, & in Deo. Quod absurdum est.

Respondetur. Nego sequelam majoris. Ad probationem, nego antecedens, & expendo cetera, quæ adduntur. Itaque compositio non ex sola prædicatorum pluralitate coalescit. Sane re ipsa in Divinis plures extant Personæ, absque ullo compositionis nævo, & defectu. Nimirum quia compositio talem ex postulat pluralitatem, qua unum sit in potentia ad alterum, & illo caret. Porro cum in Deo omnia prædicata sint unum realiter perfectissima identitate, nulla potentia-litas, nulla carentia locum habet. Neque superius, qua tale est, hanc imperfectionem dicit; ea enim propria est prædicatis finitis. Quo circa licet ipsa ratio entis realis ex se se non conjungat sibi realiter differentiam Dei, tamen nec eam excludit, quoniam à finitate abstrahit; immo vero hæc ipsa differentia Dei vindicat sibi ipsum ens reale perfectissima identitate. Unum adeo ex divinis prædicatis semper habet aliud, & nunquam illo caret. Sed nec differentia Dei est copulata enti, veluti pars informans, quæ carentiam connotat, & indigentiam. Alter contingit res, ubi

Tom. I.

ens intelligitur creatæ differentiæ adjungi; hæc enim finita cum sit, à se se excludit alterum quodcumque prædicatum, caret illo, nec eidem jungitur perfectissima identitate. Ex quo apparet discriminis ratio, cur ens componat cum differentia creaturæ, non tamen cum differentia Dei.

Instabis 1. Ubi possumus plus, minusve constituere, compositionem eidem adscribimus, quamvis pars una nequaquam expectet perfectionem alterius; quemadmodum compertum est in partibus Totius Integralis, quæ eatenus dicuntur componere, quia totum est quid amplius singulis partibus. Atqui si ens reale habet realitatem communem, Divina essentia amplius quid præ se ferret, quam ipsum ens. Illa si quidem continet omnia prædicta essentialia Dei; & ens reale sua tantum realitate constaret. Igitur &c.

Respondeatur. Distinguo majorēm. Si unum careat perfectione alterius, concedo: secus, nego maiorem; & distinguo minorem: Divina Essentia amplius præse ferret, per excessum perfectionis, nego: per expressam enumerationem, concedo minorem, & nego consequentiam. Evidem verum est in toto integrali partem unam non expectare, nec suspicere alteram partem, aut alterius partis perfectionem. Attamen major est perfectione in omnibus simul partibus, sive in toto ipso, quam in singulis; &

Gg ideo.

ideo singulæ carent perfectione totius, finitæ sunt, & limitatæ. At in Divinis cum omnia per identitatem perfectissimam sint unum, iccirco Divina Essentia non est quidpiam perfectius aliis prædicatis, nam vi illius identitatis omnia itidem de istis affirmantur re ipsa, & semper. Expressa tamen prædicatorum enumeratio soli Divinæ Essentiae convenit; sed hoc majorem non connotat perfectionem.

Instabis 2. Summa simplicitas in Deo excludit omnem compositionem. Ergo summa unitas essentialis excludit quamlibet pluralitatem essentialiem; adeoque &c.

Respondetur, disparem esse rationem. Compositio enim ex notione sua imperfectionem sapit, quia præ se fert potentialitatem, & carentiam. At vero pluralitas ex sua notione nullam dicit imperfectionem, unde in Divinis plures re ipsa extant Personæ.

Objicies 2. Deus, & creatura sunt primo diversa: hoc est, constituantur per oppositas differentias omnino primas. Sed ea, quæ sunt primo diversa nullatenus inter se convenient. In hoc enim discrepant primo diversa ab illis, quæ appellantur differentia: ut sunt homo, & brutum. Igitur non est admittenda realitas entis communis &c.

Respondetur. Distinguo minorem: primo diversa nullatenus convenient, in ordine prædicamentali, ccedo: in ordine transcendentali, nego minorem, & consequen-

tiam. Igitur differentia convenient invicem etiam in prædicato aliquo finito ordinis prædicentalis. Non sic primo diversa, quæ in solo prædicato transcendentali possunt invicem convenire: cuiusmodi se habent Deus, & creatura; unde iccirco primo diversa nominantur, quoniam in ordine prædicentali nullatenus convenient.

Instabis 1. Atqui Deus, & creatura ne quidem in ordine transcendentali convenire possunt. Ergo nulla responsio. Minor subsumpta probatur. Illa ratio transcendens entis realis vel ex sua notione formaliter contingens est, vel est necessaria? Si primum, jam non intelligitur convenire Deo. Si alterum, jam creaturæ aptari non potest. Igitur &c.

Respondetur. Nego minorem subsumptam. Ad illius probationem, dico, rationem illam transcendenter entis realis nec esse ex suo conceptu contingentem, nec esse necessariam, sed abstrahere tum à contingentia, tum à necessitate: quemadmodum ratio animalis tum à rationalitate, tum ab irrationalitate abstrahit.

Instabis 2. Atqui nullum prædicatum abstrahere potest ex se se à contingentia, & necessitate. Ergo &c. Minor subsumpta probatur. Inter alias rationes, quæ ostendunt, Deum non esse compositum, hæc quoque legitima est, qua utitur Scotus in 1. d. 8. q. 1., Nam „si partes quædam componunt „, Deum

„Deum, ille profecto vel essent necessariae, vel contingentes. Si sunt, „necessariae, jam plena gaudent „perfectione; ergo non componunt. „Si sunt contingentes: ergo Deus, „qui est Ens summe necessarium, „componeretur ex aliquo contin- „genti: quod absurdum est: Nullæ ergo sunt partes, quæ Deum „componant.“ Porro ratiocinatio ista facile eludi posset, dicendo, par- tes illas nec esse necessarias, nec contingentes, sed abstrahere. Di- camus igitur, nullum prædicatum abstrahere posse à necessitate, & contingentia; adeoque &c.

Respondetur. Nego minorem subsumptam. Ad illius probationem, nego itidem minorem, & consequentiam. Nō est similis habenda ratio de ente, ac de iis partibus, circaq uas exposita argumentatio pro- cedit. Siquidem hæ considerantur jam existentes; & ideo nequeunt à necessitate abstrahere, & contingentia: quia necessitas, vel contingentia sunt conditiones existentis, & modum existendi afficiunt, ac comitantur. Ens autem, ut à nobis spe- catur, abstrahit quoque ab ipsa existentia, & consequenter abstrahit etiam à necessitate, & contingentia.

Instabis 3. Ergo ipsum quoque ens reale, ut existens est, vel ne- cessitatem involvit, vel contingentiam. Porro si id admittas, jam nec secundum se ab his potest abstrahere. Ergo nulla responsio. Probatur minot subsumpta. Animalitas, quæ secundum suum conceptum ab-

strahit à rationalitate, & irratio- nalitate, abstrahit etiam ab istis, quando intelligitur existere. Ergo si ens reale abstraheret ex se se à necessitate, & contingentia, ab his quoque abstraheret, quando est existens. Hoc posterius verum non est. Nec ergo illud prius; atque adeo nulla prorsus ratio potest ab- strahere à necessitate, & contingentia.

Respondetur. Concedo primam consequentiam, & nego minorem subsumptam. Ad hujus probatio- nem, concedo antecedens, & nego consequentiam, & paritatem. Discrimen in eo situm est, quia ne- cessitas, vel contingentia, cum sint modi ipsius existentiæ, eamdem ne- cessario afficiunt, ac determinant, unde id, quod est existens, ab alterutra earum necessario deno- minatur. At vero rationalitas, vel irrationalitas non sunt modi exi- stentiæ, nec pertinent ad ordinem existendi, velut affectiones illius; hinc animalitas abstrahit ab istis specificis differentiis, etiam quando intelligitur existens. Eadem est discriminis ratio, cur ens, ut ab existentia abstrahit, abstrahat quoque ab asseitate, & ab aleitatem: ut vero existens est, unam, vel alteram necessario involvat; quia ni- mirum duæ illæ differentiæ ad ipsam pertinent existentiam, velut affectiones illius, nam omne, quod existit, vel est à se, vel ab alio. Unde ens re ipsa dependentiam præ se fert in creatura, & productum

est : quamvis non ex sua ratione formalis.

Alii occurunt prædicto argumen-
to , dicendo , primo diversa
convenire in realitate *objectiva*,
licet non convenient in realitate
subjectiva , quemadmodum diffe-
rentia . Sed nostra responsio aper-
tior est .

Objicies 3. Admissa realitate en-
tis , quidpiam admitteretur prius ,
& independens à Deo . Hoc absurdum est . Igitur ea realitas admit-
ti non debet . Sequela majoris pro-
batur . Omnis realitas constituens
prior est re , quam constituit , &
id quod constituitur , pendet à suo
constitutivo , non , è contra . Ergo
illa realitas esset prior Deo , & ab
illo independens ; immo potius
Deus ab ea realitate penderet .
Hinc animalitas , quæ realitatem
dicit , est quidpiam homine prius .

Respondeatur , ens dici posse in
signo rationis prius Deo , quatenus
inter ens , & Deum non valet
mutua illatio , unde dicere possu-
mus : *Est Deus , ergo est ens* ; non
tamen è converso : *Est ens , ergo est
Deus* . Non dicitur tamen prius in
reali instanti , quasi possit existe-
re sine Deo , nam hoc falsum est ,
unde semper à Deo pendet ; at-
que adeo summa Dei perfectio
indemnis servatur . Hinc dispar est
ratio de animalitate , quæ quantum
est ex se se existere potest sine ho-
mione , & independenter ab illo .

Objicies 4. Gradus entis tran-
scendentalis re ipsa constituitur rea-

lis per habere , vel posse habere
esse extra suas caussas , nam esse
reale præ se fert hoc . Atqui Deus ,
cum sit à se , nullum gradum con-
tinet , qui sit vel possit esse extra
suis caussas . Ergo admitti non po-
test realitas entis Deo , & Crea-
turæ communis .

Respondeatur , bifariam intelligi
quidpiam posse extra suas caussas ,
positive , & *negative* . Primo sensu
præ se fert positivam potentiam ,
vel exigentiam ad existendum ex-
tra suas caussas ; atque solum ens
creatum , vel creabile est hujusmo-
di . Secundo sensu dicit meram in-
differentiam logicam , seu non re-
pugnantiam ad existendum extra
suis caussas . Hoc convenit , enti
reali universim , & secundum suum
esse objectivum considerato , &
constituitur reale , quatenus ad
existendum ordinatur , quin tamen
existentia dicat à caussa aliqua
extrinseca productam ; abstrahit
enim ab ipsa hac caussalitate , quæ
in sola creatura locum habere po-
test .

Instabis 1. Ergo in Deo extaret
prædicatum aliquod , cui non re-
pugnaret esse creatum , & fieri de-
pendens ab alio . Hoc admitti non
potest . Ergo nulla responsio . Mi-
nor subsumpta probatur . Totum
esse Dei est à se , sicuti totum esse
creaturæ est ab alio . Ergo non
potest admitti in Deo prædicatum
illud &c.

Respondeatur . Concedo primam
consequentiam : si de mera indiffe-

ren-

rentia logica loquamur ; & nego minorem subsumptam. Ad probationem , distinguo antecedens; totum esse Dei est à se , si *subjective* , & re ipsa consideretur , concedo: si accipiatur *objective* , & formaliter , nego antecedens ; idemque de creatura dico , & nego consequentiam. Itaque non repugnat Deo prædicatum quod *objective* , & formaliter consideratum habeat quantum est ex se indifferentiam logicam ad existendum in creatura , quia prædicatum illud ex suo conceptu *objectivo* formaliter abstrahit ab esse à se , & ab alio. At omnia Dei prædicata re ipsa , & *subjective* accepta sunt unum perfectissima identitatem cum differentia ipsius Dei , & sunt à se.

Instabis 2. Omnia prædicata Dei sunt in ipso secundum ipsumrum esse *subjectivum* , id est , cum suo modo essendi ; ergo sunt à se , & non abstrahunt &c.

Respondetur , ea prædicata esse in Deo etiam secundum ipsorum esse *objectivum* , atque sub hac consideratione ens abstrahit ; etsi quatenus *subjective* accipitur , sit à se per realem identitatem cum differentia Dei.

Objicies 5. Ratio entis , quæ est in creatura , est à Deo producita ; in Deo autem est improducta. Ergo non convenient &c. Deinde creatura per rationem entis , veluti per rationem adæquatam , dependet à Deo. Tum inter contradictoria non datur medium:

realitas autem entis esset quid medium inter dependens , & non dependens , caussatum , & non causatum ; à se , & ab alio : quia neutrum eorum ex se se diceret. Denique nihil potest esse commune ei , quod est tale *simpliciter* , & illi , quod tale est tantummodo *secundum quid*. Deus est ens *simpliciter* , creatura vero *secundum quid*. Igitur &c.

Respondetur ad primum ex dictis , rationem illam entis conceptu suo *objectivo* , & notione sua formaliter abstrahere à productione , & non productione. In creatura autem est à Deo producta per realem identitatem cum differentia creaturæ finita , & limitata.

Ad secundum. Creatura dependet à Deo per suam differentiam , seu *ab aliætatem* , quæ est ratio , per quam resertur ad Deum , veluti ad caussam. Hæc vero differentia creaturæ reddit omnia ipsius prædicata per realem identitatem dependentia à Deo.

Ad tertium. Quamquam realitas entis abstrahat à dependentia , vel independentia ; re ipsa tamen unam , vel alteram dicit ; adeoque non est medium inter contradictoria.

Ad quartum. Creatura dicitur ens *secundum quid* , proprio sensu , & comparatione facta cum Deo ; unde ea locutio non afferat à creatura veram rationem entis realis.

Atque hinc tenemus , realitatem

entis esse communem univoce Deo, & Creaturis ; Substantia quoque, & Accidenti. Uniyoca enim ea sunt quorum nomen , & id , quod per nomen significatur , re ipsa pluribus convenit. Quod ipsum notio entis realis præ se fert. Quia vero ens primo , & perfectius est in Deo , quam in creatura ; siccirco ea univocatio non omnino perfecta est, sed imperfecta , atque analogia commixta.

At vero nullus haberi potest conceptus univoce communis enti reali , & enti rationis , quo vix, ac ne vix quidem nomen entis promeretur. Nam & in ente reali nihil effictum est , & in ente rationis nihil non effictum. Hinc ens rationis non est per se , & motive intelligibile , nec per se possibile , sed tantummodo per ipsum ens reale , ut in præc. quæst. diximus. Eadem de caussa Negatio, cum sit non ens , & re ipsa sit omnino nihil , non habet aliquid , quo conueniat cum ente reali.

Infertur etiam ex dictis , conceptum entis realis perfecte abstrahere ab omnibus suis inferioribus, differentiis, proprietatibus, & modis. Nam si ens dicit realitatem communem , in ejus sane notione nihil reluet eorum , quæ vel sunt ipsius inferiora , vel illud dividunt, aut eidem veluti adjacere , & adiungi intelliguntur. Id vero hac etiam altera argumentatione probatur. Quotiescumque Mens nostra certam habet de uno aliquo noti-

tiam , atque circa aliud dubietate tenetur , diversum utriusque conceptum necessario efformat: ne dicamus eundem simul conceptum certum esse , & dubium. Porro mens nostra quandoque certo cognoscit, objectum , quod illi obversatur , esse ens reale; ambigit vero , utrum sit Deus , vel creatura; substantia , vel accidens : an hac differentia , vel illa ; hoc , vel illo modo afficiatur. Ergo mens nostra duos habet diversos conceptus, quorum unus rationem entis representat , nec inferiora , differentias, aut modos involvit. Adeoque Conceptus entis realis perfectè abstrahit ab his omnibus. Minor ostenditur. Plerique Philosophi ex reali Corporum Cœlestium motu agnoverè certo , efficientem motus illius caussam esse ens reale : & tamen adhuc in ancipiis eorum mens nutabat , utrum reale illud ens esset Deus , vel creatura. Eorum itidem nonnulli Quantitatem esse ens reale certo cognoverunt ; an vero substantia esset , vel accidens , nunc etiam dubitant , Igitur &c.

Est autem animadvertisendum præfata cognitionis certæ objectum esse quidpiam reale , quia effectus realis eluceat , præstitus dubio procul à caussa reali , nempe Cœlorum motus ; secus ac contingit in eo , qui certus esset , agens aliquod esse singulare , dubius vero , an sit hoc potius singulare , quam alterum. Cum enim singularitas sit

ul-

ultima ratio differendi , non potest esse re ipsa communis: ut alias diximus ; & cum singularitas non sit principium effectivum , nunquam quis certus esse potest , nisi de voce , dum considerat singulare indeterminatum. Ita & qui certus dicitur de ente , dubius vero , an illud sit reale , vel rationis ; solius vocis sonum tenet. Demum qui abstrahit à conceptu entis positivi , abstrahit quoque à conceptu entis realis , quod ex se se positivam notionem habet.

Speciatim vero de differentiis propositum sic concludimus. Differentiae aliæ dicuntur *ultimæ*, quod nimirum ulteriori divisioni locum non faciant ; aliæ appellantur *non ultimæ* , quæ per alias differentias determinari adhuc possunt. Singularitas est differentia *ultima*. Rationalitas v. gr. est differentia *non ultima* , quæ specificè quidem non dividitur , in plura tamen numero per singularitates distribuitur. Sane differentiae *ultimæ* non aliud præse ferunt , nisi rationem distinctivam unius ab altero , adeoque nihil habent commune : ut in Logica diximus disp. 3. q. 2. in sol. nec in illis potest intellectus noster in infinitum progredi , ut conceptum ultimo distinguenter aliis itidem conceptibus discernat. Differentiae vero *non ultimæ* & ipsæ suo modo intelliguntur determinare ens reale ; adeoque non sunt formaliter ens ipsum. Quod ex iis apparet , quæ de Distinctione formalí , &

prædicatis metaphysicis in Logica docuimus.

Notionem differentiæ *ultimæ* , & *non ultimæ* , quam modo exhibuimus , tradit etiam Scotus pluribus in locis. Aliquando autem , ut in 2. d. 3. q. 6. differentiam *non ultimam* ita accipit , ut ea significet formam ipsam physicam , quæ unum ens ab altero specificè discernit ; *ultimæ* vero differentiæ nomine prædicatum intelligit metaphysicum , quo forma physica dicitur distinguere unum ab altero. Priore sensu certum est , differentiam *non ultimam* includere ipsum ens , quia est res ; quamquam ipse ens conceptus ab ea abstrahat , ut ab aliis. Posteriore sensu differentia *ultima* complectitur duo genera differentiarum à nobis proposita ; & ab istis ens reale abstrahit : ut diximus.

Nunc de mente Subtilis Doctoris disserimus , eumdemque arbitramur nostram confirmare sententiam de Realitate communii entis. Itaque in 1. d. 8. q. 3. distinctionem formalem adstruit inter ens , & modos ipsius , & de ente reali loquitur , veluti de aliquo communii. Ait enim : Requiritur igitur distinctio inter illud , à quo accipitur conceptus communis , & illud , à quo accipitur conceptus proprius : non ut distinctio realitatis , & realitatis ; sed ut distinctio realitatis , & modi proprii , & intrinseci ejusdem : quæ distinctio sufficit ad habendum perfectum conceptum , vel

imperfectum de eodem, quorum imperfectus sit communis, & perfectus sit proprius. Id ipsum autem, quod de ente, ejusque modis dixerat, declarat postea exemplo albedinis, quæ ad ordinem pertinet prædicamentalem, ostendens se eodem modo tum de prædicatis transcendentibus, cum de prædicamentilibus disserere. Unde & ait: *Teneo opinionem meam medium, quod cum Simplicitate Dei stat, quod aliquis sit conceptus communis sibi, & creature; non tamen communis, ut generis.* Et postea: *Quidquid dicitur communiter de Deo, & creatura, est indiferens ad finitum, & infinitum.* Negat porro, ens esse genus, quia, ut addit, *nullum genus potest esse indiferens ad infinitum.*

Respondent, Scotum loqui de conceptu imperfecto, nam si intellectus noster Deum perfecte contempletur, illum percipit non mera ut ens, sed ut ens infinitum. Hinc addit, distinctionem interens, & proprias differentias, esse tantum ejusdem realitatis perfecte, & imperfecte conceptæ.

Contra. Doctor, ut diximus, assumit exemplum albedinis, quam dicit concipi posse conceptu perfecto, & adæquato, si concipiatur secundum ordinem suam intensiōnem, & conceptum imperfecto, si percipiatur sub mera albedinis ratione. Nihilominus ex mente Scotti conceptus iste dicit realitatem communem. Ergo idem ipse opinatur de conceptu imperfecto en-

tis. Alioquin enim nec animalitas diceret realitatem; nam si perfecte, & adæquate concipiatur homo, non mere ut animal, sed ut rationale animal intelligitur. Ait autem Scotus unam esse realitatem, quia cum referat rationem entis ad modos ipsius, modus autem intellegi non possit, nisi confuse saltem percipiatur id, cui convenit; ictus non distinguuntur tanquam duæ realitates: attamen revera distinguuntur, quia realitas entis intelligi potest sine suo modo.

Dices. Scotus in 1. cit. dist. 8. q. 3. cum dissolveret hoc argumentum Henrici: „Deus & creatura sunt primo diversa, primo diversa in nullo conveniunt: ergo Deus, & creatura in nullo conveniunt: atque adeo nihil est commune univocum Deo, & creatura“; sic respondet Doctor: *Deus, & creatura non sunt primo diversa in conceptibus, tamen sunt primo diversa in realitate, quia in nulla realitate conveniunt.* Quibus verbis videtur loqui de realitate transcendentali. Nam Henricus concedebat, nullam extare realitatem prædicamentalem Deo, & creaturis communem, Deumque non contineri sub genere aliquo. Hinc d. 26. duos dicit esse ordines eorum, quæ sunt primo diversa, nam alia sunt diversa in conceptu, & realitate, alia in realitate tantum. Proinde Deus, & creatura, cum non sint primo diversa in conceptu, debent excludere quamlibet

bet realitatem communem, ex sententia ejusdem Doctoris. Quamobrem in primo loco citato ait: *Ens autem, ut convenit Deo, scilicet ens per essentiam, est ipsum esse infinitum....., & ideo ex se est hoc, & ex se infinitum.* Et antea dixerat: *Cum in Deo quæcumque realitas essentialis sit formaliter infinita, nulla est, à qua formaliter possit accipi ratio generis.* Quemadmodum in 2. d. 3. q. 6. inquit: *Comparando quodcumque esse entiale ad quodcumque esse entiale in divinis, est formaliter infinitum.* Igitur &c.

Respondetur, Scotum in ea disputatione contra Henricum non disserere de qualibet realitate, sed de ea tantum, quæ potentialis, & generica est, & finita cum sit, compositionem præ se fert: cuiusmodi non est realitas transcendens. Hinc ibidem dicebat: *Concedo, quod iste conceptus dictus de Deo, & de creatura in quid, contrahitur per aliquos conceptus dicentes quale contrahentes.* Verba illa adjungit, quæ pro nostra assertione retulimus, & subdit: *Sed conceptus generis, & differentiae requirunt distinctionem realitatum.* Itaque ibidem Doctor Henrico consentit asseveranti, Deum, & creaturam non convenire in aliqua realitate potentiali, & generica. Et tamen contendit Scotus, conceptum reperiri communem unioce Deo, & creaturis; nempe ipsammet realitatem transcendentalentis; ita ut ex Scotti mente Deus, & creatura sint pri-

mo diversa, non in ista realitate transcendentali, sed tantum in illa prædicamentali.

At d. 26. universim tantummodo distribuit ea, quæ dicuntur primo diversa. Sicuti autem realitas alia est prædicamentalis, alia transcendentalis; ita quæ sunt primo diversa in realitate, speciatim rursus bifariam distribuuntur, ut alia sint primo diversa in realitate prædicamentali, alia autem in realitate transcendentali.

Quæ tertio loco relata est auctoritas ex 1. citato, significat, ens ipsum reale in concreto acceptum, & reduplicative ut est in Deo, esse ex se infinitum: quod nemo inficiatur, nam impræsentiarum contemplamur ipsum esse secundum suum conceptum objectivum, & in abstracto.

Postiores duas Scotti propositiones facile intelligimus, si animadvertamus, particulam illam, formaliter, non semper significare conceptum objectivum, sed quandoque sic accipi, ut significet, prædicatum actualiter, seu re ipsa inesse subjecto. Ergo Doctor hoc tradit, videlicet infinitatem re ipsa convenire diuinis omnibus prædicatis, ut inde subinferat, nullam esse compositionem in Deo, nullumque Dei prædicatum præ se ferre rationem generis. Quippe, ut adjungit ultimo loco citato, *ideo ex se habet unde per identitatem includat quodcumque, quod potest secum esse.*

QUÆSTIO TERTIA.

Quid sit Unitas Entis realis? & quæ prima ipsius Divisio?

Inter proprietates entis realis speciatim ipsius Unitatem contemplamur, & querimus, an illa sit mera negatio divisionis, an vero quidpiam præ se ferat positivum ab ipsa entis realis essentia formaliter distinctum.

Dicimus, Unitatem entis realis esse quidpiam positivum. Ita docet Scotus lib. 4. Met. q. 2. & in 2. d. 1. q. 6. & alibi.

Probatur. Omnis negatio realiter indistincta, & inseparabilis, quidpiam positivum præsupponit, à quo derivetur: ut ostendimus in 1. Logices parte, sect. 1. c. 1. Atqui Unitas entis realis negationem dicit ab eo inseparabilem, & realiter indistinctam. Ergo præ se fert quidpiam positivum. Minor patet. Per Unitatem ens reale dicitur in se se omnino indivisum, & à quolibet alio discretum: quod sane separari ab ente nullatenus potest. Igitur &c. Porro istud positivum non est ipse conceptus objectivus, seu ratio formalis entis, nam ens in se se est solum ratio essendi absolute, non autem essendi unum vel plura, sed ab his abstractis: & ratio essendi reperitur tam in uno, quam in multitudine, cum æque multa existant, ac unum. Hinc ens non habet immediatam

oppositionem cum multitudine, vel divisione, sed cum non ente, seu nihilo. Igitur Unitas erit prædicatum metaphysicum ab ipso conceptu objectivo entis realis formaliter distinctum, tamquam illius proprietas. Quod sequitur ex dictis de Distinctione formali, & de realitate entis.

Objicies 1. Aristoteles, & nos etiam non alia ratione unitatem explicamus, nisi per parentiam divisionis. Tum si unitas entis realis esset quidpiam positivum, istud etiam esset unum, adeoque per aliud positivum, atque ita progrederemur in infinitum. Deinde illud positivum esset quidpiam reale, adeoque esset ens. Igitur dicendum videtur, unitatem esse meram negationem divisionis.

Respondetur ad primum. Plura sunt, quæ non explicantur, nisi per negationem, ut spiritualitas, irrationalitas, & similia; & tamen quidpiam positivum præ se ferunt. Ergo licet unitas exponatur per negationem divisionis, quia tamen hæc negatio est realiter indistincta, & separabilis, quidpiam positivum præ se fert, quamvis defectu vocabulorum non nisi negative describatur.

Ad secundum. Illud positivum unitatis est ratio formalis, qua ens reale dicitur unum, ideoque non indiget alio positivo, qua unum fiat. *Quod est quo in uno genere, non indiget alio quo in eodem genere: ut alias diximus.*

Ad

Ad tertium. Patet ex dictis in quæstione de Distinctione formalis prædicata metaphysica non esse ens reale, quia ex se se non habent, nec habere possunt existentiam, sed possibilia sunt, & existunt ratione rei cum qua identitate reali junguntur. Et ideo unitas entis non est formaliter ens, licet sit ens realiter, quia non est realiter distincta ab ipso ente.

Objicies 2. Plura præ se ferunt quid amplius, quam unum: ut evidens est. Ergo pluralitas quidpiam dicit positivum, unitas vero in sola negatione consistit. Deinde pluralitas realis non est carentia, sed potius replicatio. Igitur unitas pluralitati adversa non erit nisi carentia.

Respondetur, distingui, oportere pluralitatem secundum id, quod *pro materiali* dicit, & secundum illud, quod *pro formalis* præ se fert. Verum est, pluralitatem, seu multitudinem, & plura *pro materiali* præ se ferre quid amplius, quam unum, nempe tot res, vel entitates quæ multiplicationem, seu divisionem habent. At *pro formalis* solam divisionem dicunt, & unitatis carentiam.

Hæc de unitate dicta sint. Nunc de prima entis divisione disseramus.

Ex descriptione entis realis, quam in 1. quæst. traddimus, liquido appetit, Deum, & Creaturam esse entia realia; Substantiam quoque, & Accidens, quod ex nostra sen-

tentia quidpiam est ab omni substantia secretum. Etenim hæc omnia vel existunt, vel existere possunt, nullo habito respectu ad commenta nostri intellectus. Ergo ens in quatuor illa distribuitur. Nec profecto entis divisio talis potest constitui, ut duas tantum sub se illorum species, aut differentias respiciat. Nam si ens primo dividamus in Substantiam, & Accidens, aliam suscipere amplius non posset partitionem in Deum, & Creaturam; quippe Accidentis notio creata est, & finita, adeo ut Accidens non creatum, non finitum ne intelligi quidem possit. Rursus si placeat enti universim accepto duas has partes primo constituere, Deum nempe, & Creaturam; jam partitio altera in Substantiam, & Accidens haberi nullatenus posset; siquidem Substantia generatim accepta, prout à limitatione abstrahit, velut totum intelligitur, quod in Deum, & Creaturam distribuatur: nec consequenter sub illis distribui potest. Igitur fateri nos oportet, primam, proximam, & inmediatam entis partitionem in partes duas nullatenus constitui posse. Quod ipsum nec mente consequi valemus. Quapropter satius est, quatuor illa inferiora enti subjecere, eo ordine, quem descriptissimus.

Placet Scotistis primam entis divisionem designare in *Ens quantum*, & *Ens non quantum*: ubi *quantitatis* nomine non ipsam rei

integritatem intelligunt, sive perfectionem *entitativam*, sed perfectionem velut accidentariam, qua unum alteri præstat. Attamen factentur & illi, partitionem hanc entis non esse *univocam*, sed *æquivocam*. Entia enim *non quanta*, cuiusmodi ex dicendis sunt Singularitates, & Divinæ Personalitates, non sunt per se se vera entia realia, nec possunt appellari res, si secundum propriam, peculiaremque notionem considerentur, et enim ens, & res omnino idem significant.

Ita sane cum primis Singularitates sunt entia *non quanta*. Sunt enim mere distinctoriae unius individui ab alio, nec earum una dicit majorem perfectionem, quam altera, aut sunt perfectiones naturæ, quam afficiant, & omnia individua unius speciei eadem gaudent essentiali perfectione: per se se autem non existunt, nec proinde sunt vera entia realia; adeoque &c. Hæc autem entia dicuntur *non quanta*, quia perfectionem non habent accidentariam; propriam tamen habent perfectionem *entitativam*, seu *essentialē*, quæ in eorum conceptu objectivo consistit, unde non sunt mere negationes, sed quidpiam positivum præ se ferunt: Quamobrem ens ea *æquivoca* distributione in duo positiva semper dividitur.

Divinæ etiam Personalitates dicuntur entia *non quanta*. Alioquin enim si ultra propriam integritat-

tem, perfectionem præ se ferrent veluti accidentariam, per quam una posset dici magis, aut minus, aut æque perfecta sicut altera, in Divinis admittere oporteret inæqualitatem perfectionis. Una enim Persona non habet Personalitatem alterius. Pater etiam habet Paternitatem, qua Filium generat, & Spirationem activam, qua producit Spiritum Sanctum: in Filio etiam extat Filietas, & Spiratio activa; at Spiritus Sanctus solam habet passivam Spirationem. Ergo si iste relationes perfectionem dicerent inæqualitas constituatur in Divinis; non enim eadem esset in tribus Personis quantitas virtutis, seu perfectio, secundum quam unum alteri comparatum dicitur magis, aut minus, aut æque perfectum. Omnis autem perfectio debet singulis Personis *formaliter* convenire, unde defectus aliquis perfectionis non posset dici sublatus in una Persona per propriam relationem, quæ vel æquivalens sit alteri personalitati, aut eminenter, seu virtualiter perfectionem alterius contineat: quemadmodum omnium consensu id verum esset, si unum attributum absolutum inesset Patri, & non Filio.

Animadvertisimus autem, æquabilitatem, vel inæqualitatem non repeti ab entitate prædicati, quod enunciatur, sed à perfectione, quæ *qualitativa* dicitur; seu quantitas est virtutis; & ideo licet Filietas

non sit in Patre , Pater æque perfectus est , ac Filius. Una quippe est in ipsis Essentia , ratione cuius etiam Divinae Relationes dicuntur entia , dicuntur perfectæ , dicuntur dignæ adoratione , & cetera de ipsis enuntiantur , quæ SS. Patres in Trinitatis commendationem tradunt. Quippe , ut ait Sophronius in epist. Synodica , quæ extat in Actis Synodi VI. ob id perfectus Deus est Pater ; perfectus Deus , Spiritus Sanctus : quoniam eamdem , & unicam qualibet Persona , individuam , & nulla re defectam , ac perfectam habet Divinitatem. Sed hæc distinctius pertractanda Theologis relinquimus.

DISPUTATIO SECUNDA.

De principiis Entis.

QUÆSTIO UNICA.

Quoniam sit primum certæ cognitionis Principium?

OMNIBUS principiis, ait Aristoteles lib. 5. Met. c. 1. commune est , esse primum, unde aliquid aut est , aut fit , aut cognoscitur. Quapropter Principia alia in essendo appellantur , quibus aliquid aut est , aut fit ; alia in cognoscendo dicuntur , quibus rei alicuius notitia comparatur. Cum autem ipsum Ens in se se; velut abstrahens

ab omnibus rebus , conceptum præ se ferat simpliciter simplicem; hinc Scotus quæst. 3. Prologi optimè notat , Entis , in quantum Ens , nulla esse principia essendi. Nihilominus, ut idem Doctor affirmat, habet Ens principia cognoscendi , quibus generatim patefieri possunt , & dirigi demonstrationes illæ , quæ circa Ens ipsum instituuntur.

Porro primum certæ cognitionis Principium illud est , quod præstat omnibus aliis tum certitudine , & firmitate , tum evidentiâ , tum officio , adeo ut ex eo cetera profluant , illud ex nullo. Si unum ex his characteribus demas , evidens est primi principii notiones corruere. Cum autem , ex dictis in 1. parte Logicæ , sect. 3. c. 5. duplex sit genus Demonstrationis , nam altera redarguitiva est , altera ostensiva ; hinc primum certæ cognitionis principium utroque in genere inquirimus.

Cartesius , parte 1. Principiorum , & in 2. medit. primum istud Principium statuit : Ego cogito , ergo sum. Assolent Recentiores alii primi Principii dignitatem huic tribuere propositioni : Quidquid in idea clara , & distincta rei alicuius comprehenditur , id de ea re certissime potest affirmari. De qua diximus in 2. Logices parte , disp. 1. quæst. 1. Peripatetici hoc unicum constituunt Principium primum. Impossibile est idem simul esse , & non esse.

Dicimus , neque illud Cartesii:

Ego

Ego cogito, ergo sum; neque propositionem illam: Quidquid in idea clara, & distincta rei alicujus comprehenditur, id de ea re certissime potest affirmari, haberi posse ut primum certæ cognitionis Principium; celebre autem illud Axioma: Impossibile est idem simul esse, & non esse, rite constituit primum cognoscendi Principium in genere demonstrationis redarguitivæ.

Probatur prima pars. Primum certæ cognitionis principium præsse ferre debet intentionalem connexionem cum aliis rerum cognitionibus, adeo ut istæ probari per illud queant. Hoc enim est præstare officio omnibus aliis. Atqui illud Cartesii: *Ego cogito, ergo sum*, non est hujus modi. Nec ergo est primum Principium. Minor probatur. Nihil relucet, quo ea connexio demonstretur, nec Cartesiani eamdem possunt satis ostendere: immo vero cum judicia nostra persæpe exerceantur circa universalia, illud autem effatum sit particulare, & contingens, haberi non potest ea intentionalis connexio. Igitur &c. Tum illud Cartesii: *Ego cogito, ergo sum*, propositio est complexa, nec vim illustrationis, & veritatis obtinet; nisi ab hac altera propositione: *Quidquid cogitat, existit, aut, Operari sequitur esse*. Ergo una ex ipsis potius, quam illud dici deberet Primum Principium. Existentia quoque affirmatur, dum dicitur: *Ego*

cogito, & iterum traditur, dicendo: Ergo sum. Atque adeo effatum illud hunc ridiculum sensum reddit: Si sum, sum; sum autem ergo sum. Igitur &c.

Respondent Cartesiani, effatum illud esse veritatem contingentem, si disjunctim accipiatur, non tamen si copulative. Necesse est enim cogitantem existere. Neque tamen in illo intervenit ratiocinatio: idem est quippe, ac si diceretur: *Ego, qui cogito, existo*; & Cartesius ad sui existentiam demostrandam, non sumit se, ut rem, quæ sit, sed tantum ut rem, quæ cogitat. Quamvis autem non sit principium compositionis, & intrinsecum, est tamen principium cognitionis, & extrinsecum, quantum ope illius per successiōnem quamdam cognitionum perducimur ad alias veritates assequendas.

Contra est. Primum certæ cognitionis Principium debet esse necessarium absolute, alioquin alio indigeret principio, nec adeo esset primum. Ergo si dictum illud Cartesii verum non est, nisi copulative, erit necessarium tamtummodo conditionate, nempe ex suppositione quod ego cogitem, & existam. In se se autem, ratiocinationem includit, adeo ut Cartesius ipse, parte I. Principiorum, fateatur, dictum illud præsupponere notitiam hanc: *Qui cogitat existit*. Res vero, quæ cogitat, hoc ipso cogitans esse intelligitur, ideoque

sem-

semper existentia in utraque parte effati illius affirmatur. Porro etsi primum certæ cognitionis principium sit extrinsecum, habere tamen debet connexionem intentionalem cum aliis veritatisbus: at hæc non convenit illi effato, & series illa succendentium cognitionum admitti non potest, ut vera: quemadmodum ex solutione argumentorum apparebit.

Probatur secunda pars. Qui expositam propositionem constituunt, velut primum cognoscendi principium, manifesta ludunt principii petitione. Ergo ea propositio non est primum Principium. Sequela antecedentis probatur. Primum cognitionis principium est regula, cuius ope licet discernere, quæ sit vera cognitione, quæ falsa; an omnia sint, nec ne, à nobis accuratissime circumspecta ad judicium rite ferendum. Atqui Recentiores propositionem illam in id exhibentes, inquirentibus nobis ejusmodi regulam, respondent per illud idem, de quo quæstio est; & pro quo certam petimus regulam. Ergo vi-
tioso circulo laborant.

Respondent Recentiores, ideas veras ex se se discerni, atque ab iis tantum non percipi, qui attendere claris, distinctisque ideis nolunt.

Contra. Ut diximus in 1. disp. secundæ partis Logicæ, q. 1. sæpe fallimur in iis etiam, quæ videmur clare, distincteque percipere. Medium quoque nunc inquirimus, quo claram distinctamquere ipsa ideam

discernere valeamus ab ea, quæ fucata est, & licet talis appareat, talis revera non est. Soli autem Recentiores ea possunt attentionis vi, qua ajunt se idearum suarum claritatem assequi. Nos certo id non assequimur, & novimus etiam Sapientes Viros censuisse rerum veritatem effugere aciem mentis.

Probatur tertia pars. Vis demonstrationis redarguitivæ in eo sita est, ut contrarium sentientes ad absconsum, & impossibilia deducat. Atqui nihil magis est absconsum, & impossibile, quam si duplex illud contradictorium, simul esse, & non esse, cogas aliquem fatere. Ergo totum robur demonstrationis redarguitivæ resolvitur in hoc principium: *Impossible est idem simul esse, & non esse.* Istud proinde principium hoc in genere primum omnino est, & in illud cetera resolvuntur; apertissimum quoque est, & certissimum, adeo ut ab homine, qui terminos percipit, & loqui velit, ut sentit, nullatenus negari possit. Igitur &c. Hinc optime ajebat Philosophus lib. 4. Met. summa 2. cap. 1. *Omnies demonstrantes ad hanc ultimam opinionem reducuntur; natura enim hoc ceterarum quoque dignatum omnium principium est.* Quid & tradit Subtilis Doctor in 1. d. 3. q. 4.

At in genere demonstrationis ostensivæ regula hæc non satis apta appetet. Quippe non explicat, quid sit res; sed solum quid non sit, & probat tantummodo non posse rem

non esse , si revera est. Absolute nihilominus appellari debet primum Principium , quia quæ ad genus ostensivum pertinet , demonstratione redarguitiva probari possunt vi prædicti Principij; unde aliquo modo notitiis omnibus confirmandis deservit.

Itaque in genere demonstratio-
nis ostensivæ primum certæ cog-
nitionis Principium , à priori , ut
ajunt , constitui non potest ; sed
nobis tantummodo fas est , à poste-
riori intima rerum prædicata co-
gnoscere ex illarum intima proprie-
tate per effectus elucescente : ut in
citatō Logices , loco docuimus.

Objicies 1. Contra primā par-
tem. Illud est primum certæ co-
gnitionis principium , quo Sapient-
issimi Viri usi sunt ad veritates
comprobandas. Atqui S. Augusti-
nus usus est eo Cartesii principio:
Ego cogito , ergo sum. Igitur &c.
Minor probatur. S. Doctor lib. 2.
de libero arbitrio , c. 3. ut Evi-
dium de omnibus dubitantem in ve-
ritatis agnitionem duceret , ait:
*Prius abs te quero..., utrum tu ipse
sis: an tu fortasse metuis , ne in-
hac interrogatione fallaris , cum
utique si non esses , falli omnino
non posses?* Et lib. 11. de Civitate
Dei , cap. 26. inquit: *Mibi , esse
me , idque nosse , & amare , certis-
simum est.* Nulla in his veris Aca-
demicorum argumenta formido , di-
centium: *Quid si fallaris?* Si enim
fallor , sum : nam qui non est , uti-
que nec falli potest ; ac per hoc

sum , si fallor. Igitur &c.

Respondeatur : distinguo majo-
rem : illud est primum principium ,
quo Sapientissimi Viri usi sunt , per
modum exordii , nego : per modum
axiomatis , concedo majorem ; &
sic distinctione minori , nego conse-
quentiam. Primum itaque cognos-
cendi Principium est axioma , quo
demonstratio conficitur , & pro-
gredi possumus de vero in verum.
Porro S. Augustinus priore loco
laudato , cogitationem esse certis-
simum existentiæ argumentum , i.e.
circo assumpsit , ut eo uteretur ad
parendam disputationis materiam ,
tanquam exordio , cuius ope dis-
putationem inciperet cum Evodio
de omnibus dubitante : non ha-
buit tamen cognitionem illam , ve-
luti , axioma , quo veritates aliae
possent demonstrari. Id manifestum
est ex verbis S. Augustini. Ait enim:
*Prius abs te quero , ut de manife-
stissimis capiamus exordium &c.*
Ceterum non oportet semper uti
exordio illo ad materiam disputa-
tionis parendam , hinc S. Doctor ,
epist. 3. alias 151. ad Nebridium ,
disputationem suam ita exorditur:
*Unde constamus? Ex anima , &
corpo.* Altero itidem citato loco
non axioma proponit , non regu-
lam , sed notitiam hanc certam ,
& indubitatam adstruit contra
Academicos , nimirum cogitantem
existere: quod & nos præstitimus.

Objicies 2. Ex illo effato : *Ego
cogito , ergo sum* , per seriem quam-
dam succendentium sibi cognitio-
num

num in omnium veritatum notitiam ducamur. Ergo vim habet primi principii. Antecedens probatur à Cartesianis. Ex mea existentia ducor in notitiam existentiae Dei, nam si non extaret Deus, nec ego essem. Ex Dei existentia comprobatur veras esse ideas mentis nostræ, alioquin Deus auctor esset falsitatis. Ex ideis nostris alias exinde res cognoscimus. Igitur &c. Hinc illud. *Ego cogito, ergo sum,* omnino certissimum est. Ergo &c.

Respondetur. Nego antecedens. Ad probationem, distingo primam partem antecedentis: Ex mea existentia ducor in notitiam existentiae Dei, quatenus ex effectu caussam colligo, concedo: per modum intentionalis principii, nego, & inficio etiam alias antecedentis partes: ut diximus in 2. Logice parte, disp. 1. q. 1. Addimus existentiae cognitionem non habere necessariam connexionem cum notitia essentiæ, seu naturæ rerum: ut manifestum est. Non sufficit autem certitudo, ut effatum aliquod dicatur primum certæ cognitionis principium; nam & hoc axioma indubium est: *Omne totum est majus sua parte;* neque tamen est primum cognitionis principium. Requiritur ergo illa intentionalis connexio, quam in probatione declaravimus, & quæ Cartesiano effato deficit.

Objicies 3. Contra secundam. Illud est primum certæ cognitionis principium, quod certissimum,

Tom. I.

& evidentissimum est: quod per aliud non probatur, & per quod cetera possunt demonstrari. Hujusmodi est ea propositio: *Quidquid in idea &c.* Ergo &c. Minor probatur. Omnis certitudo, & evidenter, quam de essentiis rerum habemus, ideis claris, & distinctis continetur. Ergo propositio illa certissima est, & evidentissima. Deinde nullum principium assignari potest prius illa; & illius ope demonstratur etiam veritas illius principii: *Impossibile est &c.* quia nempe idea essendi excludit ideam non essendi. Ergo ea propositio non probatur per aliam, immo per illam alia probantur.

Respondetur. Nego minorem. Et primo falsam esse propositiōnem illam in citata quæst. r. Logicæ satis probavimus. Falsum est etiam, nos claris distinctisque ideis percipere essentias rerum: ut diximus in 1. parte Logicæ, sect. 3. c. 5. Denique per eam propositionem non possunt demonstrari alia principia, immo res è converso se habet, nam catenus idea essendi excludit ideam non essendi, quia non potest idem simul esse, & non esse. Quippe si posset idem simul esse, & non esse, idea essendi nequam excluderet, ideam non essendi. Quo sit, ut Recentiores nihil possint specialius propōdere, quo ostendat, Peripateticum Principium probari ex sua illa propositione, cum res è converso videatur. Peripateticum autem

Principium illud ex terminis notum est, ut alia generalia principia. At non inde constat certitudo generalium istorum principiorum, nisi quia compertum est, mentem nostram non posse simul assentiri duobus contradictoriis: hoc est, non posse idem simul esse, & non esse, tum re ipsa, tum penes mentem nostram.

Objicies 4. Contra tertiam. Principium illud: *Impossibile est &c.* probatur per aliud. Ergo non est omnium primum. Probatur antecedens. Hoc principium: *Quodlibet est, vel non est,* est legitima ratio *a priori* impossibilitatis simul essendi, & non essendi. Tum illud principium constat multis terminis non ex se notis, atque inductione indiget ex sensibus fallacibus ducta. Igitur &c.

Respondetur. Nego antecedens: ad cuius probationem, iterum nego antecedens. Nam evidentior est impossibilitas duorum contradictiorum, quam necessitas disjunctiva ipsorum, qua dicitur alterum eorum contingere in rebus. Hinc res è converso se habet; potius enim ideo quodlibet est, vel non est, quia repugnat, idem simul esse, & non esse. Terminii autem principium illud componentes, facile intelliguntur sola apprehensione: atque, perceptis terminis, notissimum est, nec ulla indiget inductione, nisi velis hanc deseruire, ut speciatim applicetur rebus particularibus, aut altius memoria mandetur.

Objicies 5. Principium illud: *Impossibile est &c.* negativum est. Porro negatio fundatur in priore aliqua affirmatione. Ergo principium illud supponit aliud quidpiam. Immo ideo *a priori* res nequit simul esse, & non esse, quia omnis res necessario est una determinata. Ergo rem non posse simul esse, & non esse, pendet ab hoc principio: *Omne ens est unum.* Rursus propositio modalis supponit absolutam; & judicium supponit terminorum notitiam. Illud principium est propositio modalis, & judicium. Ergo &c.

Respondeatur, utique principium illud, cum sit ex genere negantium, presupponere terminos, ex quibus componitur. Sed hic non sequitur presupponere aliud principium, quia principium debet esse regula quædam firma, & evidens, ex qua cetera duci possint: cuiusmodi non sunt termini ipsi, nec absoluta illa propositio, quæ nostram modalem dicitur precedere. Rursus in genere demonstrationis redarguitivæ omnia pene probari possunt per negativum illud principium; probari potest etiam illud: *Omne ens est unum;* quoniam non potest idem esse, & non esse.

Objicies 6. Quam absurdâ est duorum oppositorum affirmatio, tam absurdâ est quoque ipsorum negatio. Atqui effatum illud: *Impossibile est idem simul esse, & non esse,* damnat illorum affirmationem. Ergo aliud principium con-

constituendum est, quo damnetur eorum negatio: ut si dicas: *Impossibile est, idem nec esse, nec non esse.* At hoc principio addito, neutrum erit primum simpliciter, quia per neutrum demonstrabuntur cetera omnia; neutrum etiam per alterum demonstrari ullo modo potest, cum sint æqualium virium. Ergo &c.

Respondetur, neminem negare duas enuntiationes contradictentes, qui non easdem aliis verbis affirmet. V. gr. idem facit, qui negat has duas contradictentes: *Socrates est albus: Socrates non est albus;* ac qui easdem affirmat, seu concedit; Negare enim, Socratem esse album, nihil aliud est, quam dicere, illum non esse album: & è converso. Hinc sit, non esse necessarium principium aliquod, cuius ope rejiciatur negatio duorum contradictiorum, sed sufficere principium illud, quod eorum affirmationem, seu approbationem damnat: uti se habet nostrum illud: *Impossible est, idem simul esse, & non esse.*

DISPUTATIO TERTIA.

De Entis Creati Essentia, & generalibus illius affectionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

An rerum creatarum essentia immutabiles sint, & aeterna?

Cartesius tametsi 2. parte Principiorum n. 16. Vacuum omnne, etiam spectata Dei Omnipotentia, prorsus esse impossibile contendat, nihilominus sèpe docet, *essentias rerum, mathematicasque veritates, quia Deus sic voluit, quia sic dispositus, esse immutabiles, & aeternas.* Ita apud Gassendum, t. 3. in dubitationibus, & instantiis ad Cartesii Metaphysicam, & responsa in Meditationem quintam. Quamobrem Deus quemadmodum existentias rerum mutare potuit; ita & illarum essentias, & potuisse falsa reddere prima, & certiora principia, atque efficere, ut bis quatuor non sint octo, & simul vera sint contraria, ac repugnantia enuntiata. Ita docet in med. 6. in resp. ad 6. ob. t. 1. epist. 110. aliisque in locis passim.

Subtilis Doctor in 1. d. 36. scribit, Henricum Gandavensem attribuisse rerum creatarum essentiis ab aeterno esse reale actuale, ut licet nulla res creata extiterit in aeternitate, essentia tamen carumdem

rerum aliquod esse habuerint *reale*, & *actuale*, quod ad essentiæ ordinem pertineret, atque fundamen-tum esset relationis ad Deum co-gnoscentem. Nam Deus omnia in æternitate cognovit. *Essentia* autem aliud non est, nisi *predicatum*, quod per se primo cuique rei conuenit, eamque intrinsece constituit, & ab aliis secernit. Poncius vero ex Scotistis docet creatarum rerum essentias *habuisse* ab æterno quod-dam esse diminutum, quasi medium inter esse rationis, & esse simpliciter *reale*. Ita enim ait disp. 2. Metaphysicæ, quæst. 5. conclusione 4. Addit autem conclusione 5. hoc esse diminutum non produci per actum divini intellectus. Has igitur opiniones nunc discutiendas suscipimus.

Dicimus, essentias rerum crea-tarum esse omnino immutabiles, neque tamen creaturis in æterni-tate concedimus aliquid esse *reale*, & *actuale* essentiæ.

Probatur prima pars. Si Deus pro nutu suo posset essentias re-rum mutare, & falsa reddere principia prima, ac per se nota; poterit etiam Synderesis principia destruere, aliam Decalogi legem condere, & falsum reddere princi-pium illud: *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*. Hæc omni-no absurdâ sunt. Etenim nulla ex-taret lex naturæ, quæ actiones aliquas per se se, & ex suis intrin-secis malas esse manifestaret: tum nihil omnino esset impossibile ne

Deorum quidem pluralitas, quip-pe in eadem re jungi simul possent esse, & non esse, adeoque ipsum non esse nequam præ se ferret destrucionem *essendi*. Potuisset etiam Deus falsa reddere ea principia Cartessii: *Quidquid clare percipio, verum est: Deceptorem esse, est imperfæcio*; proindeque nulla Cartesianis maneret veritatis regula. Nec Cartesius Sceptico neganti probare posset, Deum re ipsa voluisse, principia illa esse vera, nam cum id doceat unice pendere à Dei liberrima voluntate, lumine natura-li demonstrati nullatenus potest, Deum re ipsa ita voluisse. Denique essentia rei est realiter indistincta, atque inseparabilis ab ipsa. Alio-quin distincta attribui deberet na-tura tum rei, tum essentiæ ipsius: & progrederemur in infinitum. Er-go essentia rei est omnino immu-tabilis, alias si, mutata essentia, res permaneret, invicem separarentur, & realiter essent distinctæ: quod falso diximus. Igitur fateamur oportet, essentias rerum creatarum esse omnino immutabiles.

Probatur secunda pars. Possibi-lis est vera creatio, & vera anihila-tio. Atqui si rerum creatarum es-sentia ab æterno præ se ferunt ali-quod esse *reale*, & *actuale*, nulla res fieri posset prorsus ex nihilo, ne-que ad nihilum penitus redigissem-per enim illud esse *reale*, & *actuale* præ existisset creationi, & per-manneret post anihilationem. Ergo hæc duæ non essent possibles. Tum

Deus

Deus ab æterno cognovit rerum creatarum existentiam, atque de hac ipsa veræ propositiones ab æterno enuntiari queunt, velut, eamdem non pertinere ad naturam rei creatæ, & ab essentia ipsius distingui; & tamen existentia non habuit ab æterno aliquod esse reale, & actuale. Idem ergo de essentia dicendum.

At vero illud esse diminutum à Poncio excogitatum prorsus est impossibile. Etenim cum idem non possit simul esse, & non esse, plenum fit ea, quæ invicem pugnant contradictione, nullum posse admittere medium. Ens reale, & ens rationis pugnant invicem contradictione: ut in prima quæstione primæ disputationis declaravimus. Essentiæ igitur rerum creatarum non habent ab æterno aliquod esse diminutum, quasi medium inter esse rationis, & esse simpliciter reale; sed propria, & peculiaria cujusque rei creatæ prædicata essentialia dici debent ens reale, quia etsi tunc non existant, possunt tamen existere.

Quod autem ait Poncii, se nomine entis realis simpliciter intelligere ipsum ens, realiter existens; hoc vel æquivocum est, vell item de nomine, & voce facit. Nam ens reale dicitur illud omne, quod vel habet, vel habere potest existentiam. Ergo licet essentiæ rerum ab æterno non habeant re ipsa existentiam, quia tamen possunt eamdem habere, sunt, & appellari de-

bent ens reale, quatenus ens reale rationem habet nominis, & à temporis differentia abstrahit. In sequenti etiam questione declarabimus, rerum possibilitatem non esse omnino independentem à divino intellectu.

Objicies 1. Contra primam partem S. Augustinus, serm. 242. alias 247. de Tempore scribit: *Totum ad voluntatem suam redgit Deus, qui potest & quod impossibile est.* C. 97. Enchiridii ait: *Non ob aliud Deus veraciter vocatur Omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creature, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Et in lib. 21. de Civitate Dei, c. 8. inquit: *Natura rei cuiusque, est Voluntas Conditoris.* Et Petrus Damiani, opuscul. 36. c. 15. *Sicut, inquit, rite possumus dicere: potuit Deus, ut Roma, antequam facta fuisset, facta non fuerit; ita possumus & congrue dicere: potest Deus, ut Roma etiam postquam facta est, facta non fuerit.* Tertullianus quoque in libro contra Præream, cap. 10. obijcienti hæretico, *difficile non fuisse Deo, ipsum se & Patrem, & Filium facere: concedit; id quidem potuisse, sed negat id fecisse. Ergo (ait) quia, si voluit semet ipsum sibi Filium facere, potuit; & quia si potuit, fecit; tunc probabis illum & potuisse, & voluisse, si probaberis illum fecisse. Nihil igitur detrahendum est Divinae Omnipotentia, ideoque Deus*

mutare potuit essentias rerum.
 Respondetur, verissimum esse commune illud effatum, *Deum non posse impossibiliā, & hoc solo privari Deum, infestū facere, quae facta sunt.* Quod & tradit S. Augustinus lib. 26. contra Faustum, cap. 5. Itaque impossibile tale non est ex ipso Deo, sed impossibilia ex se se talia sunt, quia ex contradictione, quam includunt, ex se se repugnant; atque Deo illud etiam est possibile, quod naturaliter impossibile videtur. Quo sensu priorem Sanct. Augustini sententiam accipimus. In Enchiridio contendit S. Doctor, voluntatem hominis non posse vincere voluntatem Dei: quod verissimum est. At in libro cit. de Civ. paradoxum statueret Augustinus juxta Cartesianorum sententiam, nam ut isti naturæ nomine ipsam rerum essentiam intelligunt, sic Augustinus diceret, Deum esse ipsam essentiam creaturarum. Igitur ibi intendit probare, Deum pro suo libito posse operari mirabilia, & rerum naturis uti, prout sibi placet, & creaturam resistere non posse Creatori suo: quod ultro fatemur; sed longe dispatat à Cartesiano commento.

Petrus Damiani abstrahit laudato in loco à differentis temporum. Ait enim: *Quantum ad aeternitatem suam, quidquid potuit Deus, hoc etiam potest, quia praesens ejus in praeteritum numquam vertitur. Quapropter si ut rite possumus dicere &c.* At in c. 5. dixerat: *Quantum ad ordinem disserendi, quidquid*

fuit, impossibile est non fuisse; & quidquid est, impossibile est non esse; & quidquid futurum est, impossibile est futurum non esse.

Tertullianus videri potest ex iis, quæ hæreticus ille profitetur, non ex mente sua ita conclusisse, sed argumento ad hominem. Neque enim ibi tempus vult insumerre, disputationem de ipsa Dei virtute texendo, sed unice cum hæretico disputat de eo, quod re ipsa factum esse constat.

Nihil demum derogat sententia nostra Divinæ Omnipotentiæ. Unde S. Augustinus c. 1. de Symbolo optime dicebat: *Multa non potest Deus, & omnipotens est; & ideo omnipotens est, quia ista non potest.*

Objicies 2. contra secundam. Quælibet res creata cognoscitur à Deo in æternitate secundum prædicta eamdem essentialiter constituentia. Ergo re ipsa relationem habet ad Deum cognoscentem. Igitur in æternitate habet aliquod *essere realē, & actualē.*

Respondetur. Deum omnia cognoscere in se ipso, seu in sua Divina Essentia, quæ est objectum motivum, & primarium divini intellectus, atque summa sua intelligibilitate omnia representat. Creaturæ vero sunt objectum tantummodo terminativum. Cognoscit autem Deus ab æterno creature secundum prædicta essentialia, quæ possunt illis convenire, non vero quasi re ipsa iisdem convenient in æternitate. Quia igitur cognitio abstrahit ab

exist-

existentia, & *actualitate*, nam & possibile est intelligibile, iccirco non oportet essentiis rerum creatarum attribuere aliquod *esse reale actuale*, ut cognoscantur à Deo. Divina enim cognitio refertur ad objectum primarium, & motivum, nempe ad Divinam Essentiam, in qua creaturæ virtualiter continentur. Quod si argumentum haberet quidpiam ponderis, evinceret etiam, tribuendum esse existentiæ rerum creatarum *reale* quoddam *esse actuale* in æternitate, nam & ipsa à Deo in æternitate cognoscitur: ut liquido patet ratiocinantibus.

Instabis. Sola creaturæ possibilitas non sufficit, ut creatura dicatur præsens esse Deo, & relationem habere ad ipsius Immensitatem. Ergo sola creaturæ possibilitas non sufficit, ut creatura dicatur cognosci à Deo &c.

Respondetur. Nego paritatem. Etenim Immensitas Dei ipsam rerum existentiam supponit, nam Deus præsens non est re ipsa, nisi creaturis sibi re ipsa in loco præsentibus. At objectum Divinæ Omnipotentiæ est quodcumque intelligibile; tale autem est non solum id, quod re ipsa extat, verum etiam id, quod est possibile.

Objicies 3. Propositiones necessariæ ex. gr. *homo est animal rationale*, veritatem habent in ipsa æternitate, etsi nulla res creata tunc extiterit. Ergo rerum creatarum essentiæ habent aliquod *esse reale actuale* ab æterno; nam veritas actua-

lis in aliquo vero actuali fundatur. Hinc Deus in ipsa æternitate nedum cognoscit hominem posse esse animal rationale, sed intelligit ipsum esse animal rationale, Igitur &c.

Respondetur ex dictis dissertatione proœmiali in Philosophiam universam, q. 3. in sol. ad ob. 4. propositiones necesarias veritatem semper obtinere ob necessariam connexionem prædicati cum subjecto, seu mutuam eorumdem exigentiam, quam ibidem declaravimus. Neque tamen veritas soli rerum *actualitatibus* innititur, nam & de possibilibus plurimæ propositiones vera efformantur. Quin etiam de existentia ipsa rerum creatarum, ut diximus, in æternitate propositiones necessariæ; & veræ enuntiantur. Quemadmodum ergo ab æterno nihil reale actuale adscribitur existentiæ, ita nec essentiæ. Deus autem in æternitate cognoscit hominem esse animal rationale, non pro æterno, sed pro tempore, & quoad necessariam connexionem prædicati cum subjecto.

Objicies 4. Creatarum rerum essentiæ ab æterno sunt possibles. Ergo sunt ab æterno ens *reale actuale*. Alioquin affirmare oporteret, eas re ipsa esse non ens. At si hoc dicas, jam erunt impossibilis. Id porro sic probatur argumento à permutata proportione deducto. *Sicuti se habet ens ad non ens, ita possibile ad impossibile.* Ergo permutatum *sicuti se habet ens ad possibile, ita non ens ad impossibile.* Sed omne ens est

possibile. Ergo omne non ens est impossibile.

Respondetur, fallaciam argumenti patere ex dictis in 1. part. Logicæ, sect. 3. c. 7. Nisi enim regulæ ibidem propositæ serventur, fallacia obtruditur consequentis. Latius enim patet impossibile, quam non ens re ipsa, nam impossibile non solam dicit negationem existentiæ actualis, verum & repugnantiam ad existendum. Ergo ut argumentum illud à permutata proportione depromptum vim suam obtineat, ita construi debet. *Sicuti se habet ens ad non ens, ita possibile ad impossibile.* Ergo permutatim sicuti se habet ens ad possibile, ita impossibile ad non ens. Sed omne ens est possibile. Ergo omne impossibile est non ens. Hinc porro nihil afficit nostræ assertioni.

QUÆSTIO SECUNDA.

Quid sit, & unde oriatur possibilitas rerum creatarum?

Possibilitas rerum creatarum bifariam consideratur. Alia enim dicitur *Logica*, altera *Objectiva*. Prior illa præ se fert rem ipsam ex suis intrinsecis esse posse: atque id ipsum cognosci à divino intellectu conferente invicem ipsa extrema. De hac inquit Subtilis Doctor in 1. d. 2. q. 7. eam importare modum compositionis factæ ab intellectu: & notare non repugnantiam extermorum: de quibus dicit Philosophus,

lib. 5. Met. Illud est possibile, cuius contrarium non est de necessitate verum. Possibilitas objectiva præ se fert rem contineri in virtute agentis, à quo effici potest. Unde ista dicitur etiam *proxima*, ut illa appellatur *remota*; sed objectiva possibilitas logicam necessario præsupponit, nam id, quod ex suis intrinsecis repugnat, non potest esse terminus virtutis effectricis. Quærimus itaque, unde nam utraque possibilitas oriatur.

Dicimus, possibilitatem *objectivam* rerum creatarum oriiri à Divina Omnipotentia, *logicam* vero possibilitatem intrinsece quidem ab ipsis creaturarum essentialibus prædicatis, extrinsece autem à divino intellectu.

Probatur prima pars. Possibilitas *objectiva* nihil aliud præ se fert, nisi rem à sua caussa produci, seu effici posse. Ergo prima rerum possibilitas *objectiva* oritur ab ipsa prima omnium caussa, quæ est sola Dei omnipotentia. Quod ipsum uno ore omnes fatentur.

Probatur secunda pars. Si *logica* possibilitas à sola divina virtute oriretur, & nullatenus à creaturis; ipsa quoque impossibilitas à solo Deo originem haberet. Atqui hoc incongruum est divinæ perfectioni. Nam eatenus quidpiam esset impossibile, quia Deus non posset illud efficere: cum è converso res continget, virtus enim infinita Dei, quantum est ex se se, omnia prorsus posset producere. Ergo *logica* possi-

sibilitas intrinsecè primum oritur ab ipsis essentialibus rerum prædicatis. Major est evidens. Nam in caussis, quæ unice sunt, ubi affirmatio est caussa affirmationis, etiam negatio caussa est negationis. Ergo si virtus Dei esset unica caussa possibilitatis *logicæ* creaturarum, jam sola negatio virtutis Dei esset caussa, cur quidpiam sit impossibile. Atque adeo vel deficiens esset ipsa virtus Dei, vel nihil penè esset impossibile. Dicamus ergo cum Scoto, *logicam* possibilitatem ex ipsis creaturis primo oriri, ut in necessariis præse ferat, extrema invicem se se connectere, seu unum exposcere aliud: & in contingentibus significet, nihil contradictionis haberi, si res eficiatur. Attamen eamdem semper rei essentia intelligitur, tum in statu possibilitatis, cum in statu exigentiae.

Probatur tertia pars. Ipsa possiblitas *logica* non potest intelligi completa, & perfecta, nisi extrema invicem conferantur, ut eorum comparatione quid enuntiari possit, appareat. Sed prima ista comparatio ad solum pertinet divinum intellectum, qui est primum intellectivum. Ergo *logica* rerum possiblitas extrinsecè saltem oritur à divino intellectu: ut quando iste cognoscit extrema directe, & veluti unum quid, possibile aliquando attingat; quando autem extrema indirecte, nec veluti unum quid, percipit, eaque duo invicem repugnantia

Tom. I.

esse intuctur, tunc illud dicendum sit impossibile.

Objicies 1. contra secundam partem. Res non possunt cognosci à Deo, velut possibles, nisi prius ipse Deus cognoscat, se posse illas producere. Ergo illa rerum non repugnantia, seu prima earum possiblitas oritur à Divina Omnipotencia. Antecedens appetet verum. Quippe possiblitas rei ad existendum præ se fert dependentiam ipsius rei à caussa producente, alioquin creatura non esset ab alio, sed à se ipsa. Ideo &c.

Respondetur. Omnia hæc vera esse de possibiliitate *objectiva*, non de possibiliitate *logica*, quæ est omnium prima: ut jam diximus. Porro & hæc quoque possiblitas nihil reale actuale præ se fert rei: ut in præc. quæst. docuimus. Tantummodo præ se fert ipsum esse objectivum, & intentionale rei in mente divina: quo fit, ut nihil sit in creatura, quod ab ipso Deo non pendeat, nam ab eo ipsa etiam *logica* possiblitas aliquo modo ducitur.

Instabis 1. Atqui etiam possiblitas *logica*, & intrinsecè non nisi à Divina Omnipotencia ducitur. Ergo nulla responsio. Min. subsumpta probatur. Si illa possiblitas non oriretur à virtute Dei, sed præsupponeretur ad istam, jam virtus Dei penderet à creaturis. Ideo enim Deus posset creaturam efficere, quia ipsa ex se se non repugnat. Hoc absurdum est. Igitur &c.

Kk

Res-

Respondeatur. Nego minorem subsumptam. Ad cuius probationem, nego antecedens, & adnexam ejus probationem. Quamquam enim possibilis *logica* sit intrinsece ab ipsis essentialibus rerum prædictis derivata, atque præintelligi debeat Divinæ Omnipotentiæ, non inde consequens est, ipsam *logican* possibilitatem esse caussam Divinæ Omnipotentiæ. Ergo hinc fit, comitari simul ista debere, ita ut dicatur: *Et hec res non repugnat: Et Deus eam potest producere.* Quod si creaturæ omnes essent ex se se impossibles, nihilominus Divina Omnipotentia adhuc maneret, quoniam in se se est quidam absolutum, atque omnino independens à creaturis.

Instabis 2. Cuilibet potentia passivæ correspondet potentia activa: ut fert commune axioma. Si ergo *logica* creaturarum possibilis præsupponeretur *objectiva* possibilitati earum, quanam illi passivæ *logica* potentia activa virtus corresponderet?

Respondeatur, axioma illud veritatem obtinere in possibiliitate *objectiva*, non vero in *logica*. Non repugnat autem huic *logica* possibilitati nullam correspondere activam potentiam, nam & Deus intelligitur *logice* possibilis, quamquam aliter ac creatura, quæ est quidem *logice* possibilis ex se, sed non à se: seu formaliter ex se, efficienter à divino intellectu.

Objicies 2. contra tertiam par-

tem. Objectum scientiæ speculativæ non fit per illam, sed illi potius præsupponitur: quia omne cognoscibile præcedit actualem sui cognitionem. Atqui scientia, qua Deus cognoscit ab æterno creature possibiles, est speculativa. Ergo divinus intellectus per suam scientiam non tribuit creaturis illud esse possibile, secundum quod ipsas attingit. Igitur *logica* rerum possibilis à divino intellectu nullatenus oritur.

Respondeatur, majorem esse veram, si loquamur de objecto primario, & motivo: non tamen locum semper habere in objecto secundario, & terminativo, quando totum esse ipsius intelligitur derivari ab ipsa scientia, quia est tantummodo objectivum, & intentionale: cuiusmodi sunt possibilia. Porro scientia à solo objecto motivo pendet, quod respectu divini intellectus est sola Essentia Dei.

Instabis 1. Scotus in 1.d.36. docet, scientiam Dei, qua cognoscit possibilia, non esse practicam. Ergo illa sciencia nec faci sibi objectum terminativum.

Respondeatur. Transeat antecedens, nam Doctor practici nomen accipit pro eo, quod habet vim dirigendi ad bonum moris: ut diximus in Præfatione Logicæ; & distinguo consequens: non facit *realiter ad extra*, concedo: *intentionaliter*, nego consequentiam. Cum divinis intellectus sit theoreticus, non est caussa realis productiva rerum *ad extra*, quemadmodum di-

vina voluntas ; eas nihilominus *objective*, & *intentionaliter* potest repræsentare, & repræsentat.

Instabis 2. Etsi divinus intellectus cognoscat impossibilia, non tamen illis tribuit possibilitem. Ergo etiamsi divinus intellectus cognoscat possibilia, non dat tamen illi possibilitem.

Respondetur, discriminis plurimum intercedere. Ad possibilitem *logicam* duo sunt necessaria: rem nempe ex se se non repugnare, atque à Deo percipi velut quid unum, & ad instar unius naturæ. Utrumque habetur, dum res possibilis cognoscitur; neutrum continuit in cognitione impossibilis.

Objicies 3. Creaturæ ab æterno vel habent ex se ipsis esse intelligibile, & possibile vel non? Si primum, non ergo habent illud à divino intellectu. Alterum vero affirmari non potest; alioquin impossibilia, & non intelligibilia cognoscerentur, & possibilia fierent: quod omnino repugnat.

Respondetur, neutrum esse verum. Quippe creaturæ ab æterno nec sunt ex se ipsis positive possibles, & intelligibiles, nec sunt ex se ipsis positive impossibiles, & non intelligibiles. Ex se se ab utroque abstrahunt. Duo autem illa non sunt invicem vere contradictoria, ob interpositum illud syncategorema, *ex se ipsis*: ut diximus in 1. Logices parte sect. 2.c. 3. Attamen illarum prædicata essentialia ita invicem se habent, ut Deus intellige-

re queat, ea ex se se non repugnare; atque ita completa demum *logicam* possibilitas habeatur.

Instabis. Ergo ipsa possibilitas *logica* creaturarum in totum debet à Deo repeti. Hæc consequentia probatur. Possibilitas *objectiva* in totum à Deo oritur. Idem ergo dicendum de possibilitate logica. Probatur consequentia. Divinæ perfectioni nihil derogat primum. Nec ergo detrahit illi secundum. Quemadmodum enim possibilitas *objectiva* à Deo potest in totum duci, quin *objectiva* impossibilitas originem habeat à Deo; ita *logica* possibilitas in totum poterit duci à Deo, quin eidem prima impossibilitatis *logica* caussa debeat attribui.

Respondetur. Nego consequentiam. Ad illius probationem, nego semper consequentiam, & paritatem. Cum possibilitas *objectiva* non sit prima, sed aliam præsupponat, nempe *logicam*; iccirco impossibilitatis ratio in defectum istius *logica* possibilitatis præsuppositæ refundi debet, quin ab ipsa ducatur possibilitatis *objectiva* caussa. At *logica* possibilitas, quæ est omnium prima, nihil præsupponit. Quamobrem ratio impossibilitatis *logica* in solam refundi debet caussam *logica* possibilitatis. Proinde si solus Deus est istius caussa, ab ipso Deo ducenda erit ratio impossibilitatis rerum: quod imperfectionem Deo attribueret.

QUÆSTIO TERTIA.

Quomodo Existentia rerum creatarum distinguitur ab ipsarum Essentia?

Existentiæ nomine *ea* intelligitur *ratio*, *qua* quidpiam *formaliter* constituitur *extra suas causas*, & *in actu*. Unde ipsa Existentiæ intelligitur immediate afficere essentiam rei, quam *esse actuali* constituit. Per eamdem existentiam res durare dicitur, quando intelligitur coexistere aliis rebus, sive simul existere cum illis; ut proinde Duratio sit ipsa existentia non destrutta, nec intrinsece nisi existentiam ipsam præ se ferat, extrinsece vero relationem connotet ad alias res.

De existentiæ impræsentiarum agimus, quam putant Thomistæ esse accidens quoddam reale ab ipsa rei essentia *realiter* distinctum. Scotistæ docent, existentiam distinguere ab essentia rei, cui convenit, distinctione formalis ab operatione nostri intellectus non dependente. Aliis placet, solam distinctionem rationis admittere inter existentiam, & essentiam.

Dicimus, existentiam rerum creatarum non distinguere *realiter* ab ipsarum essentia, sed *formaliter*. Ita Scotus in 1. d. 36. & alibi saepè.

Probatur prima pars. Entium realium multiplicitas non est pro arbitrio constituenda, nec sine suf-

ficiente ratione admittenda est realis quorumdam distinctio. Atqui nil omnino relucet, quo essentia & existentia, velut duo *realiter* distincta, haberi debeant: quod objectionum solutione declarabitur. Ergo existentia rerum creatarum non distinguitur *realiter* ab ipsarum essentia: seu non est accidens quoddam ab essentia rei reapse discretum. Deinde existentia est id, quo res *formaliter* ponitur extra nihil. Porro id ipsum non est aliud, quam actualis essentia ipsius rei, per quam nihil opponitur. Ergo existentia non est *realiter* distincta ab essentia rei, cui convenit. Minor ex se se quidem apparet vera, at ita etiam probatur. Ideo Thomistæ distinguunt *realiter* existentiam rei ab illius essentia, quia essentia non semper existit. Atqui etiam ipsam existentia non semper existit. Ergo ipsi quoque attribui deberet altera existentia *realiter* distincta; atque ita progrediendum esset in infinitum. Hoc porro nec ipsi Thomistæ admittunt. Igitur nec illud prius admittendum est.

Respondent Thomistæ, essentiam per suum *esse actuale* constitui quidem *extra nihil*, incomplete, & in ratione essentiæ: non autem complete, & in ratione existentiæ. Ajunt etiam, existentiam non indigere alia existentia, quamvis non semper existat, quia ipsa est ratio, qua essentia existit, adeoque non indiget alia ratione, qua & ipsa fiat existens: quo modo albedo per se ipsam est alba.

Con-

Contra. Cum primis quærimus, quid sit essentiam constitui extra nihil incomplete, & in ratione essentiaæ? nisi ipsa essentia jam vere existat, & complete. Quippe essentia jam esset *in actu*, & nihil ipsius superesset producendum. Porro ipsamet existentia nihil amplius præstare intelligitur. Ergo distinctio illa pro libito confusa est. Inanis quoque est altera responsionis pars. Ubi enim eadem omnino valet caussalitatis ratio, necesse est quoque idem haberi judicium. Porro catenus Thomistæ contendunt, essentiam indigere existentia realiter distincta, quia essentia non semper existit. At ipsa quoque existentia non semper est *in actu*. Par ergo ratio utrobique valet; atque uti essentia indifferens est ad existendum, vel non existendum, sic quoque existentia est indifferens. Ergo si ratio ista convincit existentiam *realiter* ab essentia distinctam, probaret quoque existentiam ab ipsa existentia discretam. Non sic albedo indifferens est ad esse album, & non esse album, sed semper alba est: quod idem valet in similibus exemplis: At subjectum albedinis talem habet indifferentiam.

Probatur secunda pars ratione illa, qua in parte secunda Logicæ disp. 2. generatim ostendimus Distinctionem formalem inter prædicta metaphysica. Etenim de essentia, & existentia dicuntur reapse prædicata contradictoria. Nam essentia pertinet ad rei naturam, exi-

stentia non item. Ne igitur dicamus idem simul esse, & non esse, fateamur oportet existentiam *formaliter* ab essentia distingui: non vero per operationem nostri intellectus.

Objicies 1. contra primam partem. Si essentia creata non distinguetur *realiter* ab existentia, quælibet creatura esset *Ens per essentiam*. Atqui solus Deus est hujusmodi. Ergo essentia, & existentia in creatis distinguuntur *realiter*.

Respondetur, hoc argumentum laborare in æquivoco illo nomine, *Ens per essentiam*. Itaque distinguo majorem: creatura esset *ens per essentiam*, quatenus existentia pertineret ad essentiam creaturæ, nego: secus, concedo majorem, & sic distincta minori, nego consequentiam. Solus Deus est *Ens per essentiam*, quatenus in solo Deo existentia est prædicatum essentiale. Dicitur etiam *ens per essentiam*, quia est à se. Hac creaturæ non conveniunt. Sed eidem non repugnat existere per prædicatum metaphysicum existentiæ *realiter* indistinctum.

Instabis 1. Si creatura operaretur per operationem à se *realiter* indistinctam, non esset amplius creatura, sed Deus. Idem ergo dicendum est, si creatura existeret per existentiam à se ipsa *realiter* indistinctam. Quemadmodum enim duo hæc simul componi nequeunt, ab alio nempe creari, & operari per operationem *realiter* indistinctam;

Etiam ; ita nec simul ista conciliari possunt , ab alio videlicet creari , & existere per existentiam realiter indistinctam.

Respon. Nego consequentiam , & paritatem . Si creatura operaretur per operationem à se ipsa realiter indistinctam , esset Deus , quia esset substantia supernaturalis , uti est Deus . Hoc sic ostenditur . Illa creatura esset substantia , (quippe de hac loquimur) Atqui non esset substantia naturalis . Ergo esset substantia supernaturalis . Minor probatur . Illa creatura non participaret rationem Naturæ . Ergo non esset substantia naturalis . Probatur antecedens . Natura est principium motus , & quietis . Sed illa creatura non haberet motum , & quietem ad suas operationes ; quippe non posset de novo ad illas moveri , sed eas semper haberet . Illa igitur creatura non participaret rationem Naturæ . Porro hoc ipsum est , quod creaturæ non potest convenire , quæ in omni ordine operativo est naturalis . E converso etiamsi creatura existat per existentiam realiter indistinctam , nihilominus semper dependens est , & ab alio producta : nec est substantia supernaturalis , quia semper participat rationem Naturæ .

Instabis 2 . Si creatura intelligeret per cognitionem realiter indistinctam , esset substantia supernaturalis , vel ex hoc ipso quia non haberet motum , & quietem ad suam cognitionem . Ergo ex constituta

assertione jam ipsa creatura esset substantia supernaturalis ; quippe non haberet principium motus , & quietis in ordine ad existentiam , quam nos dicimus esse realiter indistinctam .

Respondetur . Nego consequentiam , & paritatem , & quod latet in argumento . Argumentum enim supponit , Naturam dici de substantia , etiam respectu existentiae . At hoc falsum est . Natura quippe dicitur de substantia tantummodo respectu operationum , non respectu existentiae . Est enim Natura principium motus , & quietis afficiens substantiam , quam supponit existere . Quamobrem parentia motus , & quietis in ordine ad existentiam , non adimit rationem Naturæ . At parentia motus , & quietis in ordine ad cognitionem , seu operationem , tollit ipsam Naturæ notionem .

Objicies 2 . Peculiare est Divinæ Essentiae gaudere attributis , & personalitatibus *realiter* indistinctis . Ergo peculiare est Divinæ Essentiae gaudere existentia *realiter* indistincta . Igitur existentia creaturæ *realiter* distinguitur ab illius essentia .

Confirmatur . Identitas realis attributorum , & personalitatum ita propria est Divinæ Essentiae , ut id ipsum nullo modo possit convenire creaturæ . Idem ergo dicendum de identitate reali existentiae .

Respondetur , Divinæ Essentiae propriam esse identitatem prædictorum omnium cum ipsa : & quidem perfectissimam , tum propter

pter infinitam illius perfectiōnem, tum propter summam ejusdem immutabilitatem. Attributorum autem identitas, puta justitiæ, sapientiæ, ac similiūm, ita convenit Deo, ut creaturis nullatenus possit convenire, quia creatura ex se se est omnino mutabilis. Hoc ipsum experientia apparet. Actualis etiam separatio personalitatis creatæ à natura cognoscitur ex Dominicæ Incarnationis Mysterio, ex quo compertum est, totam naturam humānam à Divino Verbo assumptam esse sine propria creata personalitate. Ceterum hæc ipsa personalitas (ut in quæst. 5.) non aliud est, nisi negatio unionis cum Divina Persona. Porro Creatura nullam habet repugnantiam ad unionem istam. Non ergo hujuscemodi negatio potest esse inseparabilis ab ipsa natura. Oppositum in omnibus contingit circa existentiam. Nullum apparet signum separabilitatis existentiæ ab essentia. Nulla ratio suppetit, qua convincamus, repugnare creaturæ existentiam realiter, ut cumque identificatam. Quemadmodum ergo plurima sunt alia, quæ identitate perfectissima unum sunt cum Divina Essentia, & identitatem imperfectam habent in creaturis: ut prædicata metaphysica; sic dicamus itidem de existentia.

Objicies 3. Nihil est in potentia ad se ipsum. Essentia est in potentia ad existentiam. Ergo essen-

tia, & existentia realiter distinguuntur.

Respondetur. Distinguo majorem: si loquamur de potentia *subjectiva*, concedo; si loquamur de potentia *objectiva*, nego majorem. Atque eamdem adhibere possumus distinctionem minori propositioni; etsi modus ille loquendi non sit satis aptus. Potentia *subjectiva* tunc habetur, quando unum jam existens potest in se se aliud recipere: quo modo materia suscipit formas. *Objectiva* potentia notat, rem ex statu possibilitatis reapse produci posse, & constitui in statu existentiæ actualis. Prior illa potentia realem connotat extremitatum distinctionem. Posterior eamdem rem denominat, & diversum solummodo indicat statum illius.

Instabis 1. Atqui essentia est in potentia *subjectiva* ad existentiam. Ergo nulla responsio. Subsumpta minor probatur. Existentia debet recipi in essentia, velut in subiecto. Ergo ipsa etiam essentia est in potentia *subjectiva* ad existentiam. Probatur antecedens. Existentia, si non recipitur in essentia, in nullo recipitur. Atqui existentia nihil etiam recipit, quia est *ultimus actus rei*. Ergo nec in alio recipetur, nec recipit aliud. Porro duo hæc præ se ferunt rationem *actus puri*: cuiusmodi est solus Deus. Ergo &c.

Respondeatur. Nego minorem subsumptam. Ad probationem,

ne-

nego antecedens. Ad hujus probationem , concedo majorem , & nego minorem. Quippe existentia est quidem *ultimus actus* respectu prædicatorum essentialium; sed in ordine ad accidentia , & operationes debet potius appellari *actus primus*, cum sit istis intimior, atque istis præsupponatur. Quamquam ratio *actus puri* ea est, quæ notat omnimodam rei perfectiōnem, ut res sit à se , & infinita. Quare existentia , finita cum sit, & ab alio , longissime distat ab ea perfectione : etsi nihil omnino recipere. Nihilominus , si vis , existentia haberi potest , velut ratio deserviens quoquomodo accidentibus suscipiendis , & operationibus excēndis : ut rationalitas est prædicatum , quo ratiocinationes efficiuntur.

Instabis 2. Licet res non possit recipere accidentia , aut operari, nisi sit singularis, ipsa tamen Singularitas nullo modo dicitur receptiva accidentium , & operationum. Ergo tametsi res nequeat accidentia suspicere , & operari, nisi sit existens, ipsa tamen existentia nullo modo potest appellari receptiva accidentium , & operationum.

Respondetur, aptissimam patere nobis discriminationis rationem. Existentia quippe constituit ipsam rem in *actu*; atque adeo facit , ut res queat proxime exercere potentiam suam activam respectu operationum , & receptivam, res-

pectu accidentium. Quo fit , ut existentia appellari possit quoquo modo receptiva accidentium , & operationum. At Singularitas unice rem ab omni alia distinguit , atque ideo non pertinet ad virtutem proximam ipsius rei , tamquam medium , quo illa possit proxime exerceri ; adeoque dici non potest receptiva accidentium , & operationum.

Objicies 4. contra secundam. Si essentia distingueretur *formaliter* ab existentia , existentia ipsa existeret per aliam existentiam à se *formaliter* distinctam : atque ita progredi possemus in infinitum. Hoc absurdum est. Igitur &c. Majoris sequela probatur à simili: nam in probatione primæ partis diximus , id admitti oportere , si existentia dicatur *realiter* distincta ab essentia.

Respondetur. Nego sequelam majoris , & paritatem. Etenim ea, quæ *realiter* distinguuntur , per se se producuntur multipli actione, distinctis itidem gaudent possibilitatibus *objectivis*; atque adeo distinctas debent obtinere existentias. Proindeque rite concludit argumentum, si existentia distingueretur *realiter* ab essentia. At vim non habet ex sola distinctione *formali*. Illa enim , quæ dicuntur *formaliter* distingui , per se se minime producuntur , sed unica rei totius productione , nec distinctas habent *objectivas* possibilitates, sed unicam; ideoque unica debent existentia existere.

Ob-

Objicies 5. Scotus in 3. d. 6. q.
1. ait: *Respondeo, quod in ista questione certum est de esse essentia, quod tantum differt ab essentia in modo concipiendi.* Ergo inter essentiam, & existentiam Scotus admittit solam distinctionem rationis.

Respondetur, Subtilem Doctorem citato in loco non comparare existentiam cum essentia, sed concretum ipsum esse conferre cum essentia in abstracto considerata. Quærit enim ibi: *Utrum in Christo sit aliud esse Verbi ab esse creato?* Et primo notat, esse multifariam sumi posse, & quatenus significat concretum essentiæ, & quatenus indicat subsistere, & quatenus actualem denotat existentiam. Hoc sensu quætionem tunc à se proponi scribit, & de ea ait esse dubitationem, quippe aliqui Theologi affirmant, unicam esse in Christo existentiam, ipse vero oppositum tuctur. Ergo dum prius dixerat: *Certum est de esse essentia &c.* non utique comparat essentiam cum existentia, nam hoc sensu dubitationem esse scribit; proindeque *essentiam, & esse sic inteligit*, quatenus sunt concretum, & abstractum. Hæc autem duo non distinguuntur *formaliter*, sed sola ratione: ut docuimus in 2. Logices parte disp. 2.

P. Fortunatus à Brixia, parte 1. Metaphysicæ, pron. 10. num. 151. scribit: *Scotus in 3. d. 6. q. 1. expresse docet, certum esse,*
Tom. I.

rei essentiam tantum in modo concipiendi ab existentia differre. At non ita ait Subtilis Doctor, cuius verba germana exhibuimus; sed nec potuit essentiam verbis illis cum existentia conferre: ut evidens est ex dictis &c.

Colligite, statum existentiæ ex accidenti convenire existentiæ: non ita tamen esse, si ipsum prædicatum existentiæ consideremus. Libere ergo tam essentia, quam existentia à Deo producuntur; non naturaliter, aut necessario, ut Divinæ Personæ procedunt. Porro non sola existentia rerum, sed etiam essentia à Deo fit, quippe existentiæ rerum dicuntur solum in generabiles, & incorruptibiles, quoad connexionem prædicatorum: ut sæpe diximus

QUÆSTIO QUARTA.

Quoniam sit Principium Individuationis?

Individuatio, seu Singularitas illud est, quo res quelibet sit numero determinata. Nunc ergo disputamus, quid ipsa præ se ferat, sive à quoniam determinatio ista derivetur. Multiplices vero hic sententiæ Philosophorum occurserunt. Nam plerique naturam ipsam cuiuslibet rei habent velut individuationis principium, utili immediate conveniat negatio communicationis alteri cum sui multiplicatione. Alii materiam primam in

id assumunt; Formam alii substantialem, alii eamdem formam quantitate effectam. Nonnullis quantitas idonea apparet, quibusdam existentia, Collectionem accidentium habent multi pro singularitatis principio. Scotistæ metaphysicum prædicatum à natura ipsa *formaliter* distinctum docent esse Singularitatem: quod prædicatum tribuit naturæ ultimam numeralem differentiam, & *Hæc etas* appellatur.

Dicimus, principium individuationis in creaturis aliud non esse, nisi prædicatum metaphysicum *formaliter* distinctum ab ipsa rei natura, seu essentia, tribuens naturæ ultimam numeralem differentiam. Ita docet Scotus in 2.d.3. q. 1. & alibi sæpe.

Hinc porro sequitur, principium individuationis non esse materiam primam, non formam substantialem, ne quidem ut quantitate effectam, non quantitatem ipsam, non existentiam, non accidentium collectionem, nec denique solam rei naturam.

Probatur. Ultima rerum differentia ab eo duci debet principio, cuius ope solam rerum discretio, non earum convenientia, intelligatur: ne videlicet ad ultimam rerum differentiam constituendam, progrediamur in infinitum. Atque singularitas est ultima rerum differentia. Ergo ab eo ducenda est principio, quod res tantummodo invicem differeat, & nullatenus convenire. Porro nec materia

prima, nec forma substantialis, ne quidem ut quantitate affecta, nec quantitas ipsa, nec existentia, sunt hujusmodi. Quippe in his omnibus singularia potius convenire intelliguntur: ut manifestum est; unde formalis effectus singularitatis nequaquam ab illis ducitur, sed ea exhibent effectum longe diversum. Ipsa quoque collectio accidentium non singulis rebus convenit, quia nec Spiritibus nec accidentibus singulis, & Singulare velut basis est prædicamenti substantialis, accidentia vero ad illud non pertinent. Natura autem ipsa ex se se communicabilis est, & reapse ratio est convenienti, atque subinde *formaliter* distinguitur à singularitate incommunicabili, per quam individua disconveniunt: ut probavimus in 2. Logices parte d. 3. q. 1. Denique negatio communicationis alteri, quæ per singularitatem naturæ præstatur, est ab ipsa natura realiter indistincta, & inseparabilis; adeoque præsupponit in ipsa aliquod positivum. Igitur oportet fateri principium individuationis in creaturis aliud non esse, nisi prædicatum metaphysicum *formaliter* distinctum ab ipsa rei natura, seu essentia. Quod prædicatum *ultima realitas*, seu *Hæc etas* à Scotistis nominatur.

Objicies 1. Aristoteles lib. 5. Met. c. de uno, inquit: Item alia numero, alia specie unum sunt. Numero quidem, quorum materia

una ; specie vero , quorum ratio una. Ergo principium individuationis non est prædicatum metaphysicum , sed materia prima.

Respondetur, Philosophum non loqui de *materia prima* , sed de *materia totius* , quæ est ipsa singularitas. Etenim juxta Aristotelis sententiam , quemadmodum in Physicis ea compositi pars , quæ ab alia determinatur , & perficitur, appellatur *Materia prima* : & pars illa , quæ aliam perficit , ac determinat, dicitur *Forma substantialis*; Sic in Metaphysicis prædicatum ultimo determinans , nominatur *Materia totius* : & natura , sive essentia rei , quæ determinatur, dicitur *Forma totius*; unde septimo Metaphysices ipsam essentiam , seu *quiditatem rei* appellat Philosophus Formam. Ergo Singularitas dicitur Materia per analogiam cum ipsa materia physica , quatenus utraque in suo ordine est basis , & primum subjectum. Notat hæc Scotus in 2. dist. 3. q. 6. & in quæst. 2. Quolib. art. 2. Itaque in laudato loco Philosophus non loquitur de *Materia prima* , sed de *Materia totius*. Unde in Physicis sæpe docet , eamdem numero materiam physicam in pluribus distinctis numero compositis successive inveniri.

Instabis 1. Aristoteles loco citato sic addit : *Manifestum autem etiam est , quod multa quoque unis opposite dicuntur ; quedam enim eo quod non sint continua : quedam*

vero eo quod divisibilem secundum speciem materiam habeant. Atqui sola Materia prima specificè dividitur , & multiplicatur per formam. Ergo Philosophus loquitur de ipsa Materia prima.

Respondetur , etiam *Materiam totius* dividi secundum speciem , id est secundum ipsam *formam totius* , seu essentiam rerum.

Instabis 2. Differentia individualis contrahit , & determinat naturam specificam. Ergo potius appellari debet forma , quam materia. Quod enim distinguit , ac determinat , forma est.

Respondetur , secundum varios respectus ipsam differentiam individualem appellari posse formam , & materiam. Secundum se forma dicitur , quia vim habet determinantis. At respectu aliorum prædicatorum , quæ communia esse intelliguntur , nominatur materia , quia velut primum illorum subjectum est.

Objicies 2. Idem Philosophus 12. Met. unum numero Deum esse concludit , quia Deus non habet materiam. Porro Deus sola caret materia prima. Ergo sola materia prima per sui multiplicationem constituit numeralem pluralitatem ; adeoque &c.

Respondetur , Aristotelem ita concludere , quia Deus in conceputu essentiae suæ involvit materiam totius , seu differentiam individualem ; unde non habet istam , velut à sua essentia distinctam , quasi Divina Natura non sit ex suo con-

ceptu singularis. Hoc ipsum postea ostendit Philosophus ex perfectissima Dei simplicitate. Nihil ergo hinc colligitur pro materia prima.

Hinc autem adnotare lubet, Aristotelem putasse, ea omnia, quæ materialia non sunt, esse necessaria. Quod animadvertiscunt in 2. d. 3. q. 7. Ideo Aristoteles ex hoc suo principio concludit, illorum essentiam non esse pluribus communicabilem, sed de se singularem, alioquin deberent re ipsa existere infinita individua sub qualibet natura rei non materialis. At hoc principium est falsum. Nulla enim creatura est necessaria, sed omnis est contingens.

Colligit 1. ex materiæ physicae multiplicatione colligi equidem, velut ex consequenti, numericam rerum pluralitatem: non tamen, primo & per se. Hinc causa generans distinguitur à generatum formam, tum materia, quoad numeralem ipsorum distinctionem, nam utraque in ambobus multiplicatur: dicitur autem distinguiri potius per materiam, quam per formam, quia in ista assimilantur specificè. Sic etiam materia prima est subjectum primum respectu formarum physicarum, sive substantialium, sive accidentalium; non tamen respectu prædicatorum communium, quæ de rebus enuntiantur: quod soli convenit differentiæ individuali.

Colligit 2. Formam substancialiem secernere invicem individua,

distinctione essentiali, & specifica: quantitatem vero præ se ferre solam multiplicationem partium impenetrabilium. Neutrū autem istorum per se se facit numerale divisionem. Accidentium collectio signum externum est distinctionis individualis: ut in Logica diximus. Non tamen constituit distinctionem ipsam; quippe etsi singularitas non pertineat ad essentiam rei, negationem dicit realiter indistinctam, adeoque non est accidens realiter ab ea discretum, ac separabile. Id etiam, quod producitur, licet singulare fit, & existens, tamen terminus est actionis productivæ secundum totum suum esse.

Colligit 3. Unico metaphysico prædicato singularitatis denominari singularia prædicata omnia, quæ rei alicui convenient. Hinc Doctor. 7. Met. q. 13. num. 21. ait: *Unus gradus perfectionis determinat omnes præcedentes ad ultimam unitatem, sicut una differentia specifica determinat omnes perfectiones præcedentes ad unitatem speciei.*

De distinctione formalis singularitatis à natura satis diximus in 2. Logices parte, disp. 3. q. 1.

QUÆSTIO QUINTA.

Quid præ se ferat Subsistētia rerum creatarum?

PRÆSENS QUÆSTIO ex revelatis Fidei Catholicæ Mysteriis ec-

casionem accepit. Cum enim ex Divini Verbi Incarnatione compertum sit, Naturam humanam Christi in unitatem personæ assumptam à Verbo Divino fuisse, eidemque communicatam; hinc colligimus, naturam humanam & communicabilem esse Divinæ Personæ, & illis solam Christi humanitatem reipsa communicatam esse, alias vero non communicari, nec subsistere in alio, sed in se se. Quare ducta ratiocinatione, quamlibet rem aliam completam; & substantialem in se subsistere intelligimus.

Ipsam autem Subsistentiam *realiter* distinctam esse in rebus creatis assequimur, quia Divinum Verbum assumpsit humanitatem Christi, & non creatam illius subsistentiam, seu personalitatem: ut Ecclesia declaravit contra Nestorium, qui & naturam humanam, & creatam personalitatem illius assumptam à Verbo impie commentatus, non aliam inter Deum, & hominem in Christo unionem prædicabat, nisi moralem, quæ speciali amicitiae affectu continetur. Eadem distinctio realis apparet inter naturam Angelicam, & personalitatem illius, quia Divinum Verbum potuit assumere naturam Angelicam, ut sibi humanam copulavit. Unde Paulus, c. 2. ad Hebr. Dei erga homines charitatem commendat, quia voluit ille humanam potius, quam Angelicam assumere naturam; & ait: *Nusquam angelos*

apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.

Quare Subsistentia sic describi potest: *Est substantialis nature incommunicabilis existentia.* Quod si natura sit intellectualis, tunc dicitur *Persona*; Si secus, appellatur *Suppositum*. Ex quo intelligimus, duo hæc differre solam connotatione. Sed & ex allata descriptione animadvertiscitur Scotus in 1. d. 23. q. 1. Boetium, in libro *de duabus naturis, & una persona Christi*, non recte describere Personalitatem, dicendo: *Est rationabilis naturæ individua substantia.* Quippe hoc convenit naturæ ex vi singularitatis, ut in præc. quæst. diximus; nam per illam natura fit incommunicabilis alterius, velut superius inferiori.

Multifariam enim intelligimus unum alteri posse communicari; vel ut superius inferiori: quo modo natura humana individuis communicatur; vel tamquam pars parti, aut composito: ut anima communicatur corpori, & homini; vel denique ut natura supposito: quo modo humanitas Christi unita est Personalitati Divini Verbi, atque in ipso subsistit. Hinc vero dicitur communicata supposito alieno, à quo redditur alteri incommunicabilis. Hæc sola incommunicabilitas pertinet ad notionem formalem personæ, quæ debet esse natura singularis, & completa, unde aliis quoque modis eamdem esse incommunicabilem

Iem oportet, ut persona, aut suppositum dicatur.

Quamobrem in triduo mortis Christi etsi anima ipsius, quemadmodum & corpus, unionem habent cum personalitate Divini Verbi, non tamen poterant appellari persona, aut suppositum; id enim solis naturis completis, atque omnino incommunicabilibus convenire potest. Tunc igitur anima, & corpus Christi lata significatione dicebantur subsistere in Verbo, quatenus non ab alio, sed à Verbo pendebant, ipsique soli erant communicata.

Adnotare etiam libet, crassius errasse Lockium, dum lib. 2. de Intellectu humano, c. 27. §. 10. scribit, *consciam notitiam efficere personalem identitatem*: & ait: *Quatenus etenim ens quodvis intellectuale praterite cuiusvis actionis ideam eadem conscientia notitia repetere potest, quam primum habuit, aut quam presentis cuiusvis actionis nunc habet; eatenus eadem numerica est persona.* Hæc sententia sane apertissime pugnat cum Augustissimo Sacrosanctæ Trinitatis Mysterio. Tres in Divinis extant Personæ. Una tamen est notitia, qua Deus sibi conscientia omnium suarum operationum.

Potest ergo quælibet natura creata assumi à Divina Persona, ut Scotistæ sentiunt, etiam irrationalis, & inanimata quæcumque, si rationem ipsam attendamus; quamquam non id conveniens un-

quam fuerit. Unde in ea hypothesi dependentia illius naturæ ab ipsa Divina Persona terminaretur: in quo sita est generalis ratio subsistentiæ, quæ rem, quam afficit, reddit alteri non communicatam: quo modo in triduo mortis Christi, illius corpus erat unitum Divinæ Personæ. Neque tamen ulla res creata aptitudinem præ se fert ad unionem illam cum Persona Divina. Hinc natura illa, quæ sic unita non est, nullam violentiam patitur, sed vel cum Persona Divina uniri potest, vel per se se existere sine ulla unione: & hoc quidem absque ulla violentia, cum ex dicendis propria creata subsistentia nihil perfectionis præ se ferat.

Debet autem natura, ut subsistens dicatur, aut persona, esse singularis, & completa. Unde anima rationalis vere appellari non potest persona; semper enim communicabilis est corpori: quod idem valet de aliis substantiis incompletis. Natura autem Divina propter suam infinitam fœcunditatem communicabilis est tribus Divinis Personis à se ipsa realiter non distinctis, sine sui multiplicatione, aut divisione, ideoque non potest appellari Persona. Quia vero nec communicabilis est alteri à se realiter distincto, neque huic re ipsa communicatur, iccirco ex se se dicitur subsistens subsistentia absoluta.

Inquirimus ergo, quid præ se ferat Subsistens, seu personalitas

rerum creatarum; an videlicet quidpiam eis addat positivum, an in sola negatione communicationis sit constituenda. Divinas autem Personalitates quidpiam positivum præ se ferre, certissimum est, tum dicant negationem communicationis alteri, realiter à Divina natura indistinctam.

Dicimus, Subsistentiam creatam, seu Personalitatem non præ se ferre quidpiam positivum nature singulari adjunctum, sed sitam esse in sola negatione communicationis. Ita Doctor quæst. 19. Quolibet §. De tertio articulo, ubi probabiliorem partem, hanc negantem præ affirmante judicat, & ait: *Potest igitur dici, quod nostra natura est personata personalitate creata, non aliquo positivo, tanquam ratione formalis, quia ultra singularitatem non invenitur aliqua entitas positiva, qua singulare complevit incomunicabile, sed tantum singularitati superadditur negatio communicabilitatis, sive dependencia, que est in communicari.*

Probatur. Causa formalis cognosci tantummodo potest ex suo effectu formalis. Ergo ea solum causa formalis dignoscitur positiva, quæ effectum præstat positivum. Atqui designari non potest effectus positivus Subsistentiæ, sed sola negatione communicationis alteri personæ intelligimus naturam esse in se subsistentem: quo modo se habent omnes aliae negationes à suis subjectis realiter distinctæ. Er-

go sine sufficienti ratione Subsistentia constitueretur in aliquo positivo. Minor subsumpta ex argumentorum solutione apparebit; tum exinde etiam constat, quia istud positivum nec substantia esset, nec accidens: non primum, quia plures materiae, aut plures formæ in eadem essent natura, quod falsum est: non secundum, quia non est complementum substantiale naturæ, quod tamen docent ii, qui contrariam opinionem tueruntur.

Objicies 1. Sententia illa, quæ dicit personalitatem præ se ferre quidpiam positivum, consentanea magis est decretis SS. Patrum, & Conciliorum circa ineffabile Incarnationis Mysterium editis. Ergo dicendum est, Subsistentiam præ se ferre quidpiam positivum. Assumptum probatur. Ecclesia in Concilio Ephesino adversus Nestorium definitivit, *Verbum Divinum assumpsisse naturam humanam Christi, & non personam.* Porro definitio hæc profecto non est vana, & ridicula. Atqui esset hujusmodi, si personalitas solam præ se ferret negationem unionis cum Persona Divina. Etenim definitio illa redderet hunc sensum: Natura humana Christi fuit unita Verbo Divino, & tunc non habebat negationem unionis cum illo. In quo locutionis modo certè prima pars secundam per se se expresse notat, unde secunda est omnino superflua. Igitur &c. Sed & Patres docent, Personam Divinam in Christo assu-

mendo humanam illius naturam, consumpsisse creatam ipsius personalitatem; hanc itidem supplere, & sustentare naturam humanam, quam assumendo exaltavit. Quæ omnia connotant, personalitatem creatam esse quidpiam positivum.

Confirmatur. Verbum Divinum, suplendo deffectum creatæ personalitatis, præstat munus positivum. Realiter enim, & physicæ unitur humanæ naturæ. Ergo & ipsa personalitas creata ex se se munus exhibet positivum.

Respondetur. Nego antecedens. Ad probationem, nego minorem. Cum Nestorius, ut diximus, doceret, humanitatem Christi unitam esse Verbo Divino, & non unitam, unitam quidem moraliter, seu amicitiae vinculo; non unitam autem physicæ, & vinculo reali; Iccirco totidem definitionis partes constituere debuerunt Ephesini Patres, ut naturam humanam unitam esse dicarent physicæ, & non unitam tantummodo moraliter. Quemadmodum ergo Nestorius unionem ita commentabatur, ut ad humanam Christi naturam, & ad hujus creatam personalitatem pertineret; Ita & Ecclesia naturam humanam unitam esse declaravit, & personam creatam nequaquam assumptam: ut etiam ex hoc ipso rationem declararet unionis, non moralis, sed physicæ, quia illa personalitatem afficere potest, non tamen ista, juxta expositam nostram thesim negativam, ex qua Nestorius faci-

le convinceretur contradictionis, quoniam natura simul esset, & non esset, unionem nempe haberet, & simul negationem unionis.

Aliæ relatæ locutiones Patrum non jam sunt stricto sensu accipiendæ. Alioquin enim, quia consumere significat destruere rem ante existentem, sequeretur, creatam personalitatem exitisse aliquando in natura Christi, antequam à Verbo consumeretur. Proinde Humanitas Christi in primo instanti existentiæ suæ affecta fuisse Personalitate creata, & consequenter Beatissima Virgo non esset Deipara, nam tunc Mater fuisse puri hominis, in eo scilicet primo instanti producendo naturam humanam propria personalitate affectam. Ergo id unum intendunt Patres, ex vi unionis cum Verbo Divino nequaquam fuisse in humana Christi natura propriam personalitatem. Hujus deffectum supplere dicitur Divina Persona, quia ab hac denominatur natura humana Christi alteri non communicata. Ob id dicere etiam possumus, naturam humanam quoquo modo sustentari, id est dependere à Divina Persona, velut à termino unionis, per quem alteri non est communicata. Per hanc autem dependentiam à Verbo humanitas Christi mirabiliter exaltatur, quia Divina Persona infinite nobilior est qualibet creata re.

Ad Confirmationem. Nego asumptum. Etenim illa unio est

conditio prærequisita, ut Verbum præstet id quod creata personalitas præstaret: in quo nihil positivi refuet, sed sola intelligitur negatio communicationis. Unde Verbum non præstat munus positivum, splendo defectum creatæ personalitatis; sed unio prærequiritur: eo ferme modo quo approximatio debet præcedere combustionem.

Objicies 2. Si personalitas creata dicit solam negationem, non esset caussa operationum naturæ. Hoc constituto, rite dici non posset, Deum pro nobis passum fuisse, & mortuum. Sola enim humanitas Christi passa, & mortua fuisse. Ergo dicamus potius, personalitatem præ se ferre quidpiam positivum.

Respondetur. Concedo majorem, & nego minorem. Etsi enim personalitas nec sit virtus efficiendi, nec ipsa efficiat actiones naturæ; tamen cum ad naturam ipsam pertinere intelligatur, velut modus pertinens ad ipsius esse substantiam, siccirco denominatio actionis ipsi personæ tribuitur: quo sensu intelligimus axioma illud: *Actiones sunt Suppositorum.* Itaque Deus in Christo denominatur mortus, & passus (etsi infinse sit immortalis) propter *idiomatum communicationem*, cuius ope in Christo quidquid de Deo dicitur, etiam de homine enuntiatur, & è converso; sed hoc non præ se fert, nisi extrinsecam denominationem, ratione unionis realis inter humanam, &

divinam naturam in Christo.

Instabis. Corpus non dicitur intelligentis, licet sit unitum animæ intelligenti. Ergo persona non dicitur operans, licet sit unita naturæ operanti.

Respondetur. Nego consequentiam, & paritatem. Persona enim intelligitur esse quidpiam naturæ, velut illius modus. At corpus non est aliquid animæ, nec est modus essendi ipsius animæ, sicuti nec anima est aliquid corporis, ut corpus est. Ideoque &c.

Objicies 3. Personalitas Divina pre se fert quidpiam positivum. Ergo etiam personalitas creata. Consequentia valere debet, quippe notio personalitatis univoce dicitur de utraque. Tum ex dictis in præc. quæst. singularitas præ se fert quidpiam positivum. Ergo etiam personalitas.

Respondetur. Nego paritatem. Etenim Divina Personalitas præ se fert negationem communicationis realiter indistinctam ab ipsa Divina Essentia. Sic Paternitas reddit Divinam Essentiam incomunicabilem alteri Patri, ut Filietas alteri Filio. Et ideo, cum omnis negatio inseparabilis connotet quidpiam positivum, Divina Personalitas præ se fert positivum aliquod. Id etiam valet de Singularitate, ut in præced. quæst. diximus. At personalitas creata non præ se fert negationem communicationis inseparabilem ab ipsa natura, unde ad instar aliarum negationum

separabilium, non dicit quidpiam positivum. Quare notio personalitatis eatenus tantum dicitur de personalitate divina creata, quatenus sola negatione communicationis comprehenditur.

Instabis. Negatio communicationis notat tantummodo effectum secundarium personalitatis. Ergo &c. Probatur antecedens. Negatio caloris notat tantummodo effectum secundarium frigoris. Ergo etiam &c.

Respondeatur. Nego paritatem. Declarari enim potest effectus positivus tam caloris, quam frigoris. Nempe uterque agit in sensu nostro, eosque immutat. At nullus relucet effectus positivus personalitatis, quæ ad instar aliarum negationum separabilium, afficere naturam intelligitur, non quidpiam illi tribuere.

Colligitur primo, personalitatem posse quoquo modo appellari ultimum complementum naturæ: non quidem in ipso ordine naturæ, aut substantiæ, seu *persistatis*; sed in linea incomunicabilitatis. Unde subsistere dicit perfectionem, si accipiat pro ipsa *persistatis*, non vero si solam significat negationem communicationis.

Colligitur 2. Nos negare, unam personalitatem creatam posse assumere aliam naturam: & quidem hac ipsa ratione, quia non satis evincitur, personalitatem creatam præ se ferre quidpiam positivum. Quapropter sicut universim dici-

mus, privationes non esse entia positiva, nec distingui *realiter positive* à re, cui conveniunt; ita de subsistentia ratiocinamur. Ergo subsistente est solum negatio communicationis Divinæ Personæ. Quæ quidem negatio intelligitur in reali instanti, ut communicatio eidem opposita; non in quocumque signo rationis. Unde Christi humilitas nunquam habuit propriam personalitatem. Et quamvis ipsa personalitas creata præ se ferat negationem unionis supernaturalis, non tamen est aliquod positivum, quia est *realiter distincta*, & separabilis: quo modo se habet negatio beatificæ visionis in homine viatore.

Colligitur 3. Tot equidem intelligi privationes in materia, quot sunt formæ, unicam vero esse negationem communicationis in natura subsistente. Cujus ratio est, quia, quot sunt formæ, tot sunt perfectiones, quibus materia caret. At unica est perfectio Deitatis, qua natura, ex. gr. mea caret, quoniam Divina personalitas, non ut Personalitas, sed ut Divina solum, dicit perfectionem.

Colligitur 4. Juxta eorum sententiam, qui puncta positiva realia in continuo admittunt, iisdem attribui munus positivum, nempe ut sint subjectum aliorum punctorum, v. g. quantitatis, qualitatis &c. unde non sola continentur negatione. At nihil positivi relucet in Subsistente.

PARS

PARS SECUNDA
METAPHYSICÆ,
SIVE PNEUMATOLOGIA.

DISPUTATIO PRIMA.

De Deo, & illius Perfectionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum ratio naturalis demonstret Deum existere?



Ulchriorem, nobilio-
remque Metaphysi-
cæ partem pertractan-
tibus, quæ de Spiritu-
bus agit, occurrit
primo disserendum de Existentia
Dei, quam adversus Atheos eviden-
ti rationis naturalis lumine propu-
gnare intendimus. Itaque commu-
nis sententia Philosophorum est, ex
rebus hisce creatis sensibilibus, &
adspectabilibus, Divini Numinis
existentiam demonstrari posse, si
Deum ipsum spectemus conceptibus
primæ caussæ, entis indepen-
denter, entis à se, entis infiniti:
quos *proprios* quidem Dei, ex com-
munibus tamén, appellare consue-
verunt Scholastici, quod nempe
ex communibus creaturarum no-

tionibus deriventur. *A Magnitudi-
ne enim speciei, & creature, in-
quit Sapientiæ Auctor c. 13. co-
gnoscibiliter poterit Creator horum
videri;* & Paulus ad Rom. c. 1.
scribit: *Invisibilia Dei per ea, que
facta sunt, intellecta conspi-
ciuntur.*

Nihilo tamen minus Dei Exis-
tentia in Divinis Litteris creden-
da proponitur. Quod consulto fa-
ctum esse notat Doctor in 1. d. 2.
q. 3. Nam utile admodum fuit
per viam auctoritatis Existentiam
Dei tradi Communilitati, tum pro-
pter Communilitatis negligentiam
in veritate inquirenda, tum pro-
pter humanæ mentis infirmitatem;
cum vero potissimum, ut sapien-
ter animadvertisit S. Augustinus l. 18.

de Civitate Dei , c. 41. propter errores , quibus naturalis demonstratio obnoxia est. Quare cum illi , qui demonstratione disserunt , veritatibus suis multa falsa permisceant , tutior , atque expeditior via obfirmandi simplicium assensum est Divina Auctoritas , quæ nec fallere , nec falli potest. Tametsi vero nos naturali demonstratione certo , & evidenter Dei existentiam assequamur , non inde tollitur meritum fidei nostræ , quippe semper pium tenemus affectum credendi , etiamsi Ratio nō suppeteret.

Existentia Divini Numinis omnium gentium consensione firmatur. Nihilominus complures ex Antiquitatis repetuntur memoria , qui Divinitatem funditus negarunt. Inter eos Sextus Empiricus lib. 8. contra Mathematicos recenset Epicurum , qui *quod attinet quidem ad vulgus , relinquit Deum ; quod vero spectat ad rerum naturam , nequaquam*. Ajebat enim , cum Mundus procreatus est , factos fuisse fortuitos circumplexus convolventium se atomorum. Commemorantur etiam posteriores illis nonnulli alii , atque inter istos Benedictus Spinoza. Nam etsi approberet Deum esse ens perfectissimum , atque hinc necessariam ejus existentiam concludat ; quia tamen ens perfectissimum non iis attributis ornatum concipit , qualia nobis Divinæ Litteræ representant : sed è converso impia audacia contendere non erubuit , Deum sese talem

revelasse Canonicis Scriptoribus , qualem sibi eumdem imaginabuntur , ita ut ex S. Litteris nihil præclarri de Deo addisci possit hinc jure meritoque Theologi omnes , & Philosophi recte sentientes arbitrantur , hominem prophanum inficiatum fuisse existentiam Dei , ipsumque Atheismi reum postulant. Sed & nostris temporibus plerique existunt , de quibus , ut verba assumamus S. Augustini lib 3. contra Petilianum , c. 21. *videtur prædixisse Propheta : Dixit stultus in corde suo non est Deus.*

Difficile tamen est , hominem vere fieri Atheum , sive , ut ajunt , *speculative* , ut sibi persuadeat , nullum esse Deum , omnemque deponat Divinitatis , & Religionis sensum. Etsi verum Deum pluri- mi non agnoverunt , nec coluerint ; unde istorum quosdam Apostolus ad Ephesios c. 2. *sine Deo fuisse affirmat*. At cum maxima fuerit , & nunc etiam existat eorum multitudo , qui *præfice* Athei appellantur , quippe quod ita perdite vivunt , ac si Deus non esset ; tanta etiam stultitia humanam mentem abiri probabile est , ut Deum ex animo penitus neget , Deoque ipso peccatorum justissimo vindice , ex summa voluntatis depravatione in omnimodam cæcitatem ruat.

Dicimus , existentiam Dei , etiam sola ratione duce , certo , & evidenter comprobari , pluribus argumentis ex naturali lumine petitis . Probatur primo metaphysica

demonstratione ex rerum creatarum contingentia. Experientia compertum est omnibus, creatas hasce res existere; easque contingentes esse, videmus enim, eas nasci, interire, atque corrumpi. Hoc ipsum porro Dei, seu Entis summe necessarii existentiam evincit. Ergo ex creaturarum contingentia existentia Dei demonstratur. Minor probatur. Quælibet res creata potest existere, & non existere. Igitur cum in prædicatis ad rei essentiam pertinentibus, rationatio rite procedat à distributivo ad collectivum, tota creaturarum collectio erit contingens, ac poterit existere, & non existere. Jam vero si nulla creatura existeret, (hanc enim admitti hypothesim nihil vetat) tunc proculdubio creaturæ à se ipsis effici non possent, quia nihil se ipsum efficere valet, eum nihil possit simul esse prius, ac posterius se ipso. Ergo quidpiam non contingens, non creatum, admittere oportet à quo creaturas effici posse dicamus, suppositione illa concessa. Hoc ipsum profecto, à quo cetera prodire possent, esset ens summe necessarium, & à se: Atque adeo Deus. Igitur &c.

Idem argumentum sic proponit Doctor noster, in 1. d. 2. qu. 2. Quæcumque videmus, caussantur, & quidem ab alio, cum nihil possit esse sibi ipsi, fons & principium productionis. Vel ergo in caussis progressus in infinitum erit admittendus; vel fateri oportet,

Deum existere, à quo cetera suam originem trahant. Porro nec in caassis *per se*, sive ex rerum natura, ordinatis, nec in caassis *per accidens* ordinatis, progressio in infinitum admitti rite potest. Non in primo caussarum genere; alias cùm earum invicem dependentia sit essentialis, infinitum *in actu* admitti oporteret, quod nempe infinitæ caussæ re ipsa ad quoscumque effectus producendos concurrent. Sed neque in secundo caussarum ordine; illa enim caussarum universitas est contingens, ac proinde ab altero, quod omnino necessarium sit, habet unde possit recipere suum esse. Igitur &c.

Quod vero ajebant Veteres Epicurei, fortuito atomorum concursu omnia prodisse, tum commenitium, & ridiculum, tum à recta ratione alienum est. Quippe nulla id ratione ostendunt, atque recta Mundis dispositio Somnio illi adversatur, ac denique in homine prescritim turpissima est sententia illa Epicureorum: quasi vero nos temere, ac fortuito sati, & creati simus.

Probatur secundo Existentia Dei per physicam demonstrationem ex ordinata Mundi structura, & constanti rerum omnium visibilium compage. Stupidus sit, oportet, quem in admirationem, etiam invitum, non rapiat eximia Mundis pulchritudo, summa rerum, quæ in eo sunt, multitudo, & varietas; æquabilis temporum series, fixa tempestatum vicissitudo, im-

mensa Cælorum moles , Syderum definitæ conversiones , constans denique naturæ totius ordo. Si quis igitur Dei existentiam , aper-tam adeo , & perspicuam in du-bium revocat ; hæc omnia intue-atur. Intelliget profecto non fortui-ta partium coactione , sed opti-mo consilio ea esse constituta, re-gique , ac gubernari à prima re-rum omnium causa , & provida in-universum mente. Hanc igitur ad-mittere oportet, quæ profecto est ipse Deus.

Probatur tertio Existentia Dei per moralem demonstrationem, ex populorum omnium consensu , & conscientiæ stimulis in peccantibus. Illud ens sumnum , & infini-tum existit, quod communi na-turæ voce Gentes omnes , etsi immanitate maxime agrestes , ac barbaræ , existere fatentur : quod conscientia stimulis malæ vitæ ex-agitata, etiam invita declarat. *Omnium* quippe *consensus* (ait optimus Tullius lib. 1. Tusculanarum Quæstionum) *natura vox est* ; fie-rique non potest, ut universa natu-ra aberret. Porro , si perversos quosdam excipias,communi homi-num consensione Existentia Entis summi confirmatur. Multi enim (addit Tullius) *de Diis prava sen-tiunt* ; *id enim vitioso more effici solet* : *omnes tamen esse vim , & naturam divinam arbitrantur*. Quia & ipsi conscientiæ stimuli, quibus ob patratum scelus homo torquetur , tacite Deum aliquem

eriminis vindicem, & ultorem esse produnt. Neque enim conscientiæ sensus obtundi , neque accusatio eludi , nec testimonium corrumpi , nec tribunal declinari , unquam potest. Et sane nisi Supremi Numi-nis timor , ac reverentia homines in officio contineret , nullus vel per momentum quidem securus,ac totus esse posset à vi , à fraude , à perjurio , à cæde , à sanguine; om-niaque confundi , ac perturbari, necesse foret. Ergo vel uno animæ humanae testimonio Existentia Dei demonstratur.

Objicies 1. Ad Dei existentiam demonstrandam non satis firma est ratio illa , quæ ex creaturarum contingentia ducitur. Ergo Ex-istentia Dei non satis comprobatur demonstratione metaphysica. Pro-batur assumptum. Subsistit crea-turarum contingentia , quin habeatur necessitas Entis summi, & à se. Ergo ratio illa infirma est. Pro-batur antecedens. Etsi omnes crea-turaræ singillatim considerate sint contingentes, non inde consequens est , totam itidem creaturarum collectionem debere esse con-tingentem. Ergo &c. Antecedens probatur. Creaturarum contingentia componi potest cum necessitate cuiuspiam creaturæ ex tota collec-tione. Ergo &c. Probatur ante-cedens. Ista creaturæ alicujus ne-cessitas concipi potest , velut in-determinata , & hypothetica ; non tamen ut absoluta , & determina-ta , cuiusmodi est illa Entis Sum-mi.

mi. Ergo &c. Probatur antecedens. Posset Atheus dicere , creaturam aliquam esse necessariam , ex hypothesi quod aliae omnes deficiant: non tamen hanc determinate creaturam, sed hanc, vel illam. Quemadmodum Navis aliqua ex collectione navium necessaria est ad iter per mare faciendum, non determinate, nec absolute, sed indeterminate , & in hypothesi quod aliae naves non existant in portu: cum tamen singulae naves non sint necessariae , sed ex se se contingentes.

Confirmatur argumentum alia similitudine. Singula peccata venialia sunt homini libera , & potest homo singula vitare, adeoque in singulis peccat. Et tamen homo, sine speciali Dei privilegio , in hac mortali vita non potest vitare omnia peccata venialia: ut definit Tridentina Synodus , sess. 6. can. 23. adeoque aliquod veniale peccatum est necessarium. Sed quia tale non est absolute, ac determinate, iccirco singula sunt contingentia. Idem ergo de creaturarum contingentia dicere quis posset exercitationis gratia; atque adeo propositum in probatione argumentum vim non habet.

Respondetur, firmam omnino, atque tutissimam esse demonstrationem illam ex creaturarum contingentia pertitam. Vis enim illius potissimum dicitur ab ea repugnancia, quam ex vi essentia suæ quælibet creatura præ se fert, ne fiat

ex se se ad existendum determinata, cum semper ex sua ratione formalis dicat posse non esse. Quare cum ratiocinatio à distributivo ad collectivum vim certam obtineat in prædicatis essentialibus, quoniam unaquæque creatura ex sua notione formalis excludit necessitatem existentiæ , & contingentia in creaturis ad earum intrinsecum pertinet , nec ordinem dicit ad aliquod omnino extrinsecum; Iccirco colligimus, quamlibet creaturam , & totam itidem creaturarum collectionem esse contingente, nullamque ex illis reddi posse quocumque modo necessariam ex vi collectionis , aut ex ratione aliqua à creaturis contingentibus pertita. Quo fit , ut necessitas illa, etsi hypothetica dicatur , & indeterminata , nullatenus possit creaturis convenire. At necessitas illa, vel contingentia navium ad iter peragendum , non ipsam respicit navium naturam, sed ad extrinsecum ordinatur : & navis quælibet ex se nec contingentiam illam, nec necessitatem præ se fert, nec alterutram excludit. Atque adeo necessaria simul dici potest , & contingens , modo supra explicato.

Ad confirmationem. Docent Theologi, necessitatem labendi in aliquod peccatum veniale non esse absolutam , seu, ut ajunt, *simplieiter*, nec oriri ab intrinseco eorumdem peccatorum, sed esse necessitatem moralem , quæ oritur ab ex-

rinseco, nempè ex infirmitate naturæ humanae originem suam trahente à peccato originali. Unde *absolute*, & *simpliciter* loquendo, posset homo vitare totam peccatorum venialium collectionem. Quamobrem apparet latum discrimen: ut diximus.

Objicies 2. Et singularum creaturarum contingentia non licet subinferre contingentiam earum omnium collectim sumptarum. Ergo nulla est allata probatio. Assumptum sic ostenditur. Non valet hæc argumentatio: Hic homo gigni potest ab alio homine, ita & ille, sic & alter: ergo tota hominum collectio gigni potest ab altero homine extra collectionem ipsam. Simili ratione non rite dicimus: Hic homo elevare potest hoc pondus decem librarum, illud etiam, & illud: ergo elevare potest omnia simul decem librarum pondera. Aut cum dico: Hæc quantitas est palmaris, illa itidem, & altera: ergo tota quantitatum collectio est palmaris. Ergo nec legitima est ratiocinatio: Hæc creatura est contingens, illa quoque, & altera: ergo tota creaturarum collectio est contingens.

Confirmatur 1. Non rite argumentamur dicendo: Extat hic, & ille homo: ergo extat summus homo. Igitur nec valet: Extat hoc, & illud bonum creatum: ergo existit Summum Bonum.

Confirmatur 2. Creaturæ sunt contingentes, Deus autem est ens necessarium. Porro inter contin-

gens, & necessarium nulla est conexio. Quemadmodum igitur ex animalium irrationalium existentia non colligitur rite existentia animalis rationalis; sic quoque ex rerum contingentium existentia non rite subinfertur existentia entis necessarii. Quippe major est proportio inter animal rationale, & irrationale, quam inter necessarium, & contingens.

Confirmatur 3. Sicuti quælibet creatura ex sua ratione formalis potest non existere, ita potest etiam existere. Porro ex hoc ipso non licet supponere totam simul existere creaturarum collectionem. Ergo nec possumus supponere totam simul creaturarum collectionem non existere. Par enim habenda est ratio. Siquidem de quo supponere possumus unam definitionis partem, alteram etiam licet supponere: Creatura autem definitur *id, quod potest esse, & non esse.*

Respondetur, non idem ferendum esse judicium de nostra argumentatione, ac de aliis expositis. Quippe, ut diximus in 1. Logices parte, sectione 5. cap. 1. ratiocinatio à distributivo ad collectivum vim suam obtinet solum in prædicatis essentialibus: quo modo se habet creaturarum contingencia. At homo ex sua formalis ratione non exposcit produci ab altero homine. Quod de ponderum elevatione dictum est, pertinet ad quantitatem virtutis, & extensio illa palmaris ad quantitatem molis.

Quan-

Quantitas autem major, vel minor est pro multitudine rerum, nec ad rei essentiam pertinet. Unde in hoc genere non rite procedimus à distributivo ad collectivum.

Ad primam confirmationem. Longe dispar hinc appetet ratio. Quippe si non existeret Summum Bonum, nihil haberetur, à quo causari possent alia bona contingentia, sive nulla istorum subsisteret causa, nec univoca, ut patet, nec æquivoca, quia omnis caussa debet esse bona. At etiamsi non existat summus homo, produci semper possunt alii homines, non quidem à causa aliqua univoca, sed à causa æquivoca, nempe à Summo Bono, hoc est, Deo. Ad hæc, bonitas major esse intelligitur, aut minor: humanitas in indivisibili sita est.

Ad secundam confirmationem. Proportio duplex distingui debet, quarum una appellatur *entitativa*, altera *objectiva*. Prior illa prædicatorum similitudinem notat, posterior actionem, & passionem. Quapropter licet animal rationale, & irrationale majori gaudeant proportione *entitativa*, non tamen *objectiva*, qualis reperitur inter Ens necessarium, & Ens contingens; quippe istud est effectus, illud est causa: & quidem causa æquivoca, quæ perfectior est effectu suo, nec cum illo habere debet omnimodam *entitativam* proportionem. Quapropter merito dicebat Aristoteles cap. 7. libri de Mundo: Cum

Tom. I.

Deus sit inconspicibilis natura omni interitura, ipsis tamen cernitur ab operibus.

Ad tertiam confirmationem. Omen illam hypothesim tantummodo admittere possumus, qua constituta, ex intrinseco ipsius nulla habeatur contradic̄tio. Porro si supponamus, omnem simul creaturam non existere, nulla repugnantia, nulla contradic̄tio hinc oritur. At hypothesis constituens, omnem simul creaturam existere, & collectioni creaturarum repugnat, & duo invicem contradictentia adstruit. Etenim collectio ipsa creaturarum in se se quidpiam est indeterminatum: per existentiam autem, & productionem fieret determinata. Quapropter hæc hypothesis repugnat, non illa.

Objicies 3. Juxta probabilem Peripateticorum opinionem de Continui divisibilitate in partes infinitas, quemadmodum in Physica Generali declarabimus, disp. 3. q. 3. quælibet Continui pars est divisibilis, & ipsa partium collectio dividi semper potest, quin nos in hujuscemodi distributione extra collectionem procedamus. Simili ergo ratione, quælibet creatura, atque ipsa etiam creaturarum collectio erit quidem dependens, non tamen ab aliquo extra collectionem. Non licet ergo ex creaturis colligere Dei existentiam.

Confirmatur. Juxta datam sententiam, progressus admititur in infinitum in Continui divisibilitate, ita

Nn

ut

ut , etsi omnes partes dividi possint singillatim, attamen supponere non possumus, eas omnes collectim esse divisas; immo nulla divisione deveniamus ad aliquid indivisibile. Ergo progressus in infinitum rite admitti poterit in caussis *per accidens* subordinatis, ita ut quamvis singulæ possint non esse, id tamen non liceat supponere de omnibus collectim ; immo nunquam ad aliquid independens deveniamus.

Respondeatur, disparem longe rationem patere, admissa Peripateticorum doctrina. Quippe in Continui divisibilitate progredimur per divisionem *in genere caussæ formalis*. At in creaturarum productione progresio habetur per caussalitatem *in genere caussæ efficientis*. Etenim diviso Continui fit in ea, quæ Continuum ipsum constituunt, & per communicationem propriæ entitatis componunt. Quare cum nihil dividi possit in ea, quæ re ipsa non habet, siccirco distributio partium Continui non transgreditur limites collectionis. Productio autem creaturarum non oritur ab iis, quæ pertinent ad integratatem, vel compositionem illius rei, quæ gignitur: immo cum sit in genere caussæ efficientis, necessario connotat aliquid extrinsecum rei producendæ. Quare ut tota collectio creaturarum produci possit, extra ipsam collectionem oportet caussam necessariam constituere, cum nihil possit se ipsum producere: quæ causa profecto est Deus.

Ad confirmationem. Juxta Peripateticorum sententiam, essentia Continui in eo sita est, ut ipsi repugnet ultima, & determinata partium distributio, adeoque pars quælibet præ se ferat semper aptitudinem alteri divisioni. Progredi ergo possumus in infinitum, quin ad indivisibile deveniamus: nec supponi potest ultima divisio, quia essentia ipsa tolleretur Continui. At vero non repugnat Creaturis non existere, immo collectio ipsa Creaturarum potest non existere, cum contingencia pertineat ad essentiam cuiuslibet creaturæ. Propterea supponere possumus, nullam existere Creaturam, quia hoc illi non repugnat, immo congruum est, ac consentaneum ; & ob eamdem rationem progredi non possumus infinitum.

Objicies 4. Tantum abest, ut procreatæ res in Dei cognitionem nos ducant, quin potius à Dei notitia nos retrahunt. Nam Sapiens cap 14. ait: *Creaturæ, Dei in odium factæ sunt, & in temptationem animalibus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Tum Creaturæ sunt malæ. Non ergo ad Deum bonum cognoscendum nos provocare possunt.

Respondeatur, satis perspicuum fieri, quibus de rebus sapiens ibi verba faciat, si vel oculus sacro textui admoveatur. Dixerat enim: *Propter hoc & in Idolis nationum non erit respectus: quoniam creaturæ, Dei in odium factæ sunt &c.*

Quæ

Quæ verba sensum hunc reddunt: Non erit Idolorum inquisitio, nam conterentur, quoniam in abominationem conversæ sunt ab impiis creaturæ: ut textus Græcus habet. Creaturæ ergo factæ sunt in Dei odium, non per se, sed quia homines propria malitia iis abutuntur, cultum ipsis soli Deo debitum attribuentes; atque ipsa idola muscipulæ sunt pedibus insipientium. De Idolis itaque Sapiens loquitur. Res autem create à Supremi Artificis manu prodeentes, per se se bonæ sunt. Sed ex malis etiam complexiones fieri possunt de Existentia Dei, sub ratione Universalis Provisoris: qui tametsi non sit malorum effector, eorumdem vindex est.

Objicies 5. Si Deus existeret, deberet esse summe bonus. Jam vero, si esset summe bonus, omne malum à Mundo tolleret. Cum ergo tot mala, & peccata sint in Mundo, profecto non existit Deus. Minor probatur. Si existeret infinitus calor, excluderet omne frigus. Si existeret corpus infinitum, resueret societatem alterius corporis. Si existeret summum malum, nullum haberetur bonum. Ergo à simili, si existeret Summum Bonum, nullum haberetur malum.

Respondetur. Nego minorem. Ad probationem, nego paritates. Deus omnimoda gaudet libertate respectu eorum omnium, quæ extra ipsum sunt; atque adeo Summum hoc Bonum ex ipsa suæ libertatis perfectione permittere potest

in Universo mala, & peccata, di-
vino sapientiæ suæ consilio ex ma-
lis bona ducens. Unde optime di-
cebat S. Augustinus cap. 27. En-
chiridii: Melius judicavit Deus de
malis bona facere, quam mala nulla
esse permittere. At vero calor,
& corpus sunt agentia naturalia,
que ex necessitate naturæ operan-
tur. Summum itidem malum, si
existeret, ex necessitate ageret, &
careret libertate, quæ ex maxima
perfectio; alioquin non esset amplius
summum malum.

Ojicies 6. Existunt creaturæ,
et que perfectæ. Ergo affirmare
non possumus existentiam Entis
summe, & infinite perfecti. Con-
sequentia probatur. Si hujuscemo-
di Ens existeret, deberet in se se
continere perfectiones omnes: illas
etiam, quæ creaturis conveniunt.
Ergo &c. Antecedens probatur.
Quod non continet omnes perfe-
ctiones est quidpiam finitum. Igi-
tur &c.

Confirmatur. Quantitas, quæ
non continet omnem dimensionem,
omnino finita est. Ergo Ens, quod
non includit omnem perfectionem,
finitum est.

Respondetur. Nego consequen-
tiā. Ad probationem, distinguo
antecedens: deberet continere om-
nes perfectiones, simpliciter tales,
subdistinguimus; omnes specie, con-
cedo: omnes numero, nego; de-
beret continere omnes perfectiones,
secundum quid tales, subdistinguimus:
virtualiter, & eminenter, concedo:

actualiter, & *formaliter*, nego antecedens, & consequentiam. Perfectiones, quas in creaturis conspicimus, sunt duplicitis generis. Etenim aliæ sunt perfectiones *secundum quid*, quæ scilicet imperfectiōnem supponunt, atque ordinantur ad hujus defectum supplendum: eiusmodi sunt, v. gr. irrationalitas, potestas mutandi consilium, & similia. Aliæ vero perfectiones sunt *simpliciter* tales. *Perfectio autem simpliciter*, ut notat S. Anselmus in Monologio, cap. 15. *ea est*, quæ in quolibet melior est ipsa; quam non ipsa; id est quæ non determinando naturam aliquam propriam rei alicujus, sed in ordine ad ipsum ens generatim acceptum, melior est suo contrario positivo: hujuscemodi ordinis sunt rationalitas, voluntas, & similia. Itaque perfectiones prioris generis, cum imperfectione supponant, nullatenus in Ente summe perfecto debent rep̄iri, quod ipsum quæcumque imperfēctio dedebeat. Attamen haec ipsæ perfectiones, quæ Enti infinite perfecto non insunt *formaliter*, & *actualiter*, ab eo *virtualiter*, & *eminenter* continentur: quatenus illud Ens infinitum sua virtute valet ea omnia præstare quæ in ordine perfecto haberentur per illas omnes perfectiones *secundum quid*. At si loquamur de perfectionibus posterioris ordinis, congruum est, eas *actualiter*, & *formaliter* reperiri in Ente infinite perfecto: non quidem ita ut eas omnes in numero, atque

entitate contineat; sed quatenus eas in specie omnes includat, hoc est, unam ex qualibet specie illarum. Cujus ratio est, quia illud Ens summe perfectum est hujusmodi, non quantite molis, sed quantitate virtutis. Cum vero una intellectiva potentia infinita valeat per se ea omnia, quæ præstari possunt ab omnibus aliis potentiis intellectivis, siccirco ea sufficit Enti infinite profecto. Id ipsum valet de aliis perfectionibus specie diversis.

Nec in contrarium urget adducta paritas. Enimvero quantitas infinita debet talis esse in genere molis, & spatium occupat in genere *caussæ formalis*, per exhibitionem propriæ entitatis ipsimet spatio: quod præstare omnino non posset, nisi *actualiter* dimensiones omnes in se se contineret. At vero Deus infinitus est in genere virtutis, atque effectus suos præstat in genere *caussæ efficientis*.

Instabis. Si existeret Deus, dicendum esset hinc Deus. Hoc ipso non esset infinitus. Ergo &c. Minor probatur. Hoc tempus hic locus non possunt esse infinita, quia pronomen, *hoc*, ad unam partem determinat. Igitur &c.

Confirmatur 1. Quod est ita hic, ut non sic alibi, non est immensum. Ergo quod est ita hoc Ens, ut non sit aliud, non est infinitum.

Confirmatur 2. Corpus infinitum non potest compati aliud quodcumque corpus. Ergo Ens in-

infinitum compati non posset aliud ens.

Respondetur. Nego minorem. Ad probationem, nego paritatem. Maximum intercedit discrimen inter enumerata, & Deum ipsum. Nam ideo hoc tempus nequit esse infinitum; quia non continet eminentia, & virtute sua omne tempus, & ob eamdem rationem hic locus non potest esse infinitus. At vero hic Deus continet eminentia, & virtute sua omne ens, ac proinde hic Deus est infinitus.

Ad primam Confirmationem. Dispar est ratio. Etenim corpus illud quantitate molis occupans locum, cum loca omnia non repeleret, limitatum esset omnino quoad locum; atque adeo quod est ita hic, ut non sit alibi, non est immensum. Deus vero, etsi non contineat omne numero perfectionem, illimitatus omnino est in genere perfectionis, & virtutis; adhuc enim præstare valet ea omnia, quæ haberi possunt per omnes alias creaturarum perfectiones.

Ad secundam Confirmationem, idem reponimus. Quippe corpus infinitum est hujusmodi quantitate molis, omnemque magnitudinem possibilem continere debet re ipsa, ut valeat in genere *causa formalis* occupare locum omnem. At Deus est infinitus in genere perfectionis, & virtutis: ut dictum est.

Quum Sapientes omnes, Theo-

logi, & Philosophi ratiocinatione ex creaturis adspectabilibus ducta Existentialiam Dei invicte demonstrari docuerint, Cartesius regiam hanc viam deserens, omniaque falsa esse sibi confingens, ad Divini Numinis existentiam probandum nullum aliquid nobis argumentum patere voluit, nisi quod ex clara, distinctaque idea Entis Summi nobis (ut ait) ingenita depromi intelligitur.

Ejus porro ratiocinatio ita se habet. Hoc nomen Dei præ se fert ideam Entis summe perfecti. Sed una ex perfectionibus est realis existentia. Ergo Ens illud summe perfectum realiter existit. Sive alio modo. Idea clara, & distincta Entis summe perfecti est in me. (Sic docet Cartesius) Porro hæc idea cum sit me perfectior, à me esse non potest: & ob eamdem rationem nec ab alia creatura. Ergo existit Deus, qui ideam hanc in me efficit.

Sed hæc Sophismata sunt, atque transitum incepit faciunt à statu idealia ad statum realem. Etenim nomen illud Dei præ se fert quidem Ens summe perfectum, ut à nobis concipitur, non vero ut realiter existens: quod si Cartesius hoc etiam posterius contendat: id supponit, quod in quæstione est, atque adeo principium petit. Manet ergo probandum, ideam Entis summi re ipsa conformem esse rei extra mentem nostram existenti. Supponit etiam Car-

Cartesius, claram, & distinctam in nobis esse ideam Divinæ Essentiæ, Entis Summi, Entis Infiniti: quod falsum est, ut declarabimus disp. 3. q. 8. Nam quæ in nobis extat Idea Dei non nisi obscura, & imperfecta est, atque à rébus hisce adspectabilibus per comparationem, & amplificationem ducita. Tum Atheus præfracte negaret se talem ideam habere; adeoque convinci non posset. Postremo assérit quidem Cartesius, se non posse à se ipso esse, nec à parentibus &c., atquen hoc ipso rite ascenderet ad existentiam Dei, si duceret argumentum ex contingentia creaturarum, & repugnancia progressus in infinitum. At negat id se præstare, & cum jam de omnibus dubitationem instituerit, ex sola Dei idea, prout diximus, viam patere docet ad Dei existentiam demonstrandam.

Placet nonnullis Recentioribus, Dei existentia à quasi priori demonstrari posse, ex ipsa nempe Dei definitione, qua dicitur ex nostro concipiendi modo *Ens summe perfectum*. Ita porro ratiocinantur. Si ex primis, & notissimis propositionibus demonstratur possibilitas Dei sub conceptu Entis Optimi, ejusdem existentia demonstratur à quasi priori. At qui ex primis, & notissimis propositionibus demonstratur possibilitas Dei sub conceptu Entis Optimi. Ergo à quasi priori demonstratur existentia Dei. Major est

evidens, & negari non potest ab eo, qui terminos distincte percipit. Evidens quippe est, si non sit impossibile Ens Optimum, includens omnes prorsus perfectiones, illud necessario existere, cum una ex perfectionibus, quas ejus essentia includere debet, sit ipsa existentia: sicut evidens est, purum malum, sive Ens Pessimum, cum excludat perfectiones omnes, necessario non existere. Tum quia si Ens Optimum non existit, jam esset impossibile, quoniam nihil ei dare posset existentiam: & quanto ea res major est, eo magis erit impossibilis; atque illud lumine naturali notum est, id, quod sua vi potest esse, semper existere. Minor autem sic ostenditur. Nullum impossibile excludit contradictionem, quæ ex suo conceptu est imperfecto. Ergo nullum impossibile excludit omnem imperfectionem. Ergo Ens Optimum, excludens quamcumque imperfectionem, non est impossibile. Ergo est possibile. Quod erat demonstrandum.

Confirmant hanc demonstracionem à simili, & à contrario. Bene demonstratur consimili ratiocinio, Ens Optimum non esse creaturam, dicendo: Nulla creatura excludit quamcumque imperfectionem. Ergo Ens Optimum, quod excludit quamcumque imperfectionem, non est creatura. Demonstratur etiam impossibile esse, atque adeo non existere Ens pessimum, quod omnes

nes imperfectiones includit, dicendo: Nullum Ens contradistinctum ab impossibili excludit possibilitatem, quæ ex suo conceptu est perfectio. Ergo nullum est ens reale, excludens quaincumque perfectionem. Ergo Ens excludens quaincumque perfectionem, non est ens reale, sed impossibile. Ergo à pari demonstratur, Ens Optimum non esse impossibile, sed necessario existere, dicendo: Nulla Chimera excludit contradictionem. Ergo nulla Chimera excludit quaincumque imperfectionem. Ergo Ens excludens quaincumque imperfectionem non est Chimera; adeoque est possibile. Quod erat demonstrandum. Quemadmodum igitur attributa divina à priori demonstrantur inesse Deo ex illius essentia, sive asseitate, ita existentia Dei à quasi priori demonstrari potest per ipsius definitiōnem.

Verum hæc ratiocinatio nihil proficit contra Atheos. Nam qui Deum negat, insciatur etiam possibile esse Ens Optimum. Quamobrem probandum manet, Ens, & Optimum uniri posse. Hoc enim ipsum negat Atheus, qui ideam Entis Optimi non agnoscit, nullumque ens esse possibile putat, nisi aliquam habeat imperfectionem; atque hinc dissolvet totum argumentum, ac præcipue paritatem ab Ente Pessimo ductam. Videtur etiam contradictionis, Ens Optimum considerare; ut ab existentia abstrahens,

ac possibilitate, quia tunc non intelligeretur, ut Optimum, quippe in illo non conciperetur omnis perfectio: nempe tunc in illius idea non reluceret existentia, quæ maxima perfectio est. Quanquam ergo, data possibilitate Entis Optimi, rite colligatur ipsius existentia, probanda manet possibilitas illa, ut re ipsa talis, ne transitus fiat à statu ideali ad statum realem. Diversa ratione attributa Dei per illius asseitatem à Scholasticis demonstrantur. Nam primo quidem ex creaturarum contingentia evincimus necessario existere Ens à se. Tum ex hoc ipso concludimus attributa eidem inesse perfectissima, quia nemo potest limitare se ipsum, cum nemo possit non amare se ipsum: id autem, quod est à se, non potest ab alio circumscribi, cum à nullo habeat esse, & à nullo dependeat.

Colligit, S. Anselmum in Prosologio argumentum allato simile proponere, & concludere, ex idea Dei, qua cognoscimus, ipsum esse aliquid, quo nihil melius ex cogitari potest, insipientem convinci de existentia Dei. Sed Anselmus, ideam hanc non docet ingenitam esse, sed fide revelatam: atque hac præsupposita raciocinatur.

Ex iis ratiocinantibus, quæ pro Dei existentia exhibuimus, facile etiam demonstratur, neminem ratione prædictum posse invincibiliter ignorare Deum: cum tot eidem

præ-

præsto sit argumenta tum ex rebus adspectabilibus, tum ex intimo conscientiæ sensu, quibus potest assurgere, & primam caussam cognoscere, adeoque ignorantiam depellere. Hinc merito dicebat S. Gregorius Nazianzenus, or. 2. de Theologia: *Nimis profecto habes, & stolidus est qui non hucusque sponte progreditur, naturaliumque demonstrationum vestigia sequitur.*

Utrum vero Deum esse sit per se notum? parvi momenti quæstio est. Si proposito *per se nota* dicatur illa, cuius notitia facili negotio per lumen naturæ acquiri potest, evidens est, propositionem hanc: *deus existit, per se notam esse:* ut diximus. At si propositio *per se nota* ea sit, *qua ex terminis propriis habet evidentem veritatem:* ut loquitur Doctor in 1. d. 2. q. 2. quia nos non cognoscimus evidenter simplici obtutu, terminos istis, *Ens infinitum, Caussam primam, invicem connecti, siccirco sub hac consideratione Deum accipiendo, nobis per se notum non est Deum existere; veritatem enim illius propositionis non ex ejusdem terminis, sed ex ratiocinatione colligimus.*

QUÆSTIO SECUNDA.

Verum ratio naturalis evidenter probet Dei Unitatem?

DIcimus, Dei Unitatem multiplici rationum naturalium lumine demonstrari.

Probatur. *Omnis Deum concedunt esse, quod ceteris rebus omnibus anteponunt: ut optime animadvertisit S. Augustinus, lib. 1. de Doctrina Christiana, c. 7.* Est adeo Deus Summum Magnum. Ad quod ejusmodi est, unum, ac singulare est; neque duo, vel plura Summa esse possunt, ac perfectissima: cum hoc sit Summum Magnum, par non habere, nec aliud illi posse adæquari. Summa itidem Dei necessitas, ejusdem Unitatem ostendit. Nam si duo sunt summe necessaria, vel ita sunt, ut unus possit existere sine altero: vel alterius, ut existat, ope indiget? Si primum, satis est ille unus, & alter supervacaneus est. Si secundum, nullus est Deus, quia nullus ex iis est ens summe necessarium. Quod enim est naturæ summe necessariæ, alterius ope, ut sit, non indiget. Id ipsum expressius demonstrat Dei Omnipotentia. Neque enim duo Omnipotentes extare queunt, quippe quod, cum liberi essent, dissentiri invicem possent, ac proinde neuter illorum esset Omnipotens, quia ab alterutro oppugnaretur.

Ip-

Ipsa quoque Mundi gubernatio unum esse Deum prædicat. Nam summi, potentissimique imperii natura, non plura suprema capita, sed unum tantummodo caput exigit, ut recte disponi, ac ordinari queant omnia, & constanti, imperturbatoque consilio gubernari. Demum idipsum confirmat communis hominum consensus, & judicium. Enim vero vel ipsi primi Philosophi, ac Poetæ, tametsi exterius plures colerent Deos, ut offenditionem vulgi vitarent, unum tamen esse Deum Deorum, ac Supremum Ens persuasum habebant. Eorum testimonia recenset præ ceteris S. Justinus M. in lib. de Monarchia Dei.

Objicies 1. Tot admitendi sunt Dii, quot prima rerum principia. Atqui plura, ac saltem duo concedere oportet prima rerum principia. Plures igitur sunt Dii, non unus. Minor probatur. Varii, oppositique effectus habentur: ut corpus, & anima; quippe continua est carnis adversus spiritum rebellio. In Physicis etiam plerique extant effectus mali, venena, monstra, serpentes. In Moralibus quoque peccata. Quemadmodum igitur ex bonis effectis existentia colligitur Summi Boni, sic Mali Summi existentiam effecta mala demonstrant.

Respondetur. Nego minorem. Itaque effectus varii, & oppositi ab eadem caussa proficiunt queunt prima, & universali: cuiusmodi est Deus, qui ad manifestandas Omnipotentiæ suæ inexhaustas di-

vitias, ad Mundi ornamentum, & perfectionem, dissimilia pleraque, ac diversa procreat. In iis porro omnibus nihil est absolute, & in se se malum. *Vidit quippe Deus cuncta, que fecerat, & erant valde bona:* ut legimus c. 1. Geneseos. Serpentes, venena, si aliquibus nocent; aliis potius remedio sunt: ut notat S. Augustinus lib. 21. Contra Faustum Manichæum, c. 13. Sic & Sturni vescuntur aconito, & Viperæ hominibus venenosæ, Theriacæ pharmaco componendo deserviunt. Monstra ad Mundi conferunt perfectionem. Cum enim opposita invicem collata magis eniteant, ex illorum comparatione aliarum rerum pulchritudo resplendet: quo modo noctis obscuritas ad majorem lucis commendationem deseruit, & ridiculæ partes venustatem augent Comœdiæ.

Pugna inter carnem, & spiritum poena est peccati originalis, qua etiam fit, ut pleræque res hominibus noceant. Peccatum denique formaliter sumptum est mera rectitudinis privatio; ideoque non habet caussam efficientem, sed tantummodo deficientem. Atque hinc appetit discrimen inter bonum, & malum. Cum enim bonum sit verus effectus respicit caussam efficientem; & ideo ex effectis bonis existentiam Summi Boni colligimus. At malum, defectus cum sit, solam connotat caussam deficientem: atque adeo ex malis non ducitur ar-

gumentum pro existentia Summi Mali: quod ipsum ex se se omnino repugnat, nam si existentiæ perfectionem haberet, non jam esset Summum Malum.

Objicies 2. Non videtur rationi satis consentaneum, Deum bonum in Viris probis, sanctisque, æque ac in improbis, ac reprobis tot mala componere, hosque etiam aliquando bonis temporalibus augere. Qui etiam fieri potest, ut Deus bonus peccata permittat: hominemque creet, quem peccatum esse prævidet? Cum melius videatur, hominem non condere, quam illi tribuere liberum arbitrium, quod in ejus perniciem verti potest. Igitur &c.

Respondetur, Deum Optimum quasdam morales peccatorum virtutes bonis temporalibus remunerari; probos autem viros quandoque exercere calamitatibus, ut virtutis eorum probatio habeatur. Permitit autem Deus peccata, ut sinat hominem pro libertate sua operari. At liberum arbitrium homini attribui, omnino consentaneum erat, ne videlicet homo aliorum dominus esset sui famulus, tum ut magis quam aliæ creaturæ sensibles, homo esset Deo similis; tum denique ut bona opera meritoria eliceret, Deo obsequium suum, & obedientiam exhiberet, æternamque sibi promereretur felicitatem. Nec debet Deus retractare concessum homini liberum arbitrium, eo quod abusum ipsius prævideat,

nam libertas per se se non ducit ad malum. Vide quæ diximus in 2. Logices parte, disp. 5.

Objicies 3. Fæcunditas est maxima perfectio. Ergo attribuenda est Divinæ Naturæ perfectissimæ. Tum melius est, plures esse Deos, quam unum; quia tunc haberentur plura, & majora bona. Deinde si Deus esset solus, non esset perfecte beatus. Ergo &c.

Respondetur fœcunditatem, quæ Deorum pluralitatem præ se ferat, nullatenus convenire posse Divinæ Naturæ: ut nostræ rationis evincunt. Si tamen Fidem consulamus, ex ea compertum est, in Divinis locum habere fœcunditatem Personarum in eadem numero natura. Et quidem hanc solam Deo possibilem esse intelligimus ratione per Fidem elevata, & illustrata. Duo reliqua locum obtinent in solo ente finito, quod cum in se ipso non habeat omne bonum, suam extra se felicitatem querit, & quod si se solo spectetur, imperfectionem præ se fert, nec plurium entium perfectionem adæquat. Proinde melius est, plura esse finita bona. At hæc de Ente infinito dici non possunt, quippe infinitum est Summum, cui nihil æquale, & quo nihil majus excogitari potest.

Objicies 4. Plura legimus à Diis Gentilium patrata miracula; multos depulsos, ac sanatos graviores, insanabilesque morbos; multa futura spiritu propheticō præcognita. Igitur &c.

Res.

Respondetur, vana esse decantata illa Idolorum portenta, quæ vel sine sufficienti probatione conscripta fuere, vel testibus firmata non idoneis, vel ab ipsis Gentilium Auctòribus in dubium revocata. Itaque ea omnia vel ficta fuere, vel, si aliqua ex parte veritatem obtinent, summæ Dæmonum industriae, ac pervicaciæ adscribenda sunt: quia non vere infirmos curabant, sed, ut ait Tertullianus in Apologetico adversus Gentes, *cum lèdere desinebant, curasse credebantur.* In Oraculis vero Dæmones ex conjecturis quidem nonnulla divinabant: ut plurimum tamen decipiebantur, & fallebant; quare sensibus amphibologicis, vocibusque æquivocis utebantur; unde & Cicero lib. 2. de Divinatione, eadem appellat flexiloqua, & obscura. De iis autem omnibus singillatim Theologi disserunt.

Colligit, in Divinis Litteris quosdam homines appellatos fuisse Deos: propter specialem illis attributam à Deo potestatem, aut auctoritatem necis, ac vitæ, vel quia cum missi essent à Deo, nomine, & auctoritate ipsius loquebantur, ejusque vices gerebant. Sed de his speciatim in Theologia disserimus.

Ex dictis infertur, Unitatem, seu singularitatem, nec non & Existentiā ipsam ad Divinæ Essentiæ formalem rationem pertinere: quod Scotus tradit in 1. d. 2. q. 2. & d. 4. q. 1. & in 3. d. 22. Cum enim

Divina Essentia summam imbibat perfectionem essentialē, & Omnipotētia ex se se pluralitatem excludat, manifestum est, Divinæ Essentiæ notionem præ se ferre Singularitatem. Existentiā quoque idem omnino est cum Divina Essentia. Nam si esset modus illius, utique ab eadem dimanare inteligeretur, quippe ab alio non est. Porro id ne cogitatione quidem assequi possumus. Qui enim fieri potest, ut Essentia, prout abstrahit ab existentiā, & re ipsa non est, sit, & concipiatur fons, & origo alterius. Igitur &c.

Dices. Quæcumque in suis conceptibus formalibus abstractissimis non se includunt, in nullo se se includunt. Porro essentia, & existentiā in sua ratione formalī non se includunt. Alioquin existentiā pertineret etiam ad essentiam creaturæ. Ergo neque se includunt in Deo. Ergo existentiā non pertinet ad rationem formalem Divinæ Essentiæ. Hinc Scotus in 1. d. 8. q. 4. hac ratione probat, Sapientiam, & Bonitatem in Deo distinguiformaliter. Quemadmodum igitur ens, quod est commune Deo, & Creaturæ, eodem modo illis convenit, & ad utriusque essentiam pertinet; ita existentiā, quæ & ipsa est iisdem communis, sicuti non est de essentia creaturæ, ita nec erit de essentia Dei.

Respondetur, æquivocationem haberi in illo nomine *Essentia*. Etenim vel Essentia accepitur pro-

completa rei natura, vel solam rationem entis præ se fert? Si primum, exposita ratiocinatio omnino inanis est. Quippe licet differentia specifica rei sit indivisibilis, tamen cujusque rei natura pluribus prædicatis constare intelligitur, unde conceptus quosdam in una re præ se fert, quos non habet in alia essentialiter, ac specifice diversa. Ita profecto essentia hominis continet rationalitatem, & non essentia bruti. Proinde argumentum propositum quatuor terminis componeretur, nam essentia primum ut abstrahens virtute intellectus spectaretur: tum postea veluti determinata, nimirum ut Dei est. Quod ipsum evidenter appareat in hominis, & bruti essentia, si illis ratiocinationem aptemus. Jam si dicatur secundum, optimum est equidem argumentum, & nos fatemur, diversam esse in Deo rationem Entis ab Existentiâ; quo modo alia est ratio *formalis* Sapientiæ, alia Bonitatis. Quamobrem concessò primo Syllogismo, negamus alteram consequentiam. Quemadmodum enim non est legitima ratiocinatio: *Animalitas ex se se non includit rationalitatem*, Ergo *homo non includit in suo conceptu formaliter rationalitatem*; Ita non licet sic ratiocinari: *Essentia ex se se minime includit existentiâ*, Ergo *Deus non includit in suo conceptu formaliter existentiâ*. Multa enim ad essentiam attinent inferioris, quæ non continentur;

in notione prædicati superioris.

Argumentum autem Subiilis Doctoris vim suam obtinet; Sapientiamque Dei ab illius Bonitate distingui evincit: quo modo concedimus rationem entis, & rationem existentiæ invicem distinguiri etiam in Deo. Neque omnia prædicata, quæ communia sunt, etiam codem omnino modo conveniunt inferioribus. Nam commune id est, quod pluribus indifferens esse intelligitur, sive *essentialiter*, sive *accidentaliter* illis conveniat. Existentiâ autem creaturæ habet unde originem suam trahere possit, quin à creata essentia profluat, nempe Deum ipsum. Iccirco allata probatio nostra vim non habet respectu creaturæ.

Colligite, effectum formalem Singularitatis aliud non esse, nisi immultiplicabilitatem, seu indivisibilitatem, quæ cum pertineat ad notionem Divinæ Essentiæ, rite dicimus, eamdem esse ex se se singularem. Secus ac contingit in aliis attributis, ut in Sapientia, quæ non solam præ se fert exclusionem ignorantiae, sed positivam attribuit denominationem intelligentis: & ideo licet Divina Essentia ex se se excludat ignorantiam, non tamen est ex se se *formaliter* sapiens.

QUÆS.

QUÆSTIO TERTIA.

Quinam sit proprius, ac peculiaris character Divine Essentia? Ubi de Attributis Dei.

Quum Deus sit pelagus immensus omnium perfectionum, investigare nitimur, quinam sit peculiaris, propriusque Divinæ Essentiae character. Nimirum inquirimus inter tot prædicta, quæ de Deo dicuntur, principale, ac præcipuum, ex quo cetera, tanquam ex fonte, profluere intelliguntur, & quo primaria Dei notio, & ex notione ducta appellatio continetur. Scotistæ communiori voto characterem Divinæ Essentiae in Asseitate constituunt, sive in Existentiâ à se, quatenus perfecta est, & omnimoda. Aliis placet id attribuere Infinitati. Utramque vero vel *actualiter*, vel *apitudinaliter*, vel *radicaliter* considerari posse plerique docent, atque in una, vel altera earum *radicaliter* accepta differentiam Dei constituunt. Quæ facile intelligitur ex iis, quæ diximus, in 2. Logices parte, disp. 4. q. 3. de *Perseitate*. Thomistæ characterem Dei in vi intelligendi, aut in ipsa intellectione situm esse arbitrantur. Plerique demum collectione perfectionum omnium illum definitiunt.

Dicimus, proprium ac peculiaris characterem Divinæ Essentiae characterem esse omnimodam Asseitatem.

Probatur. Prædicatum illud est differentia Dei, & proprius ac peculiaris character Divinæ Essentiae, quod primum est, ac cæterarum Dei proprietatum, seu perfectionum radix, fons, & origo, & quod Divinam Essentiam ab omnialio discernit. Atqui Asseitas omnimoda est hujusmodi. Ergo &c. Minor probatur. Creaturæ sunt ab alio. Attributa Divina ab essentia diminant, tanquam à radice. Relationes Divinae, & Personæ ab alio sunt, tanquam ab origine, & principio: ut Filius à Patre, Spiritus Sanctus à Patre, & Filio. Atque adeo perfecta, & omnimoda Asseitas solius Divinæ Essentiae propria est. Immo vero hoc ipso quia omnimoda est, nullum aliud prædicatum se ipsa prius in Deo supponit. Hoc enim vel est à se: quod intendimus; vel ab alio: quod falsum est: vel abstractum à Deo, & Creatura, & profecto non intelligitur esse proprium Dei. Denum Asseitas est radix omnium perfectionum, quæ sunt in Deo; atque per ipsam hæc omnes possunt à priori demonstrari. Etenim ideo Deus est ens necessarium, quia à se ipso est: quemadmodum Creatura, cum sit ab alio, contingens est. Ideo Deus est actus purissimus, omnem excludens potentialitatem, & est exterior, quia est à se; si enim esse ab alio, posset produci in tempore, & carere aliqua perfectione. Ipsa etiam infinitas, & illimitatio in-

om-

omni genere ideo convenit Deo, quia est à se : Quod sic ostendo. Ens necessarium, & prorsus independens limitari non potest , nec restringi ad certas quasdam perfections. A quo enim restringeretur ? An à se ? Sed illud absurde diceretur. Ens quippe necessarium, & independens, tantum est, quantum esse potest : & nemo potest limitare se ipsum, aut se aliqua privare perfectione, cum nemo possit non amare se ipsum. An ab alio? Sed nullum agnoscit ens se superiorius. Igitur siccirco Deus est ens perfectissimum, & infinitum, quia est ens à se existens : quemadmodum esse ab alio , quod est proprium Creaturæ constitutivum, est ipsa radix limitationis, & imperfectionum omnium.

Hinc vero apparet characterem Dei non esse Infinitatem, quia hæc per Asseitatem probatur , veluti per caussam. Tum Infinitas est modus , atque adeo supponit id , cuius est modus, sive naturam ipsam, & perfectionem. Evincitur etiam, Scotistas quosdam abuti terminis, dum primum Dei constitutivum appellant : *Infinitatem radicalem*. Quippe manifestum est , latente ultima rei differentiam , hanc circumscribi , & definiti oportere per radicem intimioris proprietatis, quæ nempe non per aliam probatur, sed alias à priori demonstrandas inservit. Porro Infinitas ipsa *aptitudinalis*, seu *formalis* per Asseitatem demonstratur. Ergo Dei Essen-

tia non jam per *radicalem Infinitatem* circumscribi debet, sed potius per Asseitatem , quam Deo intimorem esse , inde etiam colligi potest , quia nemo unquam dixit, possibilem esse creaturam à se, cum tamen plures Philosophi possibilem admittant creaturam infinitam in essentia.

Ex iis autem, quæ de *Perseitate Substantiæ* in Logica docuimus, sequitur , *Asseitatem radicalem* superfluere, & solam sufficiere *Asseitatem formalem* , seu *aptitudinalem*, nam hæc quidpiam est absolutum, & ad se, nec ad aliud refertur.

Infertur etiam ex allata probatione , nec vim intelligendi , nec intellectiōnem ipsam esse characterem Divinæ Essentiæ. Quippe intellectio est essentialiter operatio, seu exercitium facultatis cognoscitivæ , & hæc ipsa facultatis seu vis intelligendi est principium operandi ; atque adeo supponunt naturam, cui convenient , nam operari sequitur esse , & principium operandi supponit principium essendi ; proindeque non sunt primum Divinæ Essentiæ prædicatum, nec constituunt characterem illius. Unde nec illarum ope Deus distinguitur ab Angelis, & ab Anima rationali. Quod si quis contendat , intellectiōnem id munēris exhibere , quia est à se , & infinita ; is profecto in voce litem constituit , & infinitatem ipsam, vel Asseitatem re ipsa habet veluti differentiam Dei.

Illi vero, qui pérfectionum omnium collectionem ajunt esse Divinæ Essentiæ differentiam, nec sat satis consulunt infirmitati nostræ, nec præsentis quæstionis sensum attingunt. Siquidem nunc specialem illam Dei perfectionem investigare intendimus, ex qua, velut ex radice, aliæ omnes fluant, & sequantur. Specialis porro perfectio expresse non est omnis, & quælibet perfectio. Sed & cum quis dicit aggregatum omnium perfectionum, eo ipso generatim tantummodo, ac confuse omnes concipit: qua ratione etiam Asseitas eas continet; non vero singulas manifeste, ac distincte. Neque enim fieri potest, ut in hac mortali vita, ubi per speculum, & in enigmate ambulamus, clare, expresse, ac distincte omnes, & singulas Dei perspectas habeamus.

Objicies. Deus est essentialiter vivens, vita nimirum intellectiva, quæ sola convenit Deo; est etiam actus purissimus, ac perfectissimus: atque adeo constitui debet per prædicatum perfectissimum, cuiusmodi est vis intelligendi. Hinc solus homo ad imaginem Dei est, licet omnes creaturæ convenient cum Deo per existentiam, quæ proximiior est asseitati. Deinde homo, ut creatura præ se fert abilitatem; ut homo, rationalitatem. Ergo Deus, ut in creatus, dicit asseitatem, ut Deus, vim intelligendi infinitam.

Respondetur ad primum, Di-

vinam Naturam ex se ipsa, & ex sua ratione formalis esse viventem radicaliter, quatenus vim habet exigendi intellectum ipsum: per quem redditur formaliter vivens. Cum autem ipsa Dei Essentia sit pelagus omnium perfectionum, de reali quidem, & re ipsa omnes perfectiones habet; sed in suo conceputu formalis eas solum præ se fert perfectiones, quæ pertinent ad ordinem essendi, minime vero illas, quæ principium sunt operandi, cuiusmodi est vis intellectiva. Atamen semper constituitur per actum perfectissimum in ordine essendi, nempe per Asseitatem, quæ est perfectior intellectu. Est etiam actus purissimus; nullam quippe potentialitatem præ se fert, cum perfectiones omnes identitate perfectissima contineat.

Ad secundum. Creatura rationalis, ut homo non appellatur imago Dei, quia cum eo in pluribus prædicatis, aut in uno peculiari convenient; etenim hoc sensu quælibet creatura est imago Dei. Itaque homo ad imaginem Dei est, quia Deum ipsum imitatur in operationibus, quas per intellectum, memoriam, & voluntatem efficit.

Ad tertium. Discrimen ex eo apparet, quia ratio essendi ab alio, seu *Abilitas* non valet distinguere hominem ab omni alia re. Asseitas autem Deum ab omni alio secernit.

Colligitur. Deum non esse à se positive, nec quodammodo præstare res

respectu sui ipsius, quod caussa efficiens respectu sui effectus. Paradoxum hoc docuit Cartesius, in *responsione ad primas objectiones*, quamquam illud postea retractaverit. Gilbertus quoque Porretanus olim docuit, Deum esse ex Divinitate, & Divinitatem facere Deum: ut scribit Sanct. Bernardus, sermonc 8o. in Cantica. At naturalis ratio evidenter demonstrat, caussam efficientem necessario debere realiter distingui ab effectu suo. Unde S. Augustinus, lib. 1. de Trinitate, c. 1. ait: *Nulla res omnino est, que se ipsam gigavit, ut sit.* Quemadmodum ergo Divinitas à se esse dicitur, quin altera ejusdem caussa admittatur, & progrediamur in infinitum, ita dicendum est, Deum esse à se negative, non positive. Quamquam asseitas ipsa sit absolutum, & positivum prædicatum: ut diximus.

Colligate 2. Rationem naturalem evincere, Deum non esse corpus, sed simplicem omnino spiritum. Cum enim Deus sit ens perfectissimum, & corpus ac corporeum omnem spiritu, ac mente multo deterius sit, ac ignobilius palam fit, Deum esse purum spiritū. Deinde si Deus aut corpus esset, aut corpus haberet, esset in eo majus quidpiam, & minus, quia totum parte, & pars aliqua minori est parte major: quod in Deum perfectissimum cadere non potest, qui & individuus est, atque *unissimus* merito appellatur. Simplex etiam est Deus; ne illa sit in illo imperfectio, aut ratio partis

Res autem simplex semper est perfectior re composita, quando continent eminentia quadam, & potestate quidquid in rebus compositis certinatur, quomodo etiam Angelus corporatis omnibus perfectior est. At ex adverso elementa, & materia sunt compositis deteriora, quia non continent ista *virtualiter*, nec eorum effectus præstare valent. Corporeæ autem appellations in divinis Litteris de Deo enuntiantur tantummodo per tropum, & metaphoram: quatenus ille virtute sua id præstat, quod corporeis instrumentis non exequimur.

Nunc de præcipuis Dei attributis, seu perfectionibus per pauca summatim dicturi sumus. Et primo quidem *Immutabilis* est Deus. Cum enim sit à se, atque summus unus, & simplex, nulli mutationi locum sacre potest: ut optime ratiocinatur Scotus in 1. d. 8. quæst. 5. Et cum infinita polleat virtute, valet unico cognitionis, aut volitionis actu ea omnia præstare, quæ nos distinctis actibus finitis exhibemus. Sed neque mutationi morali effingi potest obnoxius. Nam cum jam ab æterno omnia cognoverit, voluntas ejus infinite provida, & sollicita circa res futuras, omnia tunc decrevisse dicenda est, ne defectus providentiae aut negligentiae nota Deo inuratur. Si quando igitur dicitur Deus sententiam suam mutasse, humano loquendi more hæc accipienda sunt, nec aliud indicant, nisi effectuum mutationem, in quibus di-

diversa intelligitur terminatio divinæ voluntatis, unde & novæ de Deo dicuntur denominationes extrinsecæ. Libertas autem Dei indifferentiam præ se fert, non ad actus oppositos, qui in nobis propter finitatem necessarii sunt, sed ad opposita objecta: quatenus, Deus potest creaturem velle, aut nolle, si ve ad eas se se quodammodo diffundere, vel eas nullatenus respicere: prout activa indifferentia suæ voluntatis se se determinat.

Immensus etiam est Deus, & ubique diffusus, non sola efficientia, & cognitione, sed etiam substantia sua: ut Divinæ Litteræ, & SS. Patres aperte docent: quod Theologi probant. Id quoque naturalis demonstrat ratio, cum ejusmodi Immensitas sit perfectio simpliciter, nec ullam in conceptu suo imperfectionem præ se ferat; proinde Deo perfectissimo non est deneganda. Neque Divina Majestas vilesceret, si Deus in antro Scrabæi, aliisque obscenis in locis reperiretur: ut nugatur Erasmus. Quemadmodum enim Sol non polluitur, nec coquinatur, nec lucem suam amittit, ac pulchritudinem, etsi foeda, & abominanda loca collustret; ita, & quidem à *foriori*, dicendum est de substantia Dei, quia omnia creavit, conservat, & intuetur. Quia vero, ut docuimus in 2. Logices parte, disp. 4. quæst. 4. extensio alia est *circumscriptiva*, quæ & *formalis* dicitur, altera autem *definitiva*; quæ etiam appellatur *virtualis*; substantia Dei

Tom. I.

non est extensa priore modo, qui proprius est corpori, sed posteriore sensu, & Deus totus est in toto mundo, ac totus in qualibet mundi parte. *Est ergo Deus* (ait optime S. Augustinus in ep. 187. alias 57.) *per cuncta diffusus... non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius; atque ita per totum totus; sed & in solo celo totus, & in sola terra totus, & nullo contentus loco, sed in se ipso ubique totus.* Hinc porro validissimum ducitur argumentum adversus Cartesianos, qui extensionem universim acceptam ajunt esse corporis essentiam, Deumque sola operatione immensum faciunt.

In iis autem spatiis, quæ extra mundum intelligimus, & imaginaria nominamus, quod re vera nihil sint, nec existentia, Deus non est re ipsa præsens, quemadmodum nec præsens est re ipsa possibilibus rebus, nec divina æternitas actualiter coexistit rebus futuris, & nunc minime existentibus. Est itaque Deus repræsens substantia sua superficie convexæ cælorum, & præsens fieri posset creaturis in illis spatiis, si ibi eas conderet.

Animadvertere etiam lubet, Thomistas fateri Divinam Substantiam vere diffusam esse ubique, quamvis contendant Deum ubique esse ratione suæ operationis. At divina operatio, ut bene docet Scotus in 1. d. 37. nec est ratio, ut a-

Pp junt

junt formalis , nec est ratio fundamentalis , vi cuius Deus sit substantia sua ubique. Alia enim perfectio est Dei Omnipotentia , per quam operatur ; alia immensitas , per quam diffunditur ; atque hoc ipsum intelligere possumus , etiam ab illo abstrahentes ; hinc Deus naturaliter fit præsens creaturis , quas tamen libere efficit , ac conservat. Fatemur tamen , ex Dei operatione velut à concomitantibus , & connexis , rite probari Divinæ Substantiæ immensitatem. Quia enim Deus in omni perfectionum genere debet esse infinitus , quemadmodum operatur in omnibus tanquam Omnipotens , ita omnibus inexistit tanquam Immensus. Sed & immensitas Dei , ipsius Omnipotentiam probat , quoniam ut creaturæ fiant Deo præsentes , necessaria præsupponitur operatio Dei easdem producens.

Æternus pariter est Deus , quantum initio , & fine caret , nec unquam desinere potest , atque omnino independens est. *Æternitas* enim , ut ait Boetius , lib. 5. de Consolatione Philosophiae , est in terminabilis vite tota simul , & perfecta posessio. Cum igitur Deus sit Summum Magnum , ab æterno extitit. A se ipso Deus est , adeoque æternus , nam quod à se vivit , ex æterno , & in æternum vivit ; se ipsum enim deserere non potest.

Omnisciens quoque Deus est. Quod ex iis evincitur , quæ diximus in 2. Logices partes , disp. 5. Cum autem possibilia omnia sint omni-

non in se se indeterminata , & semper aliud , & aliud accipiendum esse præse ferant , iccirco , ut sunt , à Deo cognoscuntur collectim , ac confuse. Sed Dei cognitio clara est in se se , & distincta , ex parte actus , & ratione objectivi motivi , quod est Divina Essentia : ut alias diximus. Possibilia quoque Deus necessario cognoscit , quia vis cognoscendi naturalis est ; non tamen debet illa amare efficaciter , nam voluntas libertate gaudet. Malum vero , cum sit defectus , & privatio boni , dicitur cognosci à Deo indirecte , & ex contrarietate , quam habet cum bono : quo modo dicimus tenebras videre , quia lucem non intuemur.

Onnipotens à priori probatur Deus ex hucusque declaratis , atque ex ipsius natura , quæ infinita pollere debet virtute ad quodcumque non repugnat producendum. Sed & à posteriori etiam demonstratur , quia de nihilo condidit omnia , eaque continet , ac conservat. *Onnipotens* est autem , ut optimenotat Sanct. Augustinus , lib. 5. de Civitate Dei , cap. 10. faciendo quidquid vult , non patiendo quod non vult ; & ideo mori non potest , nec aliud quidquam pati. Eadem ratione mentiri non potest Deus , aut peccare. Sed impossible istud , ut scribit Sanct. Ambrosius , Annotatione in Numerum ad Chromatium , non infirmatis est , sed virtutis , & majestatis , quia veritas non recipit mendacium , nec

Dei virtus levitatis errorem.

Providentia etiam summa pollet Deus, & entia prorsus omnia, vilissima licet, ac abjectissima regit, & gubernat. Quod quidem ex ipsis omnipotentia colligitur, tum ex communi hominum voce, qui Deum optimum, ac justissimum prædicant; tum ex mundi hujus structura, & constanti rerum adspetabilium compage, quæ principem esse caussam demonstrant, quæ omnia cognoscit, ac disponit: nam his duobus Providentia continetur. Neque negotiosus esset Deus, si omnia regeret; ut epicurus somniabat; nam infinita ipsius virtus ubique diffunditur, & eodem momento pervadit omnia, ea que in sua habet potestate, nec alterius indiget adjumento: secus ac creaturæ contingit, quæ finita cum sit, & circumscripta, in operando confusione patitur, & defatigationem. Cur autem Deus peccata permittat, in præc. quæst. declaravimus, ubi etiam nulla esse in Physicis mala diximus.

Providentia autem, & virtute sua concurrit Deus immediate ad omnes, & singulos creaturarum effectus, non vero solum mediate, quatenus vim efficiendi creaturis attribuerit, eamdemque in illis conservat. Et sane ea est Divinæ Providentiæ efficacia, & excellentia, ut quidquid in hoc mundo est, ab ipsa essentialiter pendeat. Unde non solae caussæ, sed earum etiam effectus omnes tali subsunt per se

se dominio Dei. Ergo non sola caussa est immediate à Deo, sed etiam effectus. Et quemadmodum caussa creata existere non potest, nisi Deo conservante; ita operari nequit, nisi Deo cooperante. Hinc Sanct. Augustinus in lib. 5. de Genesi ad litteram, cap. 20. contrariam opinionem rejicit, dicens: *Sunt enim, qui arbitrantur tantummodo mundum ipsum factum à Deo: certa jam fieri in ipso mundo, sicut ille ordinavit, & jussit; Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini: Pater meus usque modo operatur.*

Placet Thomistis, Concursum hunc immediatum Dei præ se ferre qualitatem physicam creaturis à Deo impressam, quam nominant *Physicam Præmotionem*: vi cuius Deus applicat, & determinat causas secundas, sive naturales, sive liberas, ad operandum. Hæc autem *Physica Præmotio* supponit *Decretum Antecedens*, atque ab illo oritur. At nostra sententia est, hujuscemodi *Physicam Præmotionem* omnino supervacanem esse in causis naturalibus, quæ ex sui natura determinatae sunt ad operandum. Sufficit enim illis concomitans Dei Concursus, & decretum generale Dei, quo voluit Deus naturales caussas, vel ex sui natura, vel ex concursu aliarum caussarum, aut ex circumstantiis determinatas, debere necessario operari. At in causis liberis censemus, hanc *Physicam Præmotionem* officere carum liber-

tati. Quippe prædeterminando illas ad unam contradictionis partem, earum tollit indifferentiam; & cum illa Præmotio sit à solo Deo, nec sit in nostra potestate, atque per se se cum operatione connectatur, ipsa quoque operatio in nostra potestate non erit. Nam in cuius potestate non est *antecedens*, nec in ejus potestate est *consequens* necessario connexum cum *antecedenti*. Vide quæ diximus in fine disputationis quintæ, in secunda Logiees parte.

Creatura autem in his duobus tantum est essentialiter subordinata Deo; primo, quia non potest operari, nisi per virtutem sibi à Deo attributam; secundo, quia non operatur, nisi cooperante Deo. Unde & ipsa determinatio creatæ voluntatis est à Deo, non quidem prædeterminante, sed cooperante; & voluntas nostra, cum ob sui perfectionem sit actiue indifferens, se ipsam determinat, simul concurrente Deo. Concorsus autem Dei non est indeterminatus, sed determinatus, ratione Decreti sui Concomitantis: de quo diximus in citato Logices loco.

Objicies 1. Si Deus immediate concurreret ad quamlibet actionem, & effectum creaturarum, esset auctor peccati. Hoc absurdum est, Ergo &c. Sequela majoris probatur. Deus immediate etiam concurreret ad a tum, quo creatura quandoque Deum ipsum odit, ho-

micidium patrat, aut alia facinora. Igitur &c.

Confirmatur. Creata voluntas, quæ immadiate facit actiones à lege prohibitas, dicitur auctor peccati: Tum qui peccatum fieri non prohibet, velle peccatum dicitur. Atqui Deus immediate faceret actiones à lege prohibitas, & impeditre posset peccata, concursum suum subtrahendo. Ergo, cum id non præstet, ipse quoque habendus esset auctor peccati.

Respondeatur. Nego majorem. Ad probationem, distinguo antecedens. Deus immadiate concurreret, ex primaria voluntate, & intentione, nego: voluntate, consequenti, & præter intentionem, concedo antecedens, & nego consequiam. Itaque Deus cum primo decreverit, sinere caussas secundas suos motus agere; ac pro libito operari, iccireo paravit omnibus concursum suum, velut generalis rerum Provisor. Non tamen ex voluntate primaria, & ex intentione ad acciones malas concurrerit, sed præter intentionem, & voluntate consequenti, qua permittit peccatum fieri, ne libertatem offendat creaturarum, & ne retrahet decretum generale, quo liberum illis concessit arbitrium. Hinc Deus prohibuit peccata, media administrat omnibus sufficiencia ad peccatum evitandum, & apud Isaiam c. 43. conqueritur, se à peccatore adigi, ut illius serviat iniquitatibus. *Servire (ait) me fe-*
cis-

cisti peccatis tuis. At homo , cum peccat, ex intentione actionem ipsam efficit , quam lex vetat ; non quia homo malum velit , ut malum, sed quia malum vult sub specie sensibilis boni. Tenetur etiam homo ex Divina Lege impedire peccata , cum ipse non sit generalis rerum Provisor. Atque a deo homo merito dicitur peccati auctor. Quæ omnia locum in Deo non habent.

Instabis. Ergo si Deus præter intentionem concurrit ad actiones malas, jam creatura cogeret Deum ad illa opera efficienda. Hoc autem repugnat Divinæ omnipotencie. Igitur Deus nullo modo immediate concurrit.

Respondetur. Nego consequentiam. Itaque determinatur Deus, non à virtute creaturæ , aut potestate ; sed à decreto generali , quo voluit ipse, pro suæ voluntatis beneplacito , caussis secundis suum administrare concursum.

Objicies 2. Divina perfectio quam maxime commendari debet. Porro si Deus creaturam sic insti tuat , ut illa per se se valeat operari , quin ipse immediate concurrat , magis celebraretur divina perfectio. Quenadmodum majori dignus laude est Artifex , qui condere valeat horologium motibus suis exhibendis ideoneum sine Artificis præsentia, & operatione. Ergo saltem satis probabile est, Deum non concurrere immediate &c.

Confirmatur. Creaturæ talem

attribui vim , non repugnat. Deus enim ex se se omnia potest. Illa porro creatura à Deo suam existentiam haberet , & vim ; atque subinde semper ab illo penderet. Igitur &c.

Respondetur , supremum Dei dominium tum in caussas secundas, cum in earum effectus , maxime commendari ex concurso immediato. Divina tamen perfectio non est eo usque celebranda , ut impossibilia effici posse dicamus. Porro omnino est impossibilis creatura , quæ agere valeat sine immediato Dei concursu. Quippe cum hæc sit essentialiter finita, & limitata in quœcumque genere , sicuti in essendo pendet immediate à Deo ; ita ab illo pendere etiam debet immediate in operando. Ex dictis autem manifestum est discrimen inter creatum Artificem, & Deum. Etenim ille cum sit finitus , & circumscripatus, defatigaretur , si semper horologii motus deberet efficere , nec alia tunc opera præstare posset. Sed hæc locum non habent in Deo infinito.

Objicies 3. Caussæ secundæ vel majorem, vel aequalem saltem habent perfectionem, ac affecta ipsa ab illis producibilia. Ergo superfluit omnino immediatus Dei concurrus.

Respondetur , caussam creatam perfectam esse ex se ipsa in ordine caussæ secundæ , in quo genere potest appellari totalis. Tamen cum sit Deo essentialiter sub-

or-

ordinata , necessario dependet ab illo in suis operationibus , atque adeo requirit concursum immediatum Dei , quem Deus exhibet , non ut caussa particularis effectuum , sed ut Provisor generalis.

Instabis . Vel Deus eadem actione attingit effectum , vel distincta ? Non primum , quia eadem numero actio non potest esse à pluribus caassis distinctis . Non secundum , quia Divina actio ex se se impotens , ac sufficiens esset , nec creatura essentialiter subordinaretur Deo in sua actione . Ergo omnino superfluit &c.

Respondetur , Deum operari actione distincta , Dei autem actio , & actio creaturæ simul esse intelligentur tempore , quamvis illa sit ista perfectior . Quod si Deus vellet , utique se solo posset effecta producere , unde non indiget actione creaturæ . Placuit tamen Deo , ob suam liberalitatem summam , ac bonitatem , caussam quoque secundam secum cooperantem admittere . Istius porro subordinatio in eo sita est , quod per acceptam à Deo virtutem operatur , & non nisi Deo concurrente effecta sua producere potest .

DISPUTATIO SECUNDA.

De Angelis.

QUÆSTIO UNICA.

Utrum Existentia Angelorum probari possit naturali ratione.

A Ngelorum nomine substantias quasdam significamus spirituales , immortales , ratione , intelligentiaque præditas , & corporibus non adjunctas , finitas tamen , & creatas . Eorum existentiam ex Sacris Litteris certo certius agnoscimus . Quod vero ad rationem naturalem attinet , ex eo demonstrationis genere , quam à priori nominant , nulla profecto nobis ratio suppetit , qua Angelorum existentiam colligere valeamus . Quippe quod pro suæ voluntatis arbitrio Deus potuit eos creare , aut non creare . Plato & Aristoteles Angelorum existentiam argumentando collegere , maxime cœlestium ex orbium motu , quorum conversionibus ad perpetuitatem incitandis , ac gubernandis præesse docuerunt absolutas à corporum concretione Substantias , quas separatas vocant . Sed hæc ipsa ratiocinatio non satis firma est , aut probabilis . Nam etsi res ita se haberet indubium tamen est , non id necessario fieri . At Deum ipsum per se se , hoc est ,

voluntate sua movere corpora cælestia , probabilius nobis est. Nunc igitur inquirendum manet , utrum aliqua occurrere possit ratio à posteriori , cuius ope Angelorum Existentiam assequi possimus.

Dicimus , plausibili satis , probabilique ratione , Angelorum existentiam colligi.

Probatur. Multa mirabilia effecta recensentur tum à Magis , tum ab Energumenis , seu Arreptitiis præstata , quæ naturalis eorum vires excedunt. Cujusmodi sunt , ad præsentiam saxorum , & statuæ , responsa de rebus petitis proferre ; in speculis , & aqua res absentes repræsentare ; revelare occultissima ; enuntiare quæ contingunt in remotissimis locis ; momento tempestates excitare ; domo egredi januis clausis ; loqui linguis peregrinis , nullo usu , nullave disciplina comparatis. Horum porro effectuum aptior , ac commodior nulla potest haberi caussa , nisi Angelus , sive Substantia ab omni concretione materiæ libera , cuius ea sit vis , ut caussas naturales distinet per noscat , & eas quandoque applicare , ac movere sciat ; quandoque etiam per se se mirabiles effectus illos exhibeat. Et sane Magorum opera , nefaria plerumque , ac turpissima , atque in hominum perniciem , & Dei injuriam patrata , Deum habere autorem non possunt. Unde ad invocationem Divini Numinis frequenter in fumos abiisse Magorum

conatus , eorumque maleficia dissoluta fuisse legimus. Sed nec quis affirmare poterit effectus illos ab Animabus à corpore separatis esse repetendos : cum in id nulla sufficiens ratio præsto sit , nec anima videatur posse movere corpus , nisi eidem intime copuletur ; est enim illius forma non assistens , sed informans : ut declaravimus in 3. Physics parte , disp. 1. quæst. 2. Nullum etiam suppetit nobis indicium tantæ in anima virtutis , quanta ad eos effectus requiriatur. Quare dicendum potius est , ex effectis illis Angelorum , seu Dæmonum existentiam colligi. Quam etiam confirmat Veterum Sapientum , etsi Ethnicorum , c onensus.

Objicies. Effecta , quæ adspicimus in iis , qui divino spiraculo instigari dicuntur , aut spiritu lymphatico infervescunt , ex naturali imtemperie proveniunt. Adeo ut gravis melancolia sit habenda origo eorum mirabilium , quæ in Energumenis contingunt. Ita docet Aristoteles sect. 3. Problematum , q. 1.

Respondetur , hac in parte longe à vero exorbitare Aristotelem. Certum quippe est , hominem infirmum , & imbecillum , quacumque alteratione per melancoliam , aut alios humores facta , non posse perite loqui peregrino idiomate sibi antea ignoto ; nec quæ procul aguntur , certo referre ; nec alia exequi , quæ Energumeni so-

lito præstant. Proinde fateri nos oportet, Energumenum agitari aliquo spiritu, quia aliunde illa noverit, & exequi possit.

Instabis. Ille, qui Energumenus dicitur, incidere potuit in eam imaginationis temperiem, qualis linguarum peregrinarum Institutores affecti tunc erant, cum eas in usum vocarent, & instituerent. Itaque nullo exterius agitante spiritu, ipse homo idiomate peregrino, & prius ignoto loqui poterit.

Confirmatur primo. Ea potest esse interdum humoris biliosi dessecatio, & igneus vigor, ut organorum ruditatem, & tarditatem solvens, jam linquat liberum animum, & velut ab organis solutum: quo fiet, ut veritatem quamlibet sensibus imperviam, & sibi prius ignotam detegat, aperiatque: quemadmodum aliquando contingit æstuante febri laborantibus, qui dum animi evagationem patiuntur, mira interdum proferunt, & ignoto sibi prius idiomate sensa exprimunt.

Confirmatur 2. Contingit haud raro, Energumenos ad certas Lunæ periodos acrius torqueri: quod sane indicium est, eos vitiate tantum humore laborare. Igitur nulla pene est prior illa ratiocinatio pro Angelorum existentia.

Respondetur, illam qualemcumque humoris temperiem nullum habere commercium cum cuiuscumque vocis prolatione, &

significatione; siquidem nos eas voces formamus; prout volumus, & per eas significati notitiam accipimus, non obstante varia humoris nostri temperie. Quare illa Energumeni idiomatum peregrinorum locutio non provenit ex ejus humorum affectione. Addimus etiam, cujusque idiomatis institutionis plures fuisse, idque diversis temporibus nunc haec, nunc illa vocabula ad unum, vel alterum objectum significandum usurpando. Iccirco variam indicarent humorum temperiem, quam nullus hominum simul referre potest.

Ad primam Confirmationem. Adeo stricta, & tenax est Animæ rationalis cum sensuum organis colligatio, ut nisi vel prorsus à corpore solvatur, vel illam Deus per extasim edoceat, quidquam absque sensuum beneficio non valeat percipere: quemadmodum continuata omnium hominum sæculo quovis experientia testatur. Quidquid ergo in contrarium de febricitantibus interdum decantatur à quibusdam Medicis, figuramentum prorsus, ac anilem fabulam ducet omnis, qui infirmos frequentare consuevit. Quamquam in illis, ob phantasiæ, seu imaginationis perturbationem, incomposita locutio, & rerum inordinata expressio habeatur: fere ut contingit in somniis.

Ad secundam. Mirum profecto non est, ad diversas Lunæ

pe-

periodos Energumenos varie affici. Cum enim ipsis insidens spiritus nequam eos torqueat per acerbam humorum affectionem, facilius in eos rabiem implet, cum humores nimium aut redundant, aut deficiunt. Ceterum assueta hæc videtur Dæmonum astutia, ut sub aliis creaturis lateant; quatenus nempe non sibi, sed externæ alteri causæ morbi acerbitas attribuatur, dum ad causæ illius variam dispositionem varius itidem appetet effectus. Animadvertisimus tamen, Lunæ influxum illum à plerisque in dubium revocari: quemadmodum etiam plerisque effectus mirabiles, quorum causa Dæmon habetur, à caussis procedere naturalibus. Sed de his dicendum nobis erit in Physica.

Ex mirabilibus enarratis effectibus manifestum fit, Angelos intelligentia præditos esse, ac libertate, adeoque esse Spiritus. Neque tamen spiritu, & corpore constant, alioquin penetrari non possent, nec tot efficere portenta. Ex antiquis autem Patribus pauci corporatos Angelos putavere. Communior eorum assertio Angelicam Substantiam omnino spiritualem tradit, quamquam plerique corporatos illos dixerint, quatenus finitam, circumscriptamque habent naturam, nec sunt omnino simplices, sed qualitatibus aliis, atque aliis afficiuntur, quæ naturæ ac substantiæ extrin-

secus affusæ, ad eam adhærescant: Vide quæ dicturi sumus disp. seq. quæst. 1. in sol. ad ob. 3.

Ita sane Angeli perficiunt notitiis suis, & donis Dei operationibusque suis realiter ab ipsis substantia discretis. Hoc enim peculiare habet Deus, ut non sit bonus, justus, sciens, ex accidenti qualitate; sed bonitas, justitia, & scientia sit, si proprie loquamur. Ceteræ vero res omnes iis affectæ qualitatibus, denominationem ab illis accipiunt. Quo argumento sæpe utuntur Patres, ut Filii, ac Spiritus Sancti Divinitatem adstruant. (Vide quæstionem 7. disp. seq.) Quamobrem Angeli sunt vere mutabiles, adjectione suarum operationum, & ornamentorum. Non tamen Angeli boni ita mutantur re ipsa, ut nos; habitusque permanentes habent, quos à prima origine indidit illis Deus, unde substantiales hoc sensu appellantur à Dionysio Areopagita c. 7. Hierarchie Cœlestis, & à Maximo ejus Interpretate, quod nempe divino beneficio constanter in illis maneant, ac velut in naturam transierint.

Angelos subinde invincibiles esse tenemus, cum omni materia careant; atque adeo ex sui natura immortales esse colligimus: maxime cum sint per se se subsistentes, nec ad corpus ullum ordinentur. Quamquam possint à Deo destrui, proindeque illius etiam gratia in æternum serventur. Vide

disputationis sequentis quæstionem secundam.

Omnigenam quoque rerum scientiam Deum Angelis ab origine indidisse, sicut de Adamo alias diximus, vel ipsa Angelorum dignitas, tum summa Optimi Conditoris bonitas ostendit. Quamquam quod ad singulas res, seu individua ipsa spectat, non omnium impressæ illis species videri possint, sed ex rebus ipsis acceptæ. Futura etiam libera, & arcana cordium non pernoscent, nisi Deo revelante. Nihilominus ex indiciis, ac signis, externisque commotionibus, quæ in corpus ex animo redundant, occultas hominum cogitationes Angeli divinando colligunt. Atque hoc tantum sensu gloriari potuit *Oraculi Pythici Daemonium*, idque jactare, quod Tertullianus lib. de Oratione c. 13. refert: *Et mutum intelligo, & non loquentem exaudio.*

Colloquuntur etiam Angeli, quatenus signo quadam spirituali unus alteri proprias cogitationes manifestat. Convenit pariter illis esse in loco, non circumscriptive, sed definitive; & successivo etiam motu moventur propter spatii, seu loci divisibilitatem. Sua autem essentia, sive substantia sunt in loco, non vero per solam operationem. Vide quæ diximus de Dei Immensitate.

Postremo denegandum minime videtur, Angelos aliquando assumere vera corpora, eaque loco

moveare posse. Quamquam vitales sensitivas operationes exercere in illis non possint, quippe iste prærequirunt, ut caussam sui veram corporis formam: cujusmodi non possunt esse Angeli. Hoc enim est eorum ab Anima rationali discrimen; quod illi sunt substantiae completæ, nec ordinantur ex sui natura ad informandum corpus, quemadmodum anima rationalis: ut in 3. *Physics* parte, disp. 1. q. 2. Persæpe tamen Dæmones, non assumptis corporibus, apparent hominibus velut corporati, & eorum sensibus illudunt.

DISPUTATIO TERTIA.

De Anima Rationali.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum Anima rationalis sit spiritalis, & indivisibilis?

Anima rationalis rectissime describitur à S. Augustino in libro de Quantitate animæ, c. 13. est substantia quadam, rationis particeps, regendo corpori accommodata. Anima itaque rationalis considerari potest tum in se se, tum ut ad corpus refertur. Posteriori hoc sensu de ea disseremus in 3. *Physics* parte; nunc eamdem in se se contemplari nitemur, naturam ejus assequi, virtutes, & habitus, quæ per se se nequaquam sensibilia sunt, unde Metaphysicæ con-

considerationi habentur subjecta.

Porro decretis Fidei sancitum est, *Animam humanam esse incorpoream, immortalemque substancialiam, quæ non ex Divina Essentia, aut ex caelesti domicilio prius existens deducatur, sed quæ creetur ex nihilo, ac multiplicetur pro numero corporum.* Ita decreverunt Catholicæ Ecclesiæ Concilia, Bracarense I. Lateranense IV. sub Innocencio III. Viennense sub Clemente V. & Lateranense V. sub Leone X. Hinc falsitatis convincitur Tertulliani, aliorumque Veterum opinio, qui ex semine corporeo rationales animas propagari autumabant. Quod idem evidens ratio demonstrat. Nam materiale non potest attingere productionem rei spiritualis. Nulla quoque specifica advenitur proportio inter materialem semen, & animam rationalem, quæ spiritualis est. Quare & nulla illius est in Animam efficientia. Creatur ergo Anima rationalis ab ipso Deo, nec à materia educitur, quoniam ab illa minime pendet, ut postea probabimus.

Philosophorum autem veterum de essentia Animæ rationalis sententiae ad duo supra magna capita reducuntur. Alii enim animam hominis divisibilem esse & corpoream putavere. Aristoteles vero eamdem indivisibilem, & incorpoream, seu spiritualem constituit: ut distincte recenset Tullius lib. I. Tuscul. Quæst. Quid igitur sta-

tuendum sit, impræsentiarum inquirimus.

Dicimus, *Animam rationalem esse spiritualem; atque adeo invisibilem.*

Probatur 1. Divinarum Litterarum auctoritate. Eclesiastes cap. ult. ait: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et Luke, 23. dicebat Christus: *In manus tuas commendō spiritum meum.* Igitur anima rationalis est spiritualis. Quare veritatem hanc definit *Concilium Lateranense IV. in capit. Firmiter, dicens, naturam humanam esse constitutam ex Spiritu, & Corpore.*

Probatur 2. ratione, ex Doctori in 4. d. 43. qu. 2. Effectus, qui ab anima rationali præstantur, manifeste ostendunt eamdem esse spiritualem. Etenim anima res à materia abstractissimas contemplatur; nedum singularia, verum etiam universalia: possibilia quoque, & impossibilia: entia, & negationes entium: materialia, & spiritualia: Deum quoque ipsum cognoscit; super actus suos etiam reflectit; ex una in aliam notitiam ratiocinando promovet; & operationes istas independenter ab organo corporis effective producit, facultatesque ab illo independentes habet. Cum itaque modus operandi nequeat esse perfectior modo essendi, quem consequitur; dicendum manet, *rationalem animam esse incorpoream, seu spiritualem: atque adeo parti-*

bus omnibus carere, & indivisi-
bilem esse. *Cogitare enim* (ut ex
Aristotele ajebat laudatus Cicero)
& *providere*, & *discere*, & *do-
cere*, & *invenire* aliquid, & tam
multa alia meminisse; *amare*, *odi-
se*, *cupere*, *timere*, *angri*, *letari*,
& *similia rerum*; atque ut idem
Cicero dicebat in Catone, *Tanta
celeritas animorum*, *tanta memo-
ria præteriorum*, *futurorumque
providentia*; *tot artes*, *tanta sci-
entia*, *tot inventa*; *Tanta denique
spiritualium rerum cognitio*, *qua-
lis in anima reperitur*, *nulli cor-
poreæ*, *concretæque substantiæ
convenire potest*.

Confirmatur, quia *materiale at-
tingere nequit perceptione sua res
spirituales*: nec *accidens spirituale*,
qualis est cognitio, *recipi potest in
subjecto materiali*, & *divisibili*: ut
probabimus in 1. *Physices* parte,
disp. 5. quæst. 4. & 6. Atqui *ani-
ma rationalis percipit res spiritua-
les*, & *in se recipit suas cognitio-
nes spirituales*. Ergo non *materi-
alis*, sed *spiritualis* est.

Objicies 1. *Anima rationalis in
suis operationibus pendet à corpo-
reis organis*. Quippe *rerum idea*æ
non sint *ingenitæ*: ut dicturi su-
mus in quæst. 8. Hinc lasso cere-
bro, aut imaginatione, ut in amen-
tibus; vel oppressa, ut in dor-
mientibus, operationes intellecti-
væ cessant. Hinc *anima in solo ca-
pite potest intelligere*, quia ibi
tantummodo reperit organum ap-
pum ad intelligentum. Igitur

*anima, cum habeat potentias or-
ganicas*, est *materialis*.

Respondetur ex dictis in Disserta-
tione Proemiali in Philosophiam
Universam, q. 3. in sol. ad ob. 1.
*animam rationalem non dependere
à sensibus corporis*, *velut à causa
partiali*, *suarum operationum*, *aut
quasi ab organo*, *quo eadem illæ
efficiantur*, *aut exerceantur*: *sed
unice pendere à sensibus corporis*,
tanquam à nunciis, & *ministris*.
Quod quidem evidenter ab expe-
rientialia ostenditur. Nam illæ po-
tentiaæ, quæ *materiales sunt*, &
organicae, *debilitato organo lan-
guescent*, atque à vehementi sen-
sibili lœduntur. Ita contingit visi-
væ potentiaæ in Senibus, & in con-
spicientibus lucem Solarem. Porro
intellectus, *corpore languente*,
magis viget: ut in Senibus com-
pertum est, qui prudentiores sunt
juvenilebus, & sapientiores. A per-
fectissimo quoque intelligibili in-
tellectus perficitur, & roboratur:
ut ex Dei visione. Rursus sine or-
ganis permanet in anima separata,
& *spiritualia ipsa percipit*. Non ergo
*intellectus est potentia organi-
ca*, & *materialis*.

At pro hoc præsenti statu *Ani-
ma conjuncta corpori ab illius sen-
sibus dependet*, ut operetur: qua-
tenus supponit objecta per sensus
suo modo enuntiari. *Intellectus*
enim & *phantasia* nunc *talem ha-
bent in suis operationibus conne-
xionem*, ut *intellectus superior
operari nequeat sine famulatu phan-*

tasiæ inferioris. Hinc fit, ut læso organo impedianter ab extrinseco operationes intellectivæ. Hinc fit, animam in solo capite intelligere, quia in solo capite phantasmata reperiuntur, & organa illa, quorum operationem supponit anima, ut intelligat. Hinc oritur oblivio: ex deletione videlicet specierum phantasticarum à memoria sensitiva, à qua in suis operationibus memoria intellectiva animæ dependet, quamvis ipsius species, ut pote spirituales, indelebiles sint prorsus, & incorruptibles.

Hæc autem dependentia Animæ à corpore, non ex natura ipsius intellectus derivatur, quippe separata sine corpore intelligit; neque ex unione cum corporeo nam in patria Anima corpori unita intelligit sine illa dependentia: quod idem in statu innocentia verum erat, quamvis corpus tunc immortale non esset. Originalis itaque culpa merito habetur caussa hujus dependentia. Unde S. Augustinus lib. 15. de Trinitate, c. 27. de luce illa loquens, quæ ostendit, spiritualia, & corporalia esse diversa, inquit: *Qua caussa est, cur aie fixa ipsam lucem videre non possis, nisi utique infirmitas? Et quid tibi eam fecit, nisi iniquitas?* Quamquam possit hoc concedi animæ, prout forma est corporis, quod in statu conjunctionis connaturalius dependenter ab illo operetur in rerum materialium perceptionem.

Objicies 2. Incorporeum, & indivisibile nullam habet proportionem cum corpore divisibili. Ergo si anima rationalis est incorporea, & indivisibilis, nullam haberet cum corpore divisibili proportionem; atque adeo non ordinaretur ad corpus. Sed nec recipi posset in corpore divisibili, & extenso, nisi ipsa sit divisibilis, & extensa. Nam, ut fert commune proloquium, *quid recipitur, ad modum recipientis recipitur.* Rursus si anima non est divisibilis, expendi nullatenus posset, qua ratione potuerint aliqui, absciso capite, se se mouere, & verba proferre. Videtur ergo dicendum, animam esse materialem, & divisibilem.

Respondetur, inter animam, & corpus haberi eam proportionem, quam *objectivam* nominant; in ratione nimirum actus, & potentiarum, hoc est, perfectivi, & perfectibilis, quamvis non convenienter in *entitate*. Ita Materia, & Forma; Substantia, & Accidens; Idea, & Objectum assimilantur *objective*, non *entitative*. Neque ulla major proportio necessaria est inter animam quæ est forma corporis, & corpus, quod est animæ subjectum. Illa porro proportio non repugnat inter materiale, & spirituale.

Potest etiam anima indivisibilis recipi in corpore divisibili. Ad hoc enim sufficit, ut anima ipsa sit divisibilis *virtualiter*: quo modo se habet Angelus respectu loci, & Deus respectu Universi. Quare

si conceditur expositum prolo-
quium , nihil aliud significare po-
test , nisi omne illud , quod reci-
pitur , ad modum recipientis re-
cipi , vel *formaliter* , vel *virtu-*
littere.

Motus vero ille , ac locutio post
capitis detrunctionem , quando-
que divina in Sanctis virtute con-
tigit : uti de S. Dionysio Areopa-
gita legimus , eumdem abscissum
sibi caput substulisse , & suis mani-
bus in alterum locum deportasse .
Quandoque autem naturaliter eve-
nit : immediate tamen post capitis
detrunctionem , & parvo admodum
tempore perdurat . Illius por-
ro caussa non est anima ipsa , quæ
ibi amplius non est , sed sunt spi-
ritus animales , & vitales , qui
jam ante capitis abscissionem , vir-
tute animæ excitati , & commoti ,
conceptum impetum brevi illo
temporis spatio retinent .

Objicies tertio ex Lockio . Po-
tuit Deus substantiæ corporeæ tri-
buere vim intelligendi spiritualia .
Ergo seclusa revelatione non de-
monstratur animam nostram esse
spiritualem . Consequentia evidens
est . Nam si Deus pro arbitrio po-
tuit corpori nostro vim inteligen-
di clargiri , per lumen naturale
djudicare non possumus ; eumdem
potius voluisse , ut nobiliores ho-
minis operationes à substantia al-
tera corpori nostro copulata profi-
scantur . Probatur antecedens .
Omnipotens Dei virtus metienda
non est ex mentis nostræ imbecil-

litate . Ergo tametsi satis assequi
non valeamus : quomodo substan-
tia corporea pollere queat virtute
intelligendi , cuius nulla est neces-
saria connexio cum extensione , ni-
hilominus id Deo volente evenire
posse dicendum est : quemadmo-
dum multa sane alia Philosophi
omnes Deo esse possibilia fatentur ,
quæ mentis nostræ captum longe
superant . Et cum nulla nobis præ-
sto sit clara , distinctaque idea
substantiæ , non nisi temere quis
contendere potest , nullam inesse
vim cogitandi substantiæ extensæ .
Ergo &c .

Respondeatur . Nego antecedens .
Etenim , ut diximus in prima par-
te , disp. 3. quæst. 1. nihil detra-
hitur omnipotenti virtuti Dei , si
affirmemus , ea , quæ contradic-
tionem sapiunt , proindeque secum
ipsa repugnant , nullatenus effici
posse . Quamobrem cum operatio-
nes intellectuales , quas in nobis
experimur à corporis organo ef-
fici non possint , nec per illud
exerceantur , rite dicimus , impos-
sibile prorsus esse , ut à substantia
corporea profiscantur . Nec ope-
ratio sane perfectior esse potest ,
nobilioresque ordinis , ac sit caussa ,
à qua procedit . Itaque omnino re-
pugnat , corpus nostrum vi intelli-
gendi præditum esse ; substantiam
autem spiritualem corporeæ copu-
lari , nullam præ se fert contradic-
tionem , immo ideis nostris plane
consentaneum est . Ex effectibus
porro & caussarum naturam , &
sub-

substantiæ notionem assequimur, quantum sufficit, ut utributa ei-
dem convenientia ab iis secernamus, quæ ipsi repugnant. Hinc
Lockius ipse fatetur Deum esse substantiam, & quidem materiæ
expertem, atque omnino spiritua-
lem. Quamvis igitur longe multa
possit Deus, quæ mentis nostræ
captum excedunt, non tamen di-
cendus est ea etiam posse, quæ
impossibilia sunt, & manifeste
repugnat.

Objicies 4. Hilarius, commen-
tario in Matthæum, c. 5. num.
8. inquit: *Nihil est in substanciæ, quod non sit corporeum. Nam & animarum species, sive obtinientium corpora, sive corporibus exulanum, corpoream naturæ suæ substantiam sortiuntur.* Hieronymus in caput x. Matthæi, *animam esse corpoream*, ait, *non esse omnino negandum, sed modo so- lum illo crasso, quem in corpore nostro cernimus.* Laetantius, lib. 2. Institutionum, c. 10. postquam dixit, *substantiam ignis, calorem esse, & substantiam aquæ esse hu- morem addit, corporis materiam in humore esse, anima vero in ca- lore.* Clemens Alexandrinus lib. 1. in ep. 1. Petri scribit: *Anima hominis est corruptibilis, qua ge- neratur cum corpore.* Gregorius Nyssenus, in libro de Opificio hominis, c. 29. dicebat: *Anima hominis est in semine, licet ibi non appareat.* Augustinus in ep. 166. alias 28. c. 2. num. 4. ad

Hieronymum, animam rationalem appellat corpus, & approbat, eam ex traduce fieri. Sed & in Con- cilio Nicæno II. actione 5. ap- probata fuit Sententiam Joannis Episcopi Thessalonicensis asseren- tis, non solum animarum ratio- nalem; sed Angelos quoque esse corporeos, ex qua opinione col- ligebat ille, pium esse usum pingendi Angelos. Igitur anima rationalis non est spiritualis, sed corporea.

Respondetur, nomen *Corporis* bifariam posse usurpari. Etenim stricte quidem ac proprio id omni significat, quod materia con- stat, ac certa mole, figura, & magnitudine terminatum est, ac circumscriptum. Si vero in latiori accipiatur significatione, illud omne appellatur *Corpus*, quod reale est, ac subsistit, inanique, ac vacuo opponitur. Hoc poste- riori sensu plerique Veterum Deum ipsum *Corpus* esse dixerunt: ut Theologi ostendunt. Ita lau- dati Patres animam dicunt esse corpoream, quatenus reale quidi- piam est, ac se ipsa subsistit.

Hilarius autem corporeum ac- cipit pro eo, quod mutationi ob- noxiū est; addit enim *quia omne, quod creatum est, in aliquo sit necesse est.* Esse autem in aliquo, mutabilitatem præ se fert. Anima vero spiritualem esse discerte scribit in psalmum 129. num. 6. dicens: *Anima humana nihil in se habet corporale, nihil terrenum,*

nihil grave , nihil caducum . Hieronymus latiori significatione animam appellat corpoream : ut ipsius verba indicant . Laetantius subobscure loquitur , ut sui mos est . Exponitamen potest , quantum ad proprietates , & activam virtutem ; adeo ut anima dicatur esse in calore , quatenus activam habet virtutem nonnihil illi similem , quæ calori conceditur . Clementis Alexandrini germanum opus non esse Commentarium citatum , Eruditissimis consentiunt . Gregorii Nysseni sententia durior est : & cumdem eo errore tunc detentum fuisse prodit , cum nondum ab Ecclesia definita esset quæstio de animæ rationalis origine . At c . 15 . animam esse spiritualem diserte asserit : Neque enim (ait) Mens intra corpus est , quando rem corporis expertem corpore contineras non est . Augustinus non approbat opinionem illam , animamque appellat corpus in latiori significatione : proprio autem sensu incorpoream esse ibidem diserte scribit : si corpus non est , nisi quod per loci spatum aliqua longitudine , latitudine , altitudine , ita sistitur , vel movetur , ut maiore sui parte majorem locum occupet , & breviore breviorem , minusque sit in parte , quam in toto ; non est corpus Anima .

Eodem illo latiori sensu locutus est Joannes Episcopus laudatus . Etenim lecto Joannis loco , Tharasius Patriarcha , quid inde

consequens foret , colligens , inquit : Ostendit Pater , etiam Angelos oportere pingi , quoniam circumscripti sunt , & hominum specie multis apparuerunt . Sancta Synodus dixit : Etiam Domine . Quare Synodus id solum approbavit , quod , Tharasius ex Joannis oratione arripuit , nempe circumscriptos esse Angelos , & humana specie esse conspectos , ideoque fas illos pingere . De eorumdem autem corporibus nihil dicit .

QUÆSTIO SECUNDA .

Utrum Anima rationalis sit immortalis ? Et ratio naturalis non solum suadeat , verum etiam evidenter demonstret Anima rationalis immortalitatem ?

EPICURUS , Lucretius , aliqui Veteres Epicurei rationalem animam mortalem esse , & cum corpore interire , penitusque destrui arbitrabantur . Aliorum Philosophorum communis sensus animæ rationali inamortalitatem attribuit . Trifariani porro Immortalitas spectari potest . Vel enim præ se fert solam negationem actualis desitionis ; vel negationem dicit aptitudinalis desitionis ; vel etiam potentialis . Hoc posteriore modo intellecta Immortalitas solius est Dei propria : quo sensu de ipso Deo dicebat Apostolus in 1. ep. ad Timo-

motheum, cap. 6. *Qui solus habet immortalitatem*; quatenus Deus nec re ipsa desinit, nec aptitudinem habet ad desinendum, nec potentia ulla destrui potest. Primo autem sensu Immortalitas etiam corporibus convenire potest, nam Deus potest illa in æternum servare, quamvis ex sui natura in corruptionem propendeant ex coalescentia materiae, & formæ. Altero igitur modo Angelis propria est Immortalitas, quatenus divina quidem virtute destrui possunt, sed ex intrinseca natura sua ad corruptionem minime inclinantur, immo vero illorum naturæ desitio adversatur; unde solo indigent generali concursu Dei, ut permaneant, nec vi ulla creaturæ destrui possunt.

Quamobrem impræsentiarum inquirimus; Utrum rationalis anima sit immortalis: & quidem sola etiam ratione naturali spectata, unde expendere intendimus. An naturalis ratio probet hominis animam esse immortalem; & quænam vis insit argumentis à ratione naturali petitis.

Dicimus, Animam rationalem esse immortalem: rationem autem naturalem id ipsum suadere, non tamen certo, evidenterque demonstrare.

Probatur prima pars. Nihil frequentius utriusque Testamenti paginæ prædicant, quam rationalem animam esse immortalem. E quibus pauca quædam, velut di-

Tom. I.

cis caussa, delibabimus. Ita Sapientiæ c. 3. legimus: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Et Christus Dominus, Matthæi c. 10. dicebat: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus: animam autem non possunt occidere.* Sexcentisque pene aliis in locis Catholica Veritas ista elucet. Igitur anima rationalis est immortalis.

Facile autem est, ea Divinarum Litterarum testimonia explicare, quæ in speciem adversari evidentur. Velut cum, Geneseos c. 37. fratribus suis cogitantibus, ut interficerent Joseph, dixit Ruben. *Non interficiatis animam ejus.* Figurata est enim locutio per Synecochen, qua pars pro toto accipitur; & sensus est. Non interficiatis eum. Ecclesiastes autem, cum c. 2. ait, nihil amplius superesse homini post mortem de laboribus suis, de rebus temporalibus disserit; & c. 3. dum scribit: *Unus est interitus hominis, & jumentorum, & aqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius;* de homine loquitur secundum corporis conditionem: ut verba ipsa nemonstrant, & Hieronymus, aliique Patres interpretantur. At Sapiens c. 2. tantummodo verba impiorum refert, dum scribit: *Dixerunt enim cogitantes apud se non recte....ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tan-*

Rr

quam

quam non fuerimus; unde ipsa immortalitatem animæ confirmat, dum hanc impiorum cogitationem esse non rectam affirmat.

Objicies. Si anima post mortem permanet, cum sit forma corporis, atque exinde inclinationem habeat ad corpus; jam erit in statu violento. Nullum autem violentum perpetuum. Aliunde vero, cum anima sit *actus* corporis, semper deberet actu esse in corpore. Quod si dicatur, anima naturaliter extra corpus existere, jam mors esset eligibilior, quam vita, & natura ipsa mortem intenderet. Tum anima languet, corpore languente; coque vigente, viget. Rursus anima exhorret mortem: spe autem immortalitatis erecta deberet mortem libens aspicere. Demum ipsa anima à Deo datur propter corpus. Ergo non est immortalis.

Respondetur, hæc omnia, quæ Lucretius fusius exponit, & late exaggerat, nullius pene roboris esse. Etenim anima naturaliter existit separata à corpore. Quippe per se ipsam est, nec ab eo sustentatur, propriasque operatio- nes habet ex sui natura à corporis organis minime dependentes. Est autem anima *actus* corporis, seu perfectionem nata tribuere corpori: non tamen ipsum corpus semper actu, seu re ipsa perficit. Extra corpus anima perfectius exercet operationes sibi proprias. Inclinatur vero, ordi-

nemque dicit ad corpus: non quasi ab isto quidpiam accipiat; sed quatenus vitam illi communicare valet, unde connaturalius corpori immortali associatur, nec petit à corpore separari.

Illa porro diversa mutatio, quæ contingere videtur in anima, parteve ejus ratiocinante, quotiescumque varia est affectio corporis; ex organo corporis, & phantasia originem habet: quibus bene, vel male affectis, non anima ipsa aliquid patitur, sed illius dumtaxat functiones vigent, aut marcescunt: ut in præc. quæst. diximus. Quoniam vero anima ad corpus propendit, hinc mortem refugit, & exhorret, quamvis se morti superstitem, ac immortalis futuram certo noverit. Accedit etiam, quod cum futuræ vitæ, suæ sortis anima adhuc incerta sit, spemque inter, ac timorem miserrime torqueatur; infelicem futuræ vitæ statum verita, à corpore exire trepidat. Postremo animam, non propter solum corpus, sed propter se ipsum creavit Deus; unde imaginem suam illi concessit.

Probatur secunda pars, nempe naturalem rationem multiplici fundamento immortalitatem animæ rationalis non obscure suadere. Et primo quidem, Anima rationalis est spiritualis. Ergo etiam est immortalis. Consequentia probatur. Anima rationalis vi suæ spiritualitatis est à corpore indepen- dens,

dens, quantum ad operari: ut in præc. quæst. diximus. Igitur ab eo quoque independens est quoad esse; Operari enim sequitur esse. Porro id, quod independens est à corpore, nullatenus perit, eo destructo. Nulla quippe forma perit, nisi per expulsionem à subjecto, sine quo existere naturaliter non possit: ad hoc ipsum vero requiritur, ut ab illo essentialiter pendeat; siquidem nihil perit ex defectu ejus, à quo non pendet essentialiter. Igitur anima rationalis non perit, destructo corpore. Atque adeo est immortalis.

Secundo, Anima rationalis libertate gaudet. Ergo non dependet quoad existentiam à corpore; ideoque est immortalis. Consequentia probatur. Si anima rationalis esset corpori immersa, & ab eo dependens quoad existentiam, non esset libera. Igitur &c. Probatur antecedens. Si anima ita dependeret à corpore, ad corporis mutationem & ipsa necessario mutaretur; adeoque mores animi necessario consequerentur temperamentum corporis. Ita sensus, & sensitivi appetitus, quoniam materiales sunt, necessario trahuntur à materiæ mutatione. Deinde quod ab organo pendet, materiale est. Nullum materiale libertatem habet, sed necessario debet se se accommodare corporeis objectis, à quibus determinatur, nec aliud bonum respicit, nisi sensibile, nec

contra consuetudinem, & præter naturam operari potest, ideoque nec præmii, nec pœnæ capax est. Talis igitur esset anima rationalis: quibus omnibus humanitas ipsa funditus evertitur.

Tertio, Veritas ab omnibus gentibus concessa, pro certa habenda est. Atqui omnes pene gentes animam rationalem esse immortalē fatentur. Id sane nationum omnium Sapientes docuerunt, &, ut ait Seneca ep. 117. *consensus hominum* firmat, aut *timentium inferos*, aut *coletum*. Quæ omnia ex Historiis aperta fiunt, & manifesta. Hinc legum institutio, hinc tanta apud omnes posteritatis cura, hinc tot egregia pro patria, pro republica ab antiquis patrata facinora. Quæ omnia elegantissime persequitur Cicero in lib. Tuscul. Quæst. ubi de hoc ipso argumento fusissime disputat.

Quarto, Mundi hujus gubernatio justissimis Providentiæ legibus transigitur. *Entia enim nolunt male gubernari*: ut optime notat Aristoteles lib. 12. Met. Ergo anima hominis est immortalis. Consequentia probatur. Iniqua est gubernatio, qua vitia præmiis, virtutes suppliciis plectuntur. Contingit autem in hac vita sæpissime, ut scelus impiis feliciter cedat, piis vero virtus calamitose. Nisi ergo anima immortalis sit, & post mortem corporis perseveret, atque tunc pœnas, aut præmia prome-

rito accipiat , non recte Mundus gubernatur. Hinc unusquisque Deum esse justissimum Judicem vel solo naturalis luminis ductu cognoscit , & confitetur. Hoc argumentum extollunt SS. Patres, præsertim Joannes Chrysostomus, & Petrus Chrysologus.

Quinto , Fortitudo, quæ terribilia , mortemque pro patria contemnit, honestissima est, præmioque digna. Porro si anima mortalis esset, ea fortitudo vitium esset, & imperfectio , nec præmium ullum haberet. Igitur anima est immortalis. Minor probatur. Nulla tunc es- set felicitas, nisi in hac vita. Porro fortitudo illa vitam aufert, adeoque omnem adimeret felicitatem. Ergo non virtus esset , & perfectio, sed vitium.

Sexto, omne ens habet suum finem sibi à natura constitutum , in quo perfectissime quiescit, delectatur , & beatitudinem suam assequitur. Anima nostra finem hunc in hac vita nequaquam obtinet, quippe in nullo quiescit creato bono. Ergo vitam aliam concedere oportet , in qua finem suum anima nostra assequi possit. Et sane naturaliter cognoscimus, beatitudinem nostram debere esse sempiternam. Si enim homo moriens beatitudinem amitteret , aut eam amitteret volens, aut nolens? Si volens, quomodo beata est illa vita , quam noluit , qui eam habebat. Jam enim non esset summum bonum amabile. Si nolens , deberet semper homo

pertimescere , ne eam perdat: atque ita semper tristari. Nec dicere fas est , hominem indifferenter illam respicere , quippe tunc maximum suum bonum negligenter. Quæ ratiocinatio est Augustini lib. 13. de Trinitate. Igitur &c.

Probatur tertia pars. Etsi naturalis ratio immortalitatem rationalis animæ plurimum suadeat, atque docilem , & bene institutum animum convincat , tamen ut recte scribit Subtilis Doctor in 4. d. 43. q. 2. camdem non demonstrat certo, & evidenter, adeo ut Epicureus ita convinci possit , ut veritatem hanc ex corde , & ingenuo fateatur. Hinc purus Philosophus singulis allatis rationum momentis tales potest adhibere responsiones, quæ vel eorum vim evacuent , vel difficile queant improbari, aut certo, & evidenter falsitatis convinci. Sane Cicero , libro citato Tuscul. Quæst. cum sua in præsens argumentum fundamenta expositurus esset, probabilitatis multum iis inesse sentiebat, evidentiam attribuere non audebat. Ea, ut potero, scribit, explicabo : nec tamen quasi Pythius Apollo , certa ut sint , & fixa, quæ dixerim, sed ut homunculus unus è multis , probabilita conjectura sequens. Ultra enim quo progreditur, quam ut verisimilia videam , non habeo. Quare cum jam rationum momenta declarasset, dicenti Auditori suo : Sed me nemo de Immortalitate depellet, cum Cicero sic responderet: Laudo id quidem ; etsi nihil nimis opor-

oportet confidere. Movemur enim sepe aliquo acute concluso: laudamus, mutamusque sententiam clarioribus etiam in rebus. In his enim est aliqua obscuritas. Sed & S. Augustin. postquam lib. 13 de Trinitate, cap. 8. scriperat, omnes cupere beatam vitam, adeoque sempiternam, statim addit: Si fides adsit, que inest eis, quibus dedit potestasem Jesus filios Dei fieri, nulla questio est. Humanis quippe argumentationibus hec invenire connantes, vix pauci magno prædicti ingenio, abundantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditæ, ad indagandam solius animæ immortalitatem pervenire potuerunt. Vides, ut S. Doctor ostendit, se non agnoscere in rationibus naturalibus vim evidenter demonstrationis pro animæ immortalitate? Quippe vis illa communis est omnibus, nec adeo difficultatibus obsepta est, ut magnam ingenii præstantiam exquirat, magnumque connatum ad sui assensionem.

Itaque prima illa ratio ex animæ spiritualitate, & independentia à corpore, suadet quidem, animam esse immortalem, demonstrat quoque, animam rationalem non posse vera corruptione desinere, quoniam ista alterationem qualitatum, & mutationem rei materialis in objecto præ se fert. At nequaquam certo, & evidenter ostendit, animam rationalem re ipsa ad corporis deficitiam non destrui per subtractionem divini concursus conservantis: quod Philosophus evenire posse

contenderet. Quippe quemadmodum anima, etsi spiritualis, etsi à corpore independens, non creatur à Deo, nisi quando corpus debitam habet dispositionem, & organizationem: ita putaret Philosophus ille, animam à Deo non conservari, nisi in corpore. Ordinem porro istum conservationis ex ordine illo creationis colligeret; unde utrumque repeteret, vel ab ipsa natura animæ, vel saltem à lege, quam præfixam à Deo judicaret. Idem reponeret Philosophus, si argumentum duceretur ex animæ rationalis indivisibilitate.

Secunda quoque ratio à libertate ducta, ex opinione illius Philosophi, probat solam animæ spiritualitatem, ejusdemque evincit independentiam à corpore tanquam ab organo; quapropter anima non determinatur ab objecto sensibili, sed bonum respicit spirituale. At quemadmodum hæc eadem non evincunt, animam creari sine corpore, ita nec demonstrant evidenter, animam sine corpore conservari. Rursus hæc probant, animam vera corruptione destrui non posse; sed non demonstrant, eam minime desinere per subtractionem divini concursus conservantis. Multo minus probant invicte, animam ex sui natura petere, ut sine corpore conservetur, sicut non ostendunt, animam ex sui natura petere, ut sine corpore creetur.

Tertium rationis momentum

pru-

prudentem hominem ad assensum inclinat. Sed Philosophum non latet, tot ex Epicureorum secta homines, tot etiam alios populos, non continuo acquievisse aliis hominibus animam immortalem esse affirmantibus. Philosophum itidem non latet, plerosque Veterum, præstantes alioquin ingenio, & scientia eruditos, de animi humani immortalitate reliquise dubia scriptra, atque hac in re hæsisse ancipites. Quapropter hisce notitiis permotus dubitaret Philosophus ille; atque adeo, licet probabilem judicaret aliorum hominum sententiam, non tamen ex illorum consensione devictum se esse sentiret, ut illorum opinioni certo subscriberet, firmiterque adhæreret. Cetera, quæ adjecimus, diceret Philosophus ex naturæ instinctu evenire, ut propagatio filiorum in brutis etiam contingit; vel ex præconcepta satis probabili spe immortalitatis; vel ex gloriofæ, quamdiu hic vivitur, captandæ ambitione; vel ex usitato nationum more.

Quartum argumentum ceteris verisimilius videtur; quamquam & illud vim demonstrationis non assequatur. Neque enim naturali ratione perspicuum est, unum extare Rectorem hominum, secundum leges justitiae retribuentem, & punientem, ut admittamus autem, Deum pro meritis & præmia bonis, & malis pœnas rependere; maxima etiam improborum vindicta est culpæ turpitudo ipsa, cruciatus

animi, conscientiæque flagellum: quemadmodum non exigua merces, & præmium est fructus ipse virtutis, quo mirifice delectantur probi. Unde illud S. Augustini, lib. 1. Confessionum, c. 12. *Jussisti (Domine) & sic est, ut, pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.* Hinc virtutis amore bona esse facienda, & mala vitari oportere ex ipso odio vitii, recta etiam indicat ratio. Ad hæc, Deus quæcumque bona opera ab hominibus fiunt, ex liberrima voluntatis suæ beneficentia præmiis coronat. Nam & illa ab hominibus poterat expetere, creationis, & conservationis titulo quin alterum illis præmium in vita immortali proponeret. Quem admodum certe contigisset, si Deus hominem in statu naturæ puræ condidisset, eum scilicet ad æternam imdebitam gloriam minime elevando: qua in hypotesi profecto nulla futuri boni spe potuisset homo erigi ad recte facta, nec in miseriis solatium ex illa repetere, nec æterni futuri mali timore à peccatis deterreri. Est & altera responsio, quæ Stoicorum esse videtur. Referente enim Cicerone, lib. citat. *Stoici ajunt: Animas manere, è corpore cum excesserint, sed non semper.* Qua, re posset quis respondere, animam quidem ex sui conditione non petere, ut post corpus servetur: voluisse tamen Deum, ex suæ voluntatis beneplacito eamdem aliquo tempore post mortem conservare, ut præmia bonis operibus elar-

elargiatur, aut malorum vindictam sumat. His autem pro merito expletis, cessaret postea Deus à conservatione animæ, quoniam nihil amplius expostularet, animam diutius conservari. Non diffitemur quidem, nullum improbis frænum adhiberi, si anima mortalis constituantur, quando illi peccati turpitudine, conscientiæque stimulis non commoveantur. Sed nos non dicimus, animam esse mortalem. Id unice intendimus, illius immortalitatem evidenter demonstrari non posse.

Quintæ rationi purus Philosophus occurreret ex iis, quæ paulo ante diximus. Ipsa enim recte facti conscientia, & virtutis delectatio, præmium esset illius fortitudinis, qua quis mortem pro Patria obiret.

Sexta tandem ratio sic dissolvetur. Omne ens in suo fine quiescit, quemadmodum est illi possibile. Porro Philosophus arbitraretur, animam nostram quiescere in contemplatione abstractiva substantiarum separatarum, seu spiritualium, in veritatis naturalis assecutione, & in directione suarum operationum juxta regulas Ethicæ. Neque alia beatitudo naturaliter cognoscitur possibilis. Visio enim intuitiva Dei, & beatifica inter illa mysteria à Theologis enumeratur, quæ ratione naturali nec possibilia possunt demonstrari, nec impossibilia. Hinc Philosophus ille volens amitteret sempiternam beatitudinem, quia eam non cognosceret sibi esse pos-

sibilem. Augustinus autem de iis loquitur: qui animæ jam tenent immortalitatem, unde exoptant semper beatæ vivere. Naturalis vero ratio non ostendit Philosopho, vitam hanc esse sibi possibilem, tanto minus futuram. Ceterum maxima animadversione notandum est, naturalem rationem non probare animam rationalem esse mortalem, sed ejus potius immortalitatem non obscure suadere, quamvis ipsam non demonstret certo, & evidenter. Quod ipsum in aliis Fidei nostræ Mysteriis contingit, quæ per naturalem rationem nec evidenter probari possunt, nec evidenter refelli. Hinc Concilium Lateranense V. damnavit quosdam Philosophos, qui cum animam rationalem ex fide immortalem esse profiterentur, ex principiis tamen Philosophiæ mortalem ostendi opinabantur.

Objicies t. Anima rationalis est per se subsistens. Ergo est immortalis. Tum Angeli sunt immortales. Ergo etiam anima rationalis. Eadem enim utrisque convenient prædicata. Tertio quilibet homo naturaliter petit semperesse, atque Deum, clare & distincte intueri. Quarto finem suum anima nostra nunquam in hac vita consequitur. Cum enim intellectum habeat, & voluntatem infinitæ capacitatibus, terminum suum in nulla obtinet creatura. Lucta etiam, quæ semper in hac vita inter animam, & potentias sensitivas viget, ejusdem quiete-

quietem, felicitatemque tolli. Igitur altera concedenda est vita, in qua suum finem, & quietem anima obtineat.

Respondetur. Animam re ipsa non esse secundum se subsistentem completa subsistentia. Est ergo subsistens ex se hoc tantum sensu, quatenus per se est, ac propriam habet existentiam: quo modo aliæ substanciales formæ per se se subsistentes sunt, sed non stricto, & proprio sensu, juxta quem Subsistens completae connotat naturam: ut diximus in ultima quæstione 1. patris. At ex hoc ipso purus Philosophus judicaret male subinferri animæ immortalitatem. Quemadmodum enim, his non obstantibus, anima non nisi in corpore creatur, ita non nisi in corpore eamdem à Deo conservari opinaretur Philosophus ille. Nec eamdem ipse putat habendam esse rationem de Angeli, & de anima; Quippe Angeli non præ se ferunt ordinem ad corpus corruptibile, unde & se solis creantur, omnimodoque completi sunt.

Si quod tertio opponitur; vim haberet, probaret etiam corpus esse immortale, quia rerum omnium natura ad semper existendum, per se se inclinatur. Possibilitas autem beatificæ visionis purum Philosophum latet. Anima etiam nostra ex Philosophi illius mente habet in hac vita ultimum suum finem naturalem, ut jam diximus. Quare Philosophus ille ne-

gat, mentem nostram præditam esse capacitate vere infinita. Lucta demum cum sensibus non admitt naturalem felicitatem; hæc enim tollitur à solo dominio sensus supra Rationem.

Objicies 2. Apostolus ep. 1. ad Cor. c. 25. ait: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Rursus David querelam illam, quæ contra Dei Providentiam ab iniquorum prosperitate, & justorum calamitate depromitur, expediri non posse existimat, nisi ad fines honorum, & malorum referatur, hoc est, ad novissima, quæ probos, improbosque manerent: *Mei,* inquit psal. 72. *moti sunt pedes, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videntes...* Existimabam, ut cognoscerem hoc: *labor est ante me, donec intelligam in novissimis eorum. Quomodo facili sunt in desolationem &c.* Præterea restrictum valde facimus Deum, qui suis id solum in mercedis loco numeret, quod animo æquo, immo vero etiam gaudenti, ac libenti servierunt. Spem certe futuri tollimus, quæ sola virtutibus calcaria addit; atque si hæc bonis in Republica desit, pessimisque metus omnis pœnæ, futuræque vindicationis auferatur, Civitas non dico bene morata, sed ne esse quidem poterit. Igitur evidens est demonstratio, quarto loco superius proposita ratio pro animæ immoralitate. Ita Canus l. 12. c. 14.

Con-

Confirmari id ipsum potest ex Gassendo. Si virtus sola sit sibi dignum, justumque, & idoneum præmium, Princeps honorem jure non poterit exigere ob Rempublicam rite administratam; neque miles stipendum ob dimicationem strenuam; neque operarius mercedem ob exquisitam operam. Haud enim æquum est quid exigere præter meritam, congruamque mercedem. Idem de vitio dicas. Sed hæc quam maxima sunt absurdæ. Igitur &c.

Confirmatur 2. ex eodem. Nemo, dum prave agit, id solum veretur, ne vitium sibi sit tortor, sed meruit præterea infamiam, carceres, tormenta, & crues. Quare & hæc potius, quam ipsummet vitium, congrua vitio supplicia sunt. Alioquin enim iniquæ forent leges, à quibus, præter pœnam congruam, istæ præterea irrogantur. Igitur &c.

Respondetur in primis, purum Philosophum nihil commoveri posse ab illis auctoritatibus, quarum vis ex fide dicitur. Quoniam vero Canus testimonia illa Scoto opponit, quasi subinferatur ex illis, Catholicum Virum non posse asseverare, nullas esse demonstrativas rationes pro animæ immortalitate; Videamus, quæso, an rite concludat. Itaque S. Paulus laudato loco non loquitur de animæ immortalitate, sed de futura mortuorum resurrectione, quam quidam Corinthii negabant, & quam

Tom. I.

ibidem ex professo probare intendit Apostolus, & multis argumentis adstruit ex Fide petitis. Unde & antea dicebat: *Nam si mortui non resurgent, neque Christus resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, vanæ est fides vestra; abduc enim estis in peccatis vestris. Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum &c.* Porro nemo hinc profecto colligere poterit, non licere Catholico Viro asseverare, mortuorum resurrectionem nulla posse evidentiatione demonstrari futuram cum S. Augustinus lib. 13. de Trinitate, c. 9. scribat, eamdem auctoritate, non ratione teneri. Fidelium igitur spem erigit Apostolus ex ipsa Fide; & quosdam resurrectionem mortuorum negantes eo optime deducit, ut cogantur fatari, miserabiliores esse Christianos ceteris hominibus; primo quidem quoniam & istis spes quædam interat futuræ vitæ, quamquam verana beatitudinem non agnoscerent; secundo quia christiani laboris, & tribulationis nullus relinquitur fructus, cum tamen lex naturæ hujuscemodi opera minime præcipiat.

Ad secundam S. Scripturæ sententiam. Plenam certe, & perfectam quæstionis illius enodationem merito David expectandam dicit ab hominum novissimis: quod & nos fatemur. Phiosophus tamen puris naturalibus innixus ignorat plenam hujuscemodi dubii, perfectamque solutionem esse possibi-

Ss lem;

Item; unde reputaret, quiescendum esse in una, vel altera earum responsum, quas sub illius persona exhibuimus. Nam lumen rationis naturalis uberiorem questionis dissolutionem minime demonstrat expetendam, aut expectandam esse.

Ad rationem adjunctam. Illud in primis animadvertisimus, non solam animæ immortalitatem, verum etiam corporum resurrectionem, probari futuram ex argumento, si robur obtineret; quippe non sola anima, sed etiam corpus labores pro Deo sustinuit. Accedat ea, quæ supra retulimus §. Quartum argumentum &c. Nisque enim necessarium est, ut præmii æterni spes alliciat hominem ad virtutis sequelam, aut pœnæ æternæ metus eundem à vitiis abstinere doceat. Quippe virtus se ipsa magna bonum est, & amplectendum; vitiumque magnum est se ipso malum, & fugiendum. Unde in statu puræ naturæ non alia virtutibus fuissent calcaria, nisi contemplatio ipsa bonitatis in virtute contentæ, & delectatio ab illius executione proveniens: idemque suo modo de vicio dicas. Nec aliis certe momentis homines moveri posse Philosophus ille judicaret. Deus autem non-ne pro libito præmia servis suis elargitur? Non-ne titulo creationis, & conservationis bona opera ab hominibus merito posset exposcere?

Ad 1. Confirmationem. Crea-

vare, tum virtutis amore, tum id ipsum exigente Deo titulo creationis, & conservationis; & ideo nullum virtuti hominum debetur exterrum præmium. Ita & Princeps, cum teneatur Rempublicam rite administrare, immerito aliud præmium prudentis administrationis expeteret. Quamquam honorem ratione dignitatis debitum sibi à Republica, repetere ab illa valeat. At miles, & operarius, si indebita faciunt, possunt etiam ulteriora exposcere præmia.

Ad secundam. Temporales utique pœnas, Deo auctore, vitiis deberi fateretur purus Philosophus: quibus pœnis & mala plectantur; & mali deterreantur. Alterius autem vitae mala pertimescenda esse, non certo Philosophus judicaret; & si qui illa verentur, ex probabili solum opinione in id perduci reputaret. Immo vero potius non alias esse pœnas vitiis constitutas opinaretur, quia leges fixere vitiis pœnas temporales, & leges ipsæ à Deo derivantur.

Colligit 1. Purum Philosophum non inficiaturum, animam rationalem à Deo anihilari, quemadmodum eam creari fatebitur. Creatio autem, & anihilatio naturaliter habentur impossibiles, quatenus ab agente creato fieri non possunt.

Colligit 2. Aristotelem agnosuisse animam rationalem esse spiritualem, & immortalem. Dicebat enim lib. 2. de Generatione Animalium, c. 3. *Restat igitur, ut*

*mens sola extrinsecus accedat, ea-
que sola divina fit. Nihil enim cum
ejus actione communicat actio corpo-
poralis. Quamobrem dum postea
inquit: Sed enim omnis anima, sive
virtus, sive potentia, corpus aliud par-
ticipare videtur: idque magis divi-
num, quam ea, quæ elementa appellan-
tur; corpus in latiori significatio-
ne usurpat. Unde & in libro I. de
Anima, c. 5. refellit Democritum,
qui materialem esse hominis ani-
mam docuerat. Non diffitemur au-
tem circa imortalitatem animæ,
dubium quandoque hæsisse Aristotelem:
ut ceterorum mos est,
quibus veritas aliqua non liquido
apparet.*

Quares

*Utrum Anima rationalis sit immor-
talis ex sui natura?*

Ita sane est. Cum enim Fidei
decretis compertum sit, nostra hæc
ipsa corpora in æternum esse man-
sura, speciali Dei privilegio, &
concursu; oportet utique discri-
men aliquod constituere inter cor-
porum, & spirituum immortalita-
tem. Quod quidem in eo tantum
firmari potest, quia spiritus ab in-
trinsico sint immortales, & in
æternum duraturi suapte natura,
cum in se se principium corrup-
tionis non habeant; corpora au-
tem extrinseco tantum Dei privi-
legio. Anima igitur rationalis, quæ
spiritualis est, ex sui natura est
immortalis. Quod ipsum de An-
gelis dicendum est. Quamquam

absolute possint à Deo destrui.

Objicies. Si anima rationalis est
ex sui natura immortalis, esset ex
sui natura physice indefectibilis.
Esse enim ex sui natura immortale,
& esse ex sui natura physice inde-
fectibile, idem sunt omnino, si
pari sensu accipiuntur, manente sem-
per potentia mortis, seu defectus.
Atqui non potest aliquod creatum
esse ex sui natura physice indefecti-
bile. Ergo anima nostra, quæ uti-
que creata est, non est ex sui na-
tura immortalis. Minor probatur.
Nullatenus potest aliquod creatum
asse ex sui natura moraliter inde-
fectibile. Ergo nec physice. Ratio
siquidem creati omnino eadem est.

Confirmatur 1. Impossibilis est
creatura, quæ ex suis intrinsicis
exigat esse in omni loco, sive ubi-
que. Ergo impossibilis est creatura,
quæ ex suis intrinsicis exigat esse
in omni duratione, sive semper.
Talis porro esset creatura, quæ ex
intrinseca sui natura sit immorta-
lis. Igitur &c.

Confirmatur 2. Quod ex sui na-
tura non est factibile, neque di-
vina virtute effici potest. Ergo
quod ex sui natura non est defe-
ctibile, neque divina virtute de-
strui potest. Igitur si anima ratio-
nalis esset ex sui natura indefectibi-
lis nec divina virtute destrui posset.

Respondetur. Nego minorem.
Ad probationem, nego consequen-
tiā, & paritatem. Creatura enim
ex suis intrinsicis moraliter indefec-
tibilis haberet ex se ipsa volunta-

tem bono honesto affixam, & esset sibimet regula morum nec mutabilis esset, ac indifferens ad bonum, & malum. Porro creatura, ut creatura est, non potest esse sibimet regula, est enim semper dirigibilis à prima regula, quæ est Deus. Quamobrem illa creatura esset Deus, quia se respiceret veluti suarum operationum regulam, nec superiorem sibi regulam aliam cognoscere. At vero etsi creatura si physice indefectibilis ex sui natura, semper nihilominus ab alio pendet quoad suum esse physicum: superiorem aliam caussam cognoscit, à qua poterat non creari, à qua etiam libere conservatur: semper quoque potest non esse, quia Deus potest eam destruere pro suo libito, cum è converso Deus non possit creaturam à bono retrahere, aut ad malum determinare.

Ad Confirmationem 1. Videri potest non repugnare creatura, quæ ex suis intrinsecis petat esse ubique, quia semper esset à Deo, à quo posset constitui in loco circumscripto, & determinato. Sed admissis relationibus realibus, & superadditis, Scotistæ disparem docent rationem in eo esse, quia creatura illa exigitiva esset infinitarum ubicationum, ac proinde ex suis intrinsecis pateret producere, & re ipsa solo generali Dei concursu produceret simul & semel infinitas pene relationes. Quod locum non habet in creatura, quæ

ex suis intrinsecis exigat semper esse, quippe duratio non est quidam extremis superadditum, sed solam dicit negationem destructionis.

Ad secundam. Sicuti, ex dictis in 1. parte disput. 3. quæst. 2, *potentia logica* ad recipiendum esse requiritur, ut res possit à Deo fieri; ita necessaria est *potentia logica* ad deperdendum esse, ut res possit à Deo destruvi. Quælibet autem creatura hujuscemodi potentias habet, nam, ut *creatura*, definitur id, quod potest esse, & non esse. Hoc ipsum vero non excludit inclinationem ad semper manendum.

Dices. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus in epistola, quæ lecta fuit actione II. Synodi IV. de intelligibilibus, invisibilibusque, nempe de Angelis, & Anima rationali loquens, scribit, ea non esse immortalia per naturam, sed Deum largitum eis fuisse gratiam, à corruptione ea, & à morte coercentem. Hæc porro epistola Sophronii approbata fuit ab universa Synodo, actione 13. Ergo anima rationalis non est ex sui natura immortalis.

Respondeatur, Sophronium loqui de immortalitate, quæ negationem dicit etiam potentialis desitionis, & solius Dei propria est; unde addit, ea intelligibilia non habere essentiam proprie immortalis. Quod & nos ultro fatemur. Nostro autem sensu quæstionem

non evolvit Sophronius; sed causam unice primariam assignat, qua Angeli, & Anima rationalis re ipsa conservantur, voluntatem nempe Dei, seu gratiam ipsius. Animadvertisimus autem, Patres in Conciliis non singulis verbis, aut apicibus calculum suum addere, quando epistolam, aut sermonem aliquem approbant. Nam ea tantum respiquant, quæ principalia sunt, & ad fidem attinent, & de quibus controversia tunc agitur: cujusmodi tunc non erat quæstio de aptitudine animæ rationalis ad immortalitatem.

QUÆSTIO TERTIA.

Quanam sit essentia Animæ rationalis?

Cartesius quemadmodum essentiam substantiæ materialis in ipsa actuali extensione constituit, ita essentiam substantiæ spiritualis in actuali cogitatione sitam esse docet. Rationalis ergo animæ essentiam sola cogitatione actuali definit, unde parte prima Principiorum, num. 8. scribit, *solam cogitationem ad nostram naturam pertinere*; & num. 9. addit: *Cogitationis nomine intelligo illa omnia, que, nobis consciis, in nobis sunt, quatenus eorum in nobis conscientia est; atque ita non modo intelligere, velle imaginari, sed etiam sentire, idem est hic, quod cogitare.* Hinc infantes materno

adhuc in utero conclusos semper cogitare, sæpius scribit. Disertius vero ep. 16. secundæ partis inquit: *Nec etiam sine ratione affirmavi, animam, ubicumque sit, etiam in matris utero, semper cogitare.* Nam quæ certior, aut evidentior ratio ad hoc posset optari, quam quod probarim ejus naturam, sive essentiam in eo consistere, quod cogitet, sicut essentia corporis in eo consistit, quod sit extensum? Neque enim ulla res potest unquam propria essentia privari.

Dicimus, essentiam animæ rationalis non esse actualem cogitationem.

Probatur. Et primum quidem hoc negante argumento. Sine sufficienti ratione asserit Cartesius, animam nostram, & pueros etiam materno utero conclusos semper cogitare: aliunde vero eas nos tunc temporis cogitationes habuisse nullatenus recordamur. Secundo, essentia rei es prædicatum primum, ac intimius ipsius, nec alterum supponit, à quo originem suam ducat. Atqui cogitatio est operatio; operari autem, ut fert commune effatum, sequitur esse; actio enim non est sine agente; adeoque cogitatio supponit esse id quod cogitat. Ergo cogitatio non est ipsa animæ essentia. Et cum operatio supponat principium, seu actum primum operandi, cogitatio dubio procul supponit principium, seu vim cogitandi. Hæc vis est principium ope-

randi: principium operandi supponit principium essendi. Ergo nec in ipso cogitandi principio constitui potest essentia animæ: ac multo minus in ipsa actuali cogitatione. Quod si ex cognita animæ cogitatione rite Cartesius concluderet, hanc esse ipsius essentiam, supervacanea prorsus est Philosophia. Jam enim quælibet res quoad essentiam suam explorata esset omnibus, & posset quis dicere, totam Magnetis naturam in eo sitam esse, ut ferrum trahat, dirigaturque ad polos; ignis, ut calefaciat: ac similia. Igitur &c.

Respondet Cartesius, apud Gassendum, dubitatione quarta in secundam Meditationem, *mirum non esse, quod non recordemur cogitationum; quas mens habuit in matris utero; ad recordationem enim cogitationum requiritur, ut quadam ipsarum vestigia in cerebro impressa sint, ad quæ se convertendo, sive applicando mens recordatur: cerebrum autem infantis vestigiis illis recipiendis est ineptum.* Loco autem ante assertionem laudato, mentes infantium ait *in solis ideis doloris, titillationis, caloris, frigoris, & similibus, confuse percipiendis, sive sentiendis occupari.*

Contra. Cartesitus hisce, similibusque doctrinis nullam ajentem rationem affert, qua probet infantes in materno utero conclusos re ipsa cogitare. At fatetur Cartesius, neminem cogitare, quin

per reflexionem se cogitare sciat, atque ex hac reflexione memoriam in nobis effici docet. Epistola etiam prima partis primæ essentiatur memoriam intellectivam in nobis esse, eamdemque minime à cerebro pendere. Mentis ergo cogitatio in ea memoria imprimi deberet; atque adeo possemus recordari earum cogitationum, quas, Cartesio id attestante, in utero matris habuimus. Evidem Cartesius in ep. 4. hanc memoriam pueris denegat, quos tamen cogitare docet. Sed hoc ipso demonstrat, se non ideas suas naturæ rerum, sed rerum naturam suis ideis accommodare, dum sine sufficienti ratione unum negat, alterum adstruit. Deinde imperceptibile omnino est, vestigia cogitationum, quæ incorporeæ sunt, imprimi posse in cerebro: præsertim cum cogitatio sit intimus ille sensus, quo anima experitur se cogitantem esse. Cum autem ideas Dei, animæ essentiarum, & principiorum, ingenitas esse Cartesius dicat, adventitias vero illas, quas per sensus acquirimus; quanam ratione ostendere poterit, pueros in utero matrum solas percipere ideas caloris, frigoris &c. non autem ideas ingenitas, quæ semper ipsorum menti sunt intime præsentes? Tum calor, frigus, & similia non percipiuntur ratione. Non sentimus ratione, ait S. Augustinus in lib. de Quantitate animæ, c. 29. Sed aut visu, aut auditu,

aut

aut olfactu, aut gustatu, aut tactu.
Ergo perceptio illarum affectio-
num sensibilium non potest esse
animæ, seu mentis essentia, quæ
ratio est.

Objicies 1. Circumscripta om-
ni affectione animæ, si sola cogita-
tionis idea habeatur, anima ipsa
permanet, & cognoscitur. Per
eamdem quoque cogitationem ani-
ma distinguitur à corpore, cuius
essentia in actuali extensione con-
sistit. Tum Substantia in extensam,
& cogitantem dividitur. Harum
enim rationum diversa idea de-
monstrat, eas nonnisi diversis sub-
stantiis aptari posse, proindeque
evincit, illas esse differentias Sub-
stantiæ. Igitur animæ essentia est
ipsa cogitatio.

Respondetur in primis, cogita-
tionis idea constituta, non conti-
nuo probari existentiam animæ
rationalis, quia & Angelus sub-
stantia cogitans est. Deinde ex co-
gitationis existentia subinfertur qui-
dem existentia animæ, quomodo
effectus subinfert existentiam suæ
caussæ; tamen longe alia est idea
operationis ab idea naturæ operan-
tis. Quamobrem non est utraque
confundenda in animæ rationalis
describenda natura. Distinguitur
autem secundario anima à corpo-
re per cogitationem: quemadmo-
dum corpus ipsum ab anima se-
cernitur secundario per extensi-
onem actualem. Sed intimior est
illorum discretio, tum ex poten-
tiis derivata, tum ex ipsa ratione

formali. Nec corporis essentia in
actuali extensione sita est, ut pla-
cket Cartesio. Vide quæ dicturi su-
mus in 1. parte Physicæ disp. 3. q. 1.

Paralogismus vero argumenti
est, ut diximus in 2. Logices parte,
initio disp. 2. ex diversitate idearum
subinferre diversitatem rerum in
se. Et sane vel ipse Cartesius
part. 1. Princip. num. 52. sub-
stantiæ notionem exhibens, eam
tradit esse rem indigentem solo di-
vino concursu ut sit: in quo nihil re-
lucet extensionis, aut cogitationis;
& tamen fatetur idem esse posse
substantiam cogitantem, idemque
corpus substantiam extensam. Co-
gitatio porro excludit quidem quid-
quid non cogitat, sed non confessim
quidquid est extensem: quemadmo-
dum extensio excludit quidem quid-
quid extensem non est, sed nō con-
fessim quidquid cogitat. Bruta enim
cogitare, in 3. Physics parte, disp.
4. q. 1. demonstrabimus. Quam-
obrem non assentimur Cartesio dif-
ferentias illas Substantiæ assignanti.

Objicies 2. Inter materiam, &
animam ea est differentia, ut illa
sit *potentia*, hæc autem *actus*. Er-
go in omni re intellectuali semper
debet esse præsens cogitatio. Secun-
do si mens nostra sine cogitatione
aliquando foret, vel id contingat,
quia non potest, vel quia non
vult? Si primum, jam ejus essen-
tia destruitur. Si alterum, jam co-
gitaret, dum non cogitat, tum quia
velle, & *nolle* sunt modi percipien-
di (ait Antonius le Grand), tum
quia

Quia nemo potest nolle, quin cogitet quod non vult.

Confirmatur. Cui non potest deesse facultas cogitandi, & objectum, non potest illi deesse facultas ad cogitandum expedita; adeoque nec cogitatio ipsa, quæ talem facultatem naturaliter sequitur: Res ita se habet in anima, quæ sibi ipsi semper præsens obit utrumque munus, & potentia, & objecti.

Respondetur ad primum. Anima est *actus*, sive perfectio, in actu primo, hoc est, nata perficerre corpus, aut cogitare, si ad se ipsam comparetur; non tamen est *actus*, sive perfectio; semper in actu secundo. Per rationem vero *actus* primi anima sufficienter discernitur à materia.

Ad secundum. Argumentum videtur utcumque probare, animam cessare non posse ab actuali cogitatione; quoties cœpit jam cogitare; sed locum non habet in pueris materno utero conclusis, qui nunquam cogitare cœperunt. Ceterum utrovis modo contingere potest, ut anima non cogitet; vel quia non potest: non quidem remote, sed proxime, ex defectu scilicet non suo; sed comprincipii, nimirum speciei ad cogitandum requisitæ; vel quia non vult: non quidem a*ctu* positivo nolens, sed nullum actum voluntatis eliciens, atque ita & se, & facultatem sensitivam annexam impediri, ne operetur, permitens, qua otiente, quiescat

etiam oportet intellectus, qui per conversionem ad phantasmata operatur. Quid vero sibi vult Cartesianus le Grand, dum ait: *velle, & nolle esse modos percipiendi?* Hic certe gravis error continetur: Dum enim ita loquendo voluntatem intellectui permiscet, aut vera libertas ad intellectum trahitur, aut ea tollitur à voluntate: quorum utrumque oppido falsum est, & absurdum.

Ad confirmationem. Argumentum supponit, corpori humano Angelum assidere à materia prorsus emersum, non animam, quæ cognitionem suam à corpore, & sensibus, velut à nunciis, & ministris, dependentem habet. Licet ergo anima intellectiva simul, & intelligibilis, sibi adsit; ne se ipsam quidem cogitare potest, nisi dependenter à suis operationibus, quas in corpore efficit, adcoque pro neutrō munere est satis expedita, quatenus sensibilia, & sensum prævium nondum habet.

Objicies 2. Anima rationalis est immortalis. Ergo semper re ipsa vivit: & quidem in *actu secundo*. Porro animæ vita est cogitatio. Quemadmodum enim principium cognoscendi est vita in *actu primo*: ut declarabimus in 3. Physices parte, disp. 1. quæst. 1. ita cognitio erit vita in actu secundo. Igitur anima, quamdiu est, semper cogitat. Hinc si ab anima cognitionem sustuleris, nihil in ea positivi, & absoluti remanebit, per quod exi-

stere, & vivere dicatur. Ergo ipsa cogitatio est essentia animæ, vel saltem illi essentialis.

Confirmatur. Non potest existere corpus, quod non sit re ipsa extensem, & figuratum. Nequit haberi lux, quæ non semper luceat. Non potest extare calor, qui non sit semper calidus. Substantia esse non potest sine actuali *perseitate*: ut diximus in 2. parte Logicæ, disp. 4. quæst. 3. Ergo nec existere potest anima, quæ non semper cogitet.

Respondetur, ex animæ immortalitate sub inferri, eam semper existere, non tamen semper vivere *in actu secundo*. Quemadmodum enim anima, quotiescumque est in corpore, dicitur vita corporis, & corpus ipsum tunc appellatur vivens, quamvis non semper re ipsa exerceat vitales operationes; ita anima erit semper existens, & vivens, quatenus potest vitales efficerre operationes; licet non semper exeat *in actu secundum*; quo modo homo semper est re ipsa sensitivus, licet non semper re ipsa sentiat. Quamobrem aliud est, animam semper esse re ipsa vitam *in actu primo*; aliud vero, animam semper esse re ipsa vitam *in actu secundo*. Primum concedimus. Alterum inficiamus: quod quidem non satis probatur ex animæ immortalitate, quæ non est affectio operationis, sed existentiæ. Cogitatione autem sublata, manet in anima vis, & facultas cogitandi, quæ positiva, & sub-

stantialis perfectio est, tum etiam manet facultatis illius intima radix, seu ipsa animæ essentia. Demum si proposita ratiocinatio vim obtineret, nihil prodesse potest Cartesio. Evinceret enim, naturam animæ sitam esse in ipsa cogitandi facultate, non autem in ipsa cogitatione, ut Cartesius docet.

Ad confirmationem. Pròpositum assumptum quoad extensionem corporis falsum est: ut in 1. parte Physicæ declaravimus, d. 3. q. 1. Attamen omnia illa, quæ retulimus, exempla pertinent ad genus causæ formalis; & ideo corpus semper est extensem naturaliter, lux semper lucet, calor semper est calidus, substantia semper est *per se*. At cogitare pertinet ad genus causæ efficientis; præ se fert enim vitaliter operari circa objectum: ut docēbimus in fine quæstionis quintæ. Atque adeo longe dispar appet ratio.

Colligite, Constantiū Grimaldi contendere, Cartesium constituisse essentiam animæ non in actuali cogitatione, sed in ipso principio cogitandi: idque pluribus Cartesii sententiis probare. Sed in his oleum, & operam perdit. Adeo enim clara sunt Cartesii verba à nobis relata, ut nullus maneat ambiguï locus. Idem ostendit exemplum extensionis actualis à Cartesio assumptum. Evidem Cartesius nomine *facultatis*, & principi cogitandi utitur aliquando, sed in epistolis, aliisque scriptis, in qui-

dus necessitate compulsum dissolviendi opposita sibi argumenta, sollet ea retractare, quæ in libris Principiorum, aut Meditationum constituerat: ut sæpe declarabimus aliis in quæstionibus. Ceterum in Cartesii sententia cogitatio una semper, & eadem est, variis tamen apta suscipiendis cogitandi modis: ut expresse docet in epist. 6. part. 2. Quo circa in Cartesii opinione Cogitatio simul erit actus cogitandi, & principium diversorum modorum cogitandi. Atque hinc cogitatio non est re ipsa distincta ab anima: quod falsum esse probabimus in quæst. 7. Addit Grimaldi, Cartesium cogitationem pro principio cogitandi accepisse, eodemque modo etiam Aristotelem locutum fuisse in lib. 9. Moralium, cap. 9. ubi ait: *Vivere autem nihil aliud esse, quam sentire, & intelligere, præcipue, & proprie videtur.* At Grimaldi inceptum facit Cartesium, qui cum profiteatur, se nihil docere, nisi ex claris, distinctisque ideis, imperite actum secundum cognitionis pro actu primo sumpsisset. Neque Aristoteles ita locutus est. Citato enim in loco aperte principium cogitandi ab ipsa cogitatione secernit. Verba Aristotelis: *Vivere autem ipsum definiunt potestate sensus animallium, hominum sensus, & intellectionis.* Potestas vero in operationem reducitur. Aut in operatione id, quod præcipuum est, consistit. Vivere autem nihil aliud &c.

Ex dictis facile est colligere, es-

sentiam animæ non in ipsa cogitatione actuali, nec in facultate, seu principio cogitandi, sed in istius facultatis radice constituendam esse: quemadmodum in similibus sæpe docuimus.

QUÆSTIO QUARTA.

Vtrum facultates propriæ Animæ rationalis intellectus nimirum, & voluntas vi polleant activas?

Quidquid intelligentiæ, rationisque est particeps, primarias habet facultates duas, quarum altera in rerum cognitione, altera in electione versatur. Prior illa intellectus dicitur, posterior voluntas est. Itaque de hisce facultatibus animæ rationalis nunc inquirimus, utrum mere passive se habeant, an vi polleant activas.

Porro hæc vis activa bifariam spectari potest: quatenus aut productiva est operationis à se re ipsa distincta, hoc est, vere effectrix illius; aut operatrix tantum respectu sui objecti, illud nempe vel representando, vel amando. Recentiores Philosophi quamlibet activam virtutem intellectui nostro adimunt, vim etiam productivam voluntati inesse negant.

Dicimus, intellectum, & voluntatem animæ rationalis virtute pollere activa, tum operatrice in sua objecta: tum productrices suorum actuum, seu operationum.

Pro.

Probatur prima pars. Intelligere, velle, & vitaliter operari non præ se fert solam receptionem, seu passionem, sed operationem, & actionem. Ergo intellectus, & voluntas vi pollut activa operatrice in sua objecta. Antecedens probatur, Deus intelligit, & vult, nec tamen ulla est in Deo passio, vel receptio. Igitur &c. Hinc intelligere non est ideam, seu cognitionem recipere, aut in se habere, nam videre non est speciem in oculo recipere; illi enim, qui apertis oculis dormiunt, visivam quidem speciem in oculis recipiunt, & habent, nec tamen vident. Intelligere ergo, & videre præ se fert activam operationem, & tendentiam in objectum, qua anima circa illud operetur per modum efficientis, si-
ve agentis. Et quoniam omnes penne Philosophi consentiunt, voluntatem activam esse, saltem operando, ictice idipsum speciatim de intellectu probamus. Et quidem à simili. Nam si voluntas est activa amando, curnon & intellectus cognoscendo? Libertas autem voluntatis non est sufficiens ratio discriminis. Non enim ideo voluntas activa est amando, quia libere amet, nam & Deus se ipsum necessario amat, nec tamen passive se habet, sed active; & Beati in cœlo necessario amant Deum, & active se habent operando per amorem. Ergo licet intellectus necessario, & naturaliter intelligat, active se habet intelligendo; at-

que adeo virtute operatrice pollet, sicut & voluntas.

Probatur secunda pars. Intellectio, & volitio, ut in quæst. 7. prohabuimus, quidpiam sunt re ipsa ab intellectu, & voluntate distinctum, & in illis adveniens; atque adeo accidentia illis superaddita. Igitur intellectio, & volitio vere proprieque producuntur. Omnis porro productio vel à solo Deo procedit, vel à Deo simul cum caussis secundis creatis. At Deus connaturalius dicitur operari cum caussis secundis: nec Philosopho fas est, Deum constituere caussam totali cujuspiam effectus, nisi quando suppetit evidens ratio, quæ demonstret, creature non posse simul cum Deo esse causas partiales illius effectus. Alioquin enim dispendium fieret universæ Philosophiæ: ut fusi declarabimus in prima Physics parte, disp. 5. quæst. 1. ubi universim de vi creaturarum activa disputabimus. Jam vero impræsentiarum perporam Recentiores vim suorum actuum productivam intellectui, & voluntati nostræ admunt: Quippe nulla evidens ad id probandum ratio ab illis profertur; cum tamen ipsæ facultates specificam proportionem habeant cum suis actibus. Nam sicuti actus sunt spirituales, & vitales, ita potentiae sunt spirituales, & vitales: sicuti actus sunt rationes cognoscendi, vel appetendi, ita potentiae sunt cognoscitivæ, vel appetitivæ. Igitur vis activa attribui debet in-

tellectui, & voluntati nostræ, qua producant actus suos.

Et de voluntate quidem specialis etiam hec ratio valet. Voluntas nostra gaudet libertate. Ergo vim habet producendi suos actus. Consequentia probatur. Libertas voluntatis nostræ non in eo sita est, quod per actum unicum possit illa velle, aut nolle, amare, aut odisse, secundum varias applicationes, ac tendentias: Hoc enim proprium est solius Dei immutabilis; sed præ se fert, voluntatem posse amorem elicere, vel odium, volitionem, aut nolitionem. Ergo si semel abjudicetur voluntati virtus productiva istorum actuum, jam nullus manet creatæ libertati locus. Vide alias rationes disp. 5. *Physicæ Generalis*, quæst. 4.

Objicies 1. cum Cartesianis. Vis illa productiva suorum actuum in voluntate, & intellectu nullatenus potest intelligi, nulla pene illius est idea. Ergo admitti non debet.

Respondetur, hoc Cartesiano-rum argumentum ex falso principio procedere. Supponunt nempe, nihil admittendum esse, nisi quod clare, & distincte percipiatur. At hoc principium falsum esse probavimus in disp. 1. partis primæ *Logicæ*, & alibi sæpe. Sed & ipsi met Cartesiani vim operatricem in voluntate agnoscunt, ajuntque, eamdem velle, agere, se se determinare. At nullam horum omnium claram, distinctamque ideam

exhibere valent, cum dicant, determinationem voluntatis nihil esse ab ipsa voluntate distinctum, & cum nullum alium motum admittant, nisi localem. Dicimus itaque sub obscuram quamdam ideam nos habere virtutis illius, quam prædicatum esse metaphysicum intelligimus cognitionis, aut volitionis principium: quemadmodum in aliis similibus licet nobis disserere.

Objicies 2. cum iisdem. Intellectus noster, oculi, vel speculi instar, unice recipit rerum imagines sibi impressas. Ergo passive tantum se habet.

Respondeatur. Nego antecedens. Insigne discrimen inter oculum, & intellectum reperitur, si oculus se solo spectetur, quatenus se habet ad modum speculi. At si cum virtute sensitiva animæ accipiatur oculus etiam active operatur videntio. Itaque intellectus non modo imagines sibi impressas, speculi instar, recipit; sed ipsas etiam percipit, & objecta sua intelligit, ac contemplatur. Atque adeo operatur active: ut probavimus.

Objicies 3. Ut dicturi sumus in *Physica Generali*, d. 5. q. 4. ubi nulla habetur specifica, & determinata proportio, nulla exerceri potest caussalitas. Atque intellectus non habet, nisi proportionem genericam cum cognitione. Ergo intellectus non potest esse causa cognitionis; adeoque non pollet vim productiva. Minor probatur. Intel-

lectus non attingeret cognitionem, nisi secundum prædicatum aliquod genericum, nec potest communicare illi prædicatum specificum, Alioquin enim si intellectus produceret cognitiones secundum earum specificam differentiam, jam vim haberet producendi infinitos effectus specie diversos, ut tales, quia cognitiones variæ possibles pene sunt infinitæ. Hoc ipsum vero præsupponeret in intellectu virtutem infinitam: quod absurdum est. Igitur &c.

Respondeatur. Nego minorem. Ad probationem. Nego propositionem primam, & distinguo secundam: intellectus non potest communicare cognitioni prædicatum specificum, in ratione cognitionis, nego: in ratione talis cognitionis, concedo. Itaque differentia quasi specifica, duplex distingui potest in cognitione, altera *in essendo*, per quam cognitiones omnes, sub ratione actus vitalis, spirituialis, expressivi, inter se convenire intelliguntur, & ab alia quamcumque re essentialiter distinguntur; alia vero in representando, quasi secundaria, qua una cognitione ab alia cognitione secernitur, ut pote imago unius particularis objecti, individuantes etiam conditiones illius sequens, & repræsentans. Hoc posteriore sensu differentia in cognitionibus à solis objectis earum derivatur. At vero prior illa specifica cognitionum differentia ab intellectu nostro omnibus

suis cognitionibus communicatur per novam, & multiplicem ejusdem suæ virtutis productivæ applicationem. Non est ergo intellectus infinitæ virtutis; sed nec solum habet proportionem genericam cum cognitione.

Objicies. Juxta nostram sententiam Intellectus simul constituitur potentia productiva, & potentia operativa; adeoque simul vim haberet operandi *realiter*, producendo cognitionem: & operandi *intentionaliter*, tendendo in objectum. Atqui eadem potentia non potest simul esse principium operandi *realiter*, & operandi *intentionaliter*. Ergo utraque illa vis attribui non potest intellectui. Minor probatur. Non potest eadem potentia simul esse principium operandi *naturaliter*, & operandi libere. Ergo neque &c. Idipsum valet etiam de voluntate.

Respondeatur. Nego minorem. Ad probationem, nego consequentiam, & paritatem. Ratio siquidem operandi *naturaliter*, & ratio operandi *libere*, præ se ferunt duos agendi modos invicem oppositos, & immediate afficiunt potentias ipsas, nempe intellectum, & voluntatem; ideoque multiplicationem subinferunt potentiarum. At vero ratio operandi *realiter*, & ratio operandi *intentionaliter*, non habent talem opositionem, sed solum differunt in terminis suis, quatenus prior habet terminum, physice, & secundum veram exi-

stentiam productum, altera vero habet terminum *objectivum* cuius totum esse est in genere repræsentabilis. Aliunde autem duæ rationes istæ non convenient immEDIATE ipsius potentiæ, nam intellectus per se ipsum quidem immEDIATE producit cognitionem, sed circa objectum operatur tantummodo media cognitione. Quare distinctus quidem debet esse actus à potentia: sive, si placet, ratio operandi immEDIATE distingui debet à ratione immEDIATE producendi, non tamen multiplex debet esse potentia ipsa, sed anima, velut causa universalis suorum effectuum, per actum operatur, & per potentiam producit. Idem suo modo de voluntate dicendum est.

Quæres

Quomodo Intellectus, & Voluntas distinguuntur inter se, & ab Animali Rationali?

Hujusce quæsti solutio pendet ex iis, quæ de Distinctione diximus in 2. Logices parte, disp. 2. Placebat Thomistis realem hic adstruere distinctionem. Sed nihil præsto est ad hanc ipsam rerum multiplicitatatem demonstrandam, nec ullum inter eas apparer signum separationis, seu distinctionis realis. Quare quemadmodum Thomistæ indistinctam re ipsa vim in anima agnoscunt, qua utatur potentias suis, facili etiam negotio assentiri

possunt, animam virtute indistincta realiter intelligere, & velle. Quippe nunquam anima obtinet summum operandi gradum, qui præ se fert, operationem ipsam esse indistinctam, & virtutem exerceri sine dependentia. Anima autem nostra dicitur Trinitatis imago, quatenus tres in ea extant potentiae quoquomodo distinctæ, intellectus, memoria, & voluntas, unde tres anima exercet operationes, intelligendi, reminescendi, & volendi. Ratio autem imaginis non est perfectissima, aut totalis, unde extare queant in anima tres facultates re ipsa distinctæ uti Divinæ Personæ: quod sane creaturæ est impossibile.

Quia vero, seclusa quacumque mentis operatione, de intellectu, & voluntate re ipsa enuntiantur prædicta contradictoria. Intellectus enim est potentia operatrix per modum naturæ, Voluntas autem per modum liberi, & indifferentiæ; atque diversa eluent earum facultatum objecta formalia, nempe verum, & bonum: Icciro inter eas facultates admittere oportet distinctionem formalem, qua omnis contradictione tollatur.

Dices. Voluntas Divina est principium, quo Deus necessario diligit se ipsum, & simul est principium, quo Deus contingenter amat creaturem: sive est principium necessario operandi *ad intra*, & operandi libere *ad extra*. Ergo eadem creata facultas poterit esse prin-

principium operandi *naturaliter*, respectu objecti intelligibilis, & principium operandi *libere*, respectu objecti amabilis. Ut nimis per solam objectorum diversitatem omnis contradictione auferatur. Ipsa etiam voluntas creata operatur *libere*, amando; & dum cognoscitur, atque ipsa etiam concurrit ad sui cognitionem, operatur *naturaliter*; & Objectum enim est causa naturalis notitia quam de ipso acquirimus. Igitur non est admittenda distinctio formalis inter intellectum, & voluntatem.

Respondetur ad primum. Nego consequentiam, & paritatem. Etenim principium operandi *naturaliter*, principium operandi *libere* sunt differentiae principii activi universim accepti; adeoque eidem principio nequeunt convenire. Et primum illud negat in operante vim se se ad actum determinandi, alterum vero eamdem præ se fert. Potentiae autem multiplices esse debent, quando diversa extant objecta formalia, aut modus agendi in ipsis potentiis diversus est. At operari *necessario*, & operario *contingenter* non pertinent ad diversum modum operandi, sed unice actionem ipsam respiciunt; contingentia enim præ se fert, actionem ipsam cohiberi, & impediri posse, undecumque id ipsum oriatur: necessitas autem dicit, actionem cohiberi non posse; adeoque non multiplicant virtutes operatrices.

Ad secundum. Objectum mo-

tivum cognitionis est ejusdem causa effectoria naturalis. Tota res est objectum motivum. Voluntas, quando cognoscitur, est tantummodo objectivum terminativum: ut cetera prædicta metaphysica.

Colligit ex dictis, intellectum, & voluntatem distingui formaliter ab anima, quia sunt principia operandi, adeoque re ipsa supponunt principium essendi, & cum duo hæc ad diversum ordinem pertineant, diversum quoque præ se ferunt conceptum *objectivum*. Ab eadem autem essentia animæ emanare intelliguntur metaphysice intellectus, & voluntas, aliaeque ejusdem facultates, velut à caussa universalí omnium prædicatorum ipsam consequentium.

Quiā vero hic, & alibi sæpe diximus, facultates, seu potentias multiplices esse pro varietate *objectorum formalium*, atque potentiae unitatem ab *objecti formalis* unitate colligi: nempe ab unitate vel multiplicitate rationis illius, sub qua objectum suum respiciunt: Hinc operæ pretium est id ipsum declarare. Arbitramur autem cum Doctore in 2. d. 16. & alibi, potentias per se se distingui, cum in se ipsis sint perfectiones absolutæ, extrinsecè vero earum unitatem, vel pluralitatem colligi ex *formali objecto*, propter relationem transcendentalē, seu ordinem, quo ad illud referuntur. Hinc si objectum hoc esset impossibile, ex consequenti, & ipsæ facultates re-

pu-

pugnarent: quo modo ex negatione proprietatis essentiam exclamamus.

QUÆSTIO QUINTA.

An intellectus sit causa totalis intellectionis? Et quid sit ipsa intellectio, & Verbum mentis?

EX assertione nostra, quam in praecedenti Quæstione consti-
tuimus, manifestum fit, extare in nobis Intellectum Agentem, cu-
jus est omnia facere, ut ait Philosophus id est, omnia representare,
& phantasmata illustrare, seu elevare, speciem, seu ideam spiri-
tualem, & objecti repræsentati-
vam cum illo producendo. Quia vero rerum ideae in nostro intellec-
tu sunt, ideo admittere oportet Intellectum Patientem, cuius
est omnia fieri, ut idem Philosophus scribit, quatenus recipit qua-
rumcumque rerum ideas. Non quod duæ sint res in anima invi-
cem realites discrete, sed quatenus eadem sit potentia intellectiva,
duobus constans gradibus invicem quoquo modo distinctis. Videtur etiam possibilis intellectus, qui sola gaudeat vi operatrice, & non productrice, ut per species, seu ideas à Deo acceptas operetur, ob-
jecta representando: in quo situs est proprius character virtutis intellectivæ.

Quærimus modo, utrum intellectus agens sit causa totalis ip-

siusmet intellectionis; an partialis tantum, adeo ut ad intellectionem producendam concurrat etiam objectum, vel in se, vel in sua specie, velut altera partialis causa.

Dicimus, intellectum, non esse caussam totalem intellectionis, sed ad ipsam concurrere etiam objectum.

Probatur. Intellectio est essentia-
liter similitudo objecti, à quo ip-
sa cognitio essentiale suam diffe-
rentiam derivare intelligitur. Ergo objectum vere caussa est intellec-
tionis, non tantum conditio me-
re prærequisita. Hoc enim univer-
sim loquendo regulæ instar est: Speci-
ficam proportionem inter præ-
quisitum, & effectum, evidenter probare caussalitatem illius in istum. Porro in ipsa cognitione duo reluent prædicata, videlicet spiritualitas expressiva, vitalis, & ratio imaginis. Primum ab objecto materiali derivari non potest. Alterum vero ab ipso intellectu ne-
quit deponi. Ergo & objectum, & intellectus haberi debent velut caussæ partiales cognitionis. Nihilominus intellectus est caussa principalior, quia licet cognitio in re-
presentando magis sit similis ob-
jecto, tamen in essendo majorem habet proportionem cum intellectu, cuius actio nullo modo ori-
tur ab objecto. Unde intellectus illimitatus est ad cognitiones omnes producendas.

Objicies 1. Etsi cognitio objec-
ti

Et prærequiratur ad amorem illius, quia nihil volitum, quin præcognitum, tamen, nec cognitio, nec objectum sunt caussa partialis amoris, seu volitionis. Ergo idem dicendum de objecto relate ad cognitionem.

Respondeatur, discrimen patere ex dictis, quippe cognitione objecti, aut objectum ipsum nullam habent specificam proportionem cum amore, seu volitione; nec enim hæc proportio designari potest. Secus contingit inter objectum, & cognitionem ipsius: ut declaravimus.

Objicies 2. Cognitione est spiritualis, & vitalis, objectum vero sæpe est materiale, & non vitale. Sed hæc sunt specificæ diversa, & posterius est priore imperfectius. Ergo objectum nullo modo potest esse caussa cognitionis. Quippe ad caussalitatem non sufficit proportio generica, & imperfectius non potest producere aliquod perfectius: quia ratione in Physica Generali disp. 5. quæst. 3. tuebimur, accidens nullo modo posse producere substantiam. Deinde intellectio est actio immanens, ut docet Aristoteles 9. Met. 16. Ergo in sua caussa recipitur. Atqui in solo recipitur intellectu. Ergo à solo intellectu producitur. Tertio intellectio est unus actus. Sed si à duplice orientur caussa, ab objecto rationem imaginis acciperet, ab intellectu alia sua prædicata, adeoque multiplex esset. Tamidem cognitione est ens reale, objectum sæ-

pe est ens rationis. Igitur &c.

Respondetur ad primum, cognitionem esse etiam imaginem objecti, & ideo licet non conveniat cum objecto in ratione spiritualis, & vitalis, convenit tamen cum illo in ratione imaginis, quæ omnino determinata est, & specifica. Imperfectius autem non potest unquam producere perfectius aliquod se solo, seu per modum causæ totalis, potest nihilominus: ut caussa partialis, ad productionem illius concurrere, quando cum illo, habeat proportionem aliquam specificam, & determinatam. Hinc cum accidens careat hac proportione cum substantia, nullo modo potest esse caussa productiva substantiæ. Distinctius res declarabitur in dico, citato Physicæ Generali, ubi etiam per totam illam quintam disputationem plura dabimus argumenta, quæ & ad rem præsentem aptari poterunt. Ibi ergo eorum solutionem exhibebimus.

Ad secundum. Sat est actionem immanentem manere in sua caussa partiali, nec oportet, eamdem manere in caussa sua totali. Ita bene Scotus in 1. d. 3. q. 7.

Ad tertium. Intellectione non producitur partim ab intellectu, partim ab objecto, sed intellectus, & objectum unam constituunt caussam totalem, & totum ipsum effectum, seu intellectionem attingunt, licet secundum diversas rationes: ut diximus. Quamobrem non producunt intellectionem di-

visibiliter, & licet sint causæ partiales , dicuntur tamen totales quoad totum esse ipsius intellectio- nis , quod ab illis producitur .

Ad quartum . Patet ex alibi dictis cognitionem referri ad ob jectum primarium , & motivum , at que hoc esse ipsius caussam : entia autem rationis sunt objectum mere terminativum , & cognoscuntur solum mediis entibus realibus .

Intellectio autem , seu cognitio (idemque de quacumque vitali operatione dicimus) est qualitas , seu accidens mentibus nostris su- perfusum , & ab ipsis re ipsa di- stinctum , ut in qu. 7. probabi- mus . Unde intellectio est qualitas objecti representativa , seu ima- go illius . Deservit autem vitalis operatio , ut medium , quo mens nostra agat , & in suum feratur objectum , vel cognoscendo , vel amando , aut respuendo .

Quocirca vitalis operatio non est actio productiva , nec passio quæ- dam , aut receptio . Quippe Deum ipsum gaudere vitali operatione intelligimus , in quo nullius rei productio , aut receptio locum habere potest . Et quamquam vi- talis operatio insidat potentiae agenti , non tamen conceptum suum formalem in ea receptione præ se fert : quemadmodum licet anima per vitalem operationem intelligatur operari , & referri ad objectum suum , non tamen hoc ipso eluet notio vitalis operatio- nis , quæ præsupponitur , ut mens operetur .

- Itaque vitaliter operari , puta intelligere , non est ideam , seu cognitionem habere , sed per co- gnitionem active operari , & in objectum tendere . Quemadmodum enim in iis qui apertis oculis dor- miunt , visiva quidem habetur spe- cies , nec tamen illi vident : Ita nec cognitionem habere est ipsum cognoscere ; sed operatio necessaria est , per quam anima in objectum seratur ; quippe vitaliter operari est efficienter operari : ut alias di- ximus . Ergo productio , & recep- tio vitalis operationis præsuppon- nitur in anima nostra , ut ipsa queat , vitaliter operari ; unde vi- talis operatio reddit animam pro- xime potentem agere , puta intel- ligere , aut appetere objectum . Vi- vens qđeo per principium activum à non vivente secernitur : & Deus ipse vivens est , & vitaliter opera- tur : neque tamen est in Deo ulla passio , vel receptio , vel produc- tio operationis rē ipsa distinctæ , aut speciei alicujus . Si quæ autem Veterum sententiæ his videntur adversari , carum sensus est , ut caussam , sive medium , quo ani- ma operatur , per ipsam actionem operandi describant , velut per no- tiorem effectum ; vel ex concomi- tantibus vitalem significant opera- tionem , quæ in nobis producitur , & recipitur .

Verbum porro mentis aliud non est , nisi ipsa intellectio , seu ima- go , & similitudo objecti . Ita do- cet Scotus in 1. d. 27. Id vero tum

ex dictis descendit, tum aperte traditur à S. Augustino, qui lib. 9. de Trinitate, c. 22. scribit: *Est quadam imago Trinitatis ipsa mens, & notitia ejus, qua est proles ejus, ac de se ipsa verbum ejus;* & lib. 15. c. 10. ait: *formata cogitatio de eo, quod scimus, verbum est.* Proinde Subtilis Doctor ita optime describit verbum mentis, dicendo: *Est actus intelligentie, productus à memoria perfecta, non habens esse sine actuali intellectione, repræsentans Verbum Divinum.* Ubi cum verbum sit ipsa intellectio, mentem nostram formaliter intelligentem constituit quo modo lux est actus, seu forma, aut perfectio corporis lucidi. Verbum autem producitur à memoria perfecta, nempe ab intellectu fœcundato per speciem objecti, vel per objectum ipsum. Dicitur vero non habens esse sine actuali intellectione, non quia sit terminus, vel effectus illius, aut quidquam ab ea distinetum, sed quia non omnis intellectio verbum est, nam verbum produci debet à memoria fœcunda, & quidem naturaliter; unde si intellectio à solo Deo produceretur, non esset verbum, & visio beata verbum non est, quia non sit naturaliter, sed libere, Deo se beatiss manifestante per gratiam, & liberimam voluntatem. Demum verbum mentis nostræ repræsentat Verbum Divinum, quia utrumque naturaliter producitur à memoria fœcunda; quamquam Ver-

bum Divinum producatur ex plenitudine perfectionis, & sit substantia infinita: verbum autem creatum sit accidens ex indigentia à nobis productum, ut per illud intelligamus.

Cum vero noster intellectus duplcem habeat actionem productivam, qua cognitionem suam efficit, & operativam, qua in objectum fertur, & illud repræsentat, & cognoscit; priore actione verbum mentis producitur, & illa appellatur *dictio*, quia quemadmodum, ut alios alloquamur, vocale verbum externa locutione proferatur, ita dum interne loquimur, proferimus verbum mentis. Hinc Pater Æternus non intelligit actione generativa, qua producit Divinum Verbum, nam Filius intelligit, nec tamen generat. Ali quando autem *apud se dicere* accipitur pro cogitare, sive intentionaliter repræsentare: quo sensu Patres plures locuti sunt; neque enim ibi distinctionem explicabant inter *actum dicendi*, & *actum intelligenti*: quod Philosophi subtilius præstant.

Ipse autem actus vitalis, ut intellectio ex. gr. potest utique etiam à solo Deo produci. Cum enim ab ipsa anima procedat, velut à caussa efficiente, & Deus se solo id omne possit efficere, quod creata efficiens caussa præstat: inde consequens est, Deum etiam se solo producere posse in nobis intellectionem, aliosve vitales actus. Por-

rosi Deus à se solo productos actus vitales communicaret animæ nostræ, mens operari posset, tendendo per eos actus in objecta, & in hoc ipso vis attentionis, & actionis haberetur. Vitalis autem actus, quatenus intrinsece vitalis est, ordinem præ se fert, quo ad objectum refertur, & vim præstat proxime operandi in objectum ipsum. Nec tamen ex sua notione formalis est actio immanens; accidit enim illi, quod producatur ab eo principio, in quo recipitur: unde notissima illa distributio actiones in transcenrem, & immanentem, non procedit per essentialia, sed per accidentalia. Semper autem in vivente maneret principium producendi, & operandi, quo secernitur à rebus vita expertibus. Quod si Deus volitionem ipsam in nostra voluntate se solo produceret, voluntas hanc recipiens non ageret utique ex libertate, nam libertas nostra sita est in indifferentia producendi actum, vel non producendi.

Trifariam porro intellectio, seu cognitio distribuitur. Nam alia dicitur Intuitiva, altera Abstractiva, alia demum Comprehensiva.

Cognitio Intuitiva ea est, quæ ad objectum in se præsens, & existens terminatur. Abstractiva est illa quæ ad objectum illud terminatur, quod non est præsens potentiae cognoscenti. Quo fit, ut essentia ipsa, & existentia rei utroque cognitionis genere possint attingi,

prout præsentes sunt menti intellegendi, aut illi non sunt præsentes. Ita cognitione abstractiva intelligimus præterita extitisse: & Dei existentiam nunc abstractive cognoscimus, eam visuri in cœlesti patria intuitive. Quamobrem cum cognitione illa, quam de existentia Dei nunc habemus, ad Deum terminetur obscure propositum: ea autem cognitione, quæ in Patria conceditur, Deum respiciat clare, distincteque propositum, hinc evincitur, cognitionem abstractivam. & intuitivam differre invicem, etiam specifico discrimine: ut docet Scotus in 4. d. 49. q. 7.

Comprehensio quandoque ipsam objecti assecutionem significat. Sed impræsentiarum adæquatam indicat notitiam rei. Huic obtinendæ Scholastici omnes, & Theologi duplum expostulant conditionem. Ait enim S. Augustinus, ep. 147. c. 9. alias ep. 112. *Res comprehenduntur, cum ita viderur, ut nihil ejus lateat videntem;* & lib. 12. de Civitate Dei, c. 18. *Illud scientia comprehenditur, quod scientis comprehensione finitur.* Quibus verbis indicat S. Doctor, ad notitiam comprehensivam requiri, ut objectum cognoscatur secundum omnia, & singula illius prædicata, atque ut attingatur secundum omnes gradus cognoscibilitatis suæ: & commensuratio quædam fiat inter objectum cognitum, & potentiam cognoscentem. Quamobrem ad objecti comprehensio-

nem

nem omnia ipsius prædicata percipi debent, ne quidpiam illius latet videntem: non tamen oportet cognoscere effectus omnes ab ea re producibiles: siquidem isti nihil sunt rei ipsius.

Ex dictis descendit, unam comprehensivam cognitionem esse non posse perfectiorem altera; quippe cum ad comprehensionem habendam prædicata omnia cognosci debeant, & quidem omni modo, nulla major rei illius notitia effungi potest. Quia propter qui omnia videt, sed non omni modo, ut Beati omnia Dei attributa cognoscunt, comprehensive non videt.

Quæres

Quid dicendum sit de Memoria Intellectiva, & de Speciebus intelligibiliibus.

Memoriam intellectivam in nobis esse ipsa pene experientia demonstrat, dum eorum recordamur, quæ jam cognovimus, etiamsi abstracta sint, & spiritualia. Quamvis autem pro statu isto non exercetur sine phantasmate, unde ex diversa affectione organi corporei varios memoriae gradus appetit, & oblivio oritur; tamen eamdem esse à memoria sensitiva distinctam inde colligimus, quod anima à corpore separata reminiscitur eorum, quæ in hac vita perceperat. At hæc memoria intellectiva re ipsa ab intellectu non secerntur, nisi connotacione, ut docet Scotus in 1. d.

27. q. 1. quatenus facultas cognoscitiva in se se considerata dicitur intellectus; prout vero habet species objectorum, appellatur memoria, quæ proinde intellectum ipsum præse fert cum speciebus illis, quarum ope recordamur præteriorum. Quid sint autem istæ species, & quid intellectui addat memoria intellectiva, satis explicare non possumus: quemadmodum etiam de memoria sensitiva dicendum erit in 3. Physics parte disp. 2.

Nihilominus hinc sequitur, eas species admitti oportere, quas intellectus simul cum phantasmate sibimet efformat, unde vices gerunt objecti, atque ex hoc ipso diximus, ad intellectionem producendam concurrere etiam objectum, vel in se; vel in sua specie: & hæc species intelligibilis appellatur *impressa*, quia manet, & veluti imprimitur in ipso intellectu, ac *virtutis* dicitur objecti similitudo: ipsa autem cognitio nominatur *especies expressa*, quia objectum ipsum exprimit, ac representat, & est *formalis* similitudo ipsius. Argumenta, quæ adversus doctrinas hasce à Recentioribus proponuntur, videbis soluta in quæst. 8.

QUÆS.

QUÆSTIO SEXTA.

Quodnam sit Objectum intellectus nostri?

Quælibet activa facultas respicit objectum sibi correspondens. Istud porro bifariam distinguitur. Nam aliud est Objectum *naturalis inclinationis*, aliud *naturalis attingentie*. Primum illud dicitur, cui facultas ex se se correspondet, & cui assequendo apta est ex se se, ac suapte natura ordinatur: licet per solas proprias naturales vires illud assequi non valeat. Alterum illud nominatur, in quod facultas activa viribus suis naturalibus potest operari. Quærimus igitur, quodnam sit objectum intellectus nostri. Et quia nunc mens nostra caduco mortali corpore præpeditur, atque pro præsentis status conditione ab illo dependet: ut diximus sæpe; iccirco quid etiam dicendum sit pro statu isto mortali, postulamus.

Dicimus, objectum adequatum nostri intellectus secundum *naturalem ipsius inclinationem* esse ens reale universim acceptum; at secundum *ipsius naturalem attingentiam* esse ens finitum: pro statu autem isto mortali esse id tantummodo, quod aliqua ratione sub sensibus cadit.

Probatur prima pars. Intellectus noster elevari potest ad Deum intuitive videndum: ut Fides docet,

& nos probavimus in Physica Generali, disp. 5. quæst. 4. Porro nulla facultas evehī potest extra latitudinem objecti sui, ad quod suapte natura inclinatur: ut ibidem etiam declarabimus. Ergo objectum intellectus nostri secundum ipsius *naturalem inclinationem* est ens reale universim acceptum, commune finito, & infinito.

Probatur secunda pars. Ut in laudato Physics loco constituiimus, intellectus noster non potest propriis naturalibus viribus cognoscere Deum intuitive. Quippe objectum supernaturale, cuiusmodi est Deus, ut in se se est clare, & distincte, naturaliter attingi nequit. Ergo objectum nostri intellectus secundum *naturalem ipsius attingentiam* est solum ens finitum.

Hinc antem sequitur, ejusmodi ens finitum debere tale esse, ut terminis ipsius non sit Deus sub propria Deitatis ratione. Cum enim Deitas in se se non possit naturaliter à nobis cognosci, & relationes percipi nequeant, nisi cognito earum termino, inde evincimus, relationes illas, quæ Deum respiciunt sub propria Deitatis ratione, (ut sunt unio hypostatica, inclinatio animæ nostræ ad Deum intuitive videndum, ceteraque similia) non posse à nostro intellectu per vires naturales cognosci.

Probatur tertia pars. Sola sensibilia pro statu isto mortali movent

vent intellectum nostrum, cum
nihil sit in intellectu, quin prius
fuerit sub sensu, vel immediate,
vel mediate: ut in quæst. 8. pro-
babimus. Ergo objectum nostri
intellectus pro statu isto mortali
est id tantummodo, quod aliqua
ratione sub sensibus cadit. Hinc
substantiam mediis accidentibus
cognoscimus, & alia omnia me-
diis sensibilibus percipimus. Alio-
quin perciperemus naturaliter, sub-
stantiam panis in Eucharistia non
amplius existere post consecratio-
nem.

Animadvertisimus autem, intel-
lectum nostrum percipere entia
realia, sub ratione boni, mali,
unius, multiplicis; & sub ipsa
etiam notione entis: ut experien-
tia compertum est. Proindeque ens
reale est objectum nostri intel-
lectus, non sub sola ratione veri, sed
etiam sub ratione entis, boni &c.
Porro ens ipsum reale etiam se-
cundum propriam essentiam mo-
vet intellectum nostrum. Cum ve-
ro intellectus, & voluntas sint
duæ facultates subordinatae, pos-
sunt habere pro suo objecto duas
hasce rationes, ens, & bonum,
quia rationes istæ non sunt dispa-
ratæ, sed subordinatae.

Colligitur, naturalem mentis
nostræ inclinationem, seu poten-
tiæ ad videndum Deum non ex-
postulare necessario, ut naturaliter
adimpleri possit; sed ne super-
vacanea sit, sat est, si per Dei
voluntatem possit adimpleri. Ita

sane corpus habet naturalem in-
clinationem ad recipiendam ani-
mam rationalem; neque tamen ab
ullo agente naturali, & creato
potest anima effici, & corpori in-
fundiri. Distinctio autem illa du-
plicis objecti, secundum *natura-
lem inclinationem*, & secundum *natura-
lem artingentiam*, dicitur de intel-
lectu propter ipsius per-
fectionem, & illimitationem: se-
cùs ac contingit in potentiis sen-
sitivis: ut animadvertisit Scotus,
quæst. 1. Prologi. Cetera argu-
menta, quæ proponi possunt ad-
versus assertionem nostram, vide
soluta in citato loco Physicæ Ge-
neralis.

Intellectus noster potest plura
simul cognoscere, etsi non adeo
perfecte, nec in maxima copia.
Unde Beatis conceditur cognitio
cræaturarum in Divina Essentia &
cognitio creaturarum in proprio or-
dine. Attamen cum cognitio sit es-
sentialiter imago objecti, iccirco
eadem cognitio nequit simul plura
representare; alioquin deberet in
se plures imagines continere, at-
que adeo non una, eademque es-
set cognitio, sed multiplex. Ju-
dicum autem cum in complexio-
ne situm sit, unico attingitur actu.

Valet etiam intellectus per se
se, & immediate, ac intuitive
cognoscere quæcumque positiva;
tamen pro statu isto ea, quæ per
se se non sunt sensibilia, non nisi
abstractive percipiuntur. Cognos-
cit autem intellectus noster uni-

versalia , & singularia : ut sæpe diximus. Sed si quæras, quodnam sit primum Cognitum ab intellectu nostro pro statu isto, duplicum oportet cognitionem distinguere, confusam , & distinctam. Itaque in cognitione confusa primum cognitum est singulare , non quidem determinate acceptum , sed indeterminate. Cum enim pro statu isto non percipiamus naturas communes , & universalia , nisi eadem abstrahendo à singularibus, manifestum fit , singulare prius à nobis percipi , non quidem sub omnibus suis circumstantiis , & affectionibus, sed sub illis tantummodo , quarum ope fit sensibile. Inter universalia vero primum cognitum est species infima , quæ singulari proximior est. Id autem intellige, quotiescumque objectum debito modo præsens sit intellectui nostro; alias è contra eveniret : ut accidit , quando propter distantiam hominem à longe percipimus sub ratione animalis. At si loquamur de cognitione distincta, primum cognitum est id , quod magis universale est. Tunc enim , ut rei definitio exiberi possit , ejusdemque partes distingui , natura communis , & essentialia prædicta , quæ communia , seu universalia sunt , primo cognosci debent.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Utrum Operationes animæ rationalis realiter ab ipsa distinctantur?

RECENTIores Philosophi , ne co-gantur admittere qualitatem aliquam , seu formam accidentalem , etsi spiritualem , asserunt , operationes animæ rationalis , intellectu-nem , non esse aliquod reale ab ipsa anima reapse distinctum , & ejusdem potentiss adveniens , ac superadditum. Propterea docent , diversas cognitiones nostras aliud non esse , nisi diversas modificationes animæ , diversaque ejusdem tendentias , ac divisorum objectorum terminationes ; adeo ut anima non transeat de cognitione in cognitionem , sed solum ab uno modo cogitandi ad alterum: qui modi aliud non sunt , nisi varie modifications , & applicationes animæ cognoscantis. Idem suo modo de volitionibus asserunt. Quamadmodum , inquit , extensio eadem corporis , nulla eidem superaddita entitate , ex quadrata sit triangularis , adque ab una ad aliam figuram transit. Ex adverso communis est Peripateticorum sententia , intellectu-nem , & volitionem realiter distingui à suis principiis intellectu , & voluntate , seu ab ipsa anima : ut sint ad-

adveniens quiddam, & entitates animæ nostræ superfusæ. obscenit
Dicimus, intellectiōnem, & volitionem realiter distingui ab anima rationali.

Probatur 1. Si intellectio, seu cogitatio non est quidpiam re ipsa distinctum ab anima rationali, hæc operaretur per actum à se realiter indistinctum, & sine intrinseca mutatione sui ex non cognoscere fieret cognoscens. Atqui modus iste operandi, & cognoscendi proprius est solius Dei immutabilis, & omnino simplicis. Ergo intellectio realiter distinguitur ab anima rationali. Idemque de volitione dicendum. Major evidens est, & ipsam continet Recentiorum sententiam, qui solas novas, diversasque modificationes, & tendentias in nostra anima admittunt, eidem omnino extrinsecas. Minor probatur. Una omnium SS. Patrum sententia propositionem illam adstruit. Et ne singula persequamur, audiant Recentiores Augustinum, & Gregorium Magnum. Et ille quidem, tractatu 48. in Joannem ait: *Tu aliud es, aliud habes. Verbi gratia, habes sapientiam. Numquid tu es ipsa sapientia?* Denique quia non es tu ipse, quod habes, si amiseris quod habes, redi ut non habeas: & aliquando refumis, aliquando emittis; quomodo oculus noster non in se ipso habet inseparabiliter lucem: aperitur, & capit: clauditur, & emittit. Non sic est Deus Dei Filius...sic habet sapien-

tiam, ut ipse sit sapientia. Et tractatu 99. inquit, *Et ideo non est ita substantia (mentis humanæ) verissime simplex, cui non hoc est esse, quod nosse: potest enim esse, nec nosse.* At illa diuina non potest, quia id, quod habet, est. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud illi sit scientia, qua scit, aliud essentia; qua est: sed unumque unum. Et lib. 2. ad Simplicianum, quæst. 2. sribit: *Scientia Dei longe distat ab humana scientia.... Cum enim dempsero de humana scientia mutabilitatem, & transitus quosdam à cogitatione in cognitionem.... & solam vivacitatem certa, atque inconcussa veritatis pro viribus cogitavero, insinuantur mihi utcumque scientia Dei.* Gregorius vero, lib. 18. Moralium, c. 50. sribit: *Habet ritam Sapientia; sed non aliud habet, aliud est: quippe cui hoc est esse, quod vivere. Servi autem Sapientia cum habent vitam, aliud sunt, & aliud habent: quippe quibus non est hoc ipsum esse, quod vivere.... Sapientia vero incommutabiliter vivit, quia non ex accidenti, sed essentialiter vivit.* Eodem modo omnes alii SS. Patres loquuntur, qui profecto & magno ingenii acumine prædicti, & divinis Scripturarum oraculis eruditæ, Divinitatis proprietates perspectas habuere. Hinc omnem creaturam, etiam spiritualem docent esse compositam, & mutabilem; atque operari per actum indistinctum habent veluti divinæ immutabili-

tatis, ac simplicitatis proprium characterem. Igitur &c.

(E contra vero Recentiores coguntur fateri, rationalem animam omnino simplicem esse, & immutabilem. Simplex erit sane, quia ab ea excludunt metaphysicam compositionem, cum dicant, prædicta abstracta esse figura intellec-tus nostri: ut diximus in 2. Logices parte, disp. 2. initio quæstionis; nunc autem & physicam compositionem ab illa amovent, cum operationes re ipsa indistinctas eidem attribuant. Erit etiam immutabilis. Nam diversæ illæ modificationes, tendentiæ, applicaciones nihil intus ponunt in ipsa anima nostra, & Deo etiam adscribi possunt; quippe & novæ de illo dicuntur denominationes creantis, coexistentis, ac similiūm; diversimode etiam objectis applicatus intelligitur, dum ex non creante fit creans, ex non amante amans, ex non cognoscente actualem rei alicujus existentiam, re ipsa illam cognoscens. Ubi nec locum habere potest palmare Recentiorum exemplum ex corporis in figuræ varias mutatione depromptum. Quippe intelligere euidem possumus; qua ratione transitus ille corporis fiat, qui nempe partes corporis complicari, complanari, & transferri possunt de loco ad locum; unde diversa partium in loco dispositio diversam præ se ferre dicatur corporis modifica-tionem. At in anima prorsus in-

divisibili, nulla sane partium translatio, & nulla subinde mo-dificatio concipi potest, quæ aliquo modo intus in illa sit, atque ad eamdem pertineat, nisi nova en-titas illi superaddatur.

Probatur 2. Si anima nostra ope-raretur per intellectionem realiter indistinctam, esset substantia su-pernaturalis, & eam haberet per-fectionem, qua Deus est supra naturam. Id vero probatum manet ex iis, quæ diximus in prima par-te, disput. 3. quæst. 3. in sol. ad instantiam primæ objectionis. An-imadvertisimus etiam, naturam, quatenus dicit principium passi-vum, adversari violento, opponi autem supernaturali per princi-pium activum. Neutrū autem prin-cipium haberetur in anima nostra, si vera esset Recentiorum opinio, quia & nihil produceret & nihil recipere. Vide quæstio-nem secundam, disp. 3. Physicæ Generalis.

Probatur 3. Ea, quorum unum separari potest ab altero, & ex-istere sine illo realiter distin-guuntur: ut diximus in 2. Logi-ces parte, initio disputationis 2. Sed anima separari potest ab intellectione, & amore. Nemini enim dubium esse potest, nos via-tores carere nunc visione beatifica, & amore fructivo Dei. Igitur di-cendum est, actus illos esse enti-tates positivas menti nostræ super-fusas; eidemque advenientes. Hinc ejusmodi actus sunt supernaturales,

atque ex communi Theologorum sententia sunt qualitates animæ nostræ perfectionem attribuentes, & ab ipsa realiter distinctæ. Tum anima cognoscit se ipsam. Ergo cognitione id præstat à se realiter distincta. Alioquin enim si anima nihil est à cognitione, seu cogitatione distinctum, cogitatio tunc esset cogitatio cognitionis. Demum cognitio aut actio est, aut passio? Utroque modo distinguiri debet realiter ab anima, nam nihil est actio, aut passio sui ipsius. Igitur &c.

Respondent, Divinam immutabilitatem, ac simplicitatem non in eo sitam esse, quod Deus operetur per actus à se indistinctos, sed præ se ferre, Deum esse sibi principium adæquatum suarum operationum, à se ipso vim habere operandi, eundemque esse infinitum, nulloque indigere, aut carere: secus ac in creatura contingit, quæ licet operationes habeat indistinctas, semper finita est, & creata, non est adæquatum principium suarum operationum, ab alio vim agendi accidit, sine quo operari non potest, plura quoque ei deficiunt necessaria ad intelligendum, & amandum. Hinc mutabilis est, & composta, & quia finita est, ac creata, semper est substantia naturalis. Quod si Theologi aliter opinantur, id ex præjudicio profluit, quo effinxerunt in creaturis operationes realiter distinctas. Addunt denique, cognitionem distinguiri, & separari ab anima, non realiter, sed modaliter; hinc anima

de cogitatione in cognitionem transire dicitur, quatenus variis habentur cognitionis modi. Accidentia autem, seu qualitates realiter distinguuntur, & separari possunt quoad entitatem, non solum quoad denominationem: ut in anima contingit.

Contra primo. Dum de divinis perfectionibus agimus non est una cum altera confundenda; alioquin nihil distincte disserere possemus de Deo, sed omnia confuse tradarentur, & quærenti quid sit bonitas Dei, respondere quis posset esse asseitatem. Ergo immutabilitas, & simplicitas Dei nec per omnipotentiam ipsius, nec per infinitatem, nec per asseitatem explicandæ sunt, aut cum istis perfectionibus permiscendæ. Nam earum sunt conceptus plurimum diversi. At immutabilitatem, simplicitatemque Dei præ se ferre operationes re ipsa à Deo indistinctas, non soli Scholastici ex mentis præjudicio docuere, sed SS. Ecclesiæ Patres sapientissimi una voce confirmant, quorum quanto præstantior est doctrina, ubi de divinis agimus, tanto aciore reprehensione dignam esse convincit opinionem ipsorum unanimi consensui adversam. Quamquam & Scholasticorum unanimem hisce de rebus sententiam, gravem esse, minimeque contemnendam in Theologia ostendimus, quippe argumentum Traditionis est, & Venerabiles Concilii Viennensis Patres, approbante Clemente V. tanti scœrunt.

runt Doctores Scholasticos, ut communiorum illorum opinionem de effectu Baptismi tenendam trahiderint.

Contra secundo. Substantia creata nedum à Deo est, & dependet, verum etiam habet rationem naturæ: ut Physici omnes consentiunt: Quocumque autem modo notio naturæ explicetur, hæc in anima nostra intelligi nullatenus posset, si operationes ipsius non sunt aliquid reale eidem adveniens: ut diximus. Nec Déi supernaturalitas cum asseitate, vel infinitate confundenda est. Pugnant ergo simul, animam nostram esse finitam, & creatam, & esse substantiam supernaturalem.

Contra tertio. Cum intellectio, & amor sint animæ nostræ perfectiones, ab anima distingui debent, non modaliter, sed realiter. Sane beatitudo est maxima hominis perfectio: beatitudo autem in cognitione, & amore sita est. Atque Deus nos creando ad hoc instituit, ut ipsum cognoscamus; & amemus, & finis omnis profecto haber rationem perfectionis; & boni. Neque vero cognitione, & amore solam in nobis præ se ferunt extrinsecam denominationem, ut jam probavimus, nam & veram subinferunt in nobis mutationem, ac compositionem, atque animam nostram perficiunt: secus ac in Deo contingit; dum cognoscere dicitur, & amare creature, cum immutabilis sit, & simplex, nullamque ex rebus hisec creatis perfectionem

accipiat. Nos autem assentimur Augustino transitum in mente nostra admittenti à cognitione in cogitationem; à perfectione nimirum ad perfectionem, cum actus vitalis ex sua notione formalis sit perfectio. Adeoque cogitationem esse dicimus entitatem menti superfusam, nam entitas, & perfectio idem significant, quemadmodum Ens, & Bonum. Non ergo solum transitum agnoscimus à modo cogitationis in alterum ejus modum: ut Recentiores autem, qui cum inniti se profiteantur claris, distinctionisque ideis, non tamens satis declarare possunt, & exponere, quid sit ea mentis modificatio, quid sit variæ animæ applicatio, quid demum sint varii illi cogitationis modi, & transitus de uno ad alterum. Quam obrem nihil proponunt appertius, ac evidenter qualitatibus absolutis Peripateticorum.

Objicies I. Deus vivit per actus à se re ipsa indistinctos. Ergo etiam anima nostra. Probatur consequentia. Anima nostra vere, & proprie vivit sicuti vere, & proprie vivit Deus. Vel ergo essentialis conceptus vivæ præ se fert vivere per actus distinctos, vel per actus indistinctos? Si primum, Deo convenire non potest. Alterum igitur dicendum erit.

Confirmatur. Non minus perfectio est intrinseca divina libertatis posse determinare se, indepen-
der à quocumque prædeterminante, ac sit perfectio naturæ divinae iden-
ti-

titas cum sua operatione. Idemque de existentia verum est. Nihilominus libertas creata eam potestatem præ se fert: & existentia ipsa realiter indistincta est etiam à creatura. Idem ergo &c. ^{mutatis mutatis}
 - Respondeatur, in primis argumentum retorqueri posse; quia diversa est ratio vitæ in Deo, ac in creatura: ut probavimus, maxime ex SS. Patrum sententia. Vivit ergo Deus per actus à se indistinctos, quia simplex prorsus est, ac immutabilis. At anima nostra composta est, ac mutabilis, & ideo non habet vitam à se indistinctam. Hinc Deus vita ipsa dicitur, & semper actualiter vivit: anima vero nostra non sic se habet, quia idem non est illi esse, ac vivere: ut diximus in quæst. 3. in sol. ad 3. ob. Conceptus autem vitæ, si in actu primo accipiatur, prout Deo, & hominibus convenit, præ se fert principium percipiendi objecta: & in actu secundo dicit actualēm intellectiōnēm, quæ Deo substantialis est, & ab ipso indistincto; propter summam simplicitatem, & immutabilitatem: quod animæ nostræ non convenit. Unde ipsa ratio vitæ actualis abstrahit ab identitate, & distinctione, respectu illius, cui convenit, & solam dicit intellectiōnēm. Quamobrem ex ratione ipsa creature sequitur, vitam actualem realiter ab ipsa distingui. ^{mutatis mutatis}

- Ad confirmationem. Multa certe sunt, qua Deo convenient, & tamen creature etiam aptantur: &

- 101

quidem per identitatem, licet non perfectissimam, ut Deo proprium est. Ea autem prædicata, quæ solè Deo sunt propria, non possunt creaturis communicari: ut Simplicitas, & Immutabilitas &c. Ergo extrahatur, quæ ratione divina similitudinēs, & inmutabilitatis indistinctas sunt à Deo, non debent etiam indistincta esse in creaturis. Si quæ vero, ratione sui, aut ex capite superfluitatis, realiter indistincta esse intelliguntur, hæc tum in Deo, tum in creatura identitatem habent: quamquam aliter. Porro libertas ex sua ratione formaliter excludit prædeterminationem, vimque dicit se se pro libito determinandi, & in hoc ipso tum in Deo, cum in anima nostra omnino est ejusdem rationis. Animadvertis autem libertatem in Deo præ se ferre solam indifferentiam ad diversa objecta: in nobis vero indifferentiam ad diversos actus, & horum gratia ad diversa objecta. At substantia non involvit in suo conceptu operationem: nec vita actualis in sua ratione formaliter continet identitatem cum substantia, cui convenit. Quoad existentiam denique, & operationem, patet discriben ex dictis in 1. parte, disp. 3. q. 3.
 Obijipes 2. Tota voluntatis nostra œconomia explicatur abunde per analogiam ad motum localēm; nam & amor dicitur pondus, desiderium motus, delectatio quies. Atque motus localis nihil præ se fert entitatis novæ, distinctæ à mobili,

&

& loco. Ergo nihil ejusmodi entitatis præ se fert volitio. Ita ratiocinatur P. Maignanus. Addunt alii, animam nostram velle, nihil aliud esse, nisi ipsam animam, stante alteratione humorum in sensibus, taliter affici, ut ipsa non se retrahat, nec conetur retrahere; adeoque non opus esse actione realiter distincta.

Respondeatur, in primis plures Peripateticos docere, motum localem esse quidpiam à mobili distinctum, eidemque superadditum. Deinde analogia illa & similitudinem præ se fert, & diversitatem, quamobrem non omnino eadem habenda est ratio motus, & volitionis. Itaque analogia in eo tantum sita est, quod S. Augustinus expressit: ut nempe volitio, sive amor sit medium, quo voluntas in delectationem fertur, quemadmodum corpus locum obtinet per motum. *Ita enim corpus pondere* (ait S. Doctor l. 11. de Civitate Dei, c. 28.) *sicut animus amore, fertur, quocumque fertur.* Præterea transitus à loco ad locum sit amittendo viciniā unius, & acquirendo viciniā alterius. Quid ergo dicendum erit de transitu voluntatis à volitione unius objecti ad volitionem alterius? Respondeat quidem Maignanus, voluntatem transire per pedes, qui sunt affectus. At exponit idem per item transitum enim volitionum explicat per transitum affectuum, cum ipsæ volitiones sint affectus.

Ad secundum. Inquirimus primo, quid sit voluntatem affici, &

non se retrahere? Secundo, auctu-
morum alteratio determinat vo-
luntatem nostram, aut illam non
determinat? Si primum, ergo nullus manet locus nostræ libertati. Si
alterum, quanam ratione voluntas
se ipsani determinat? Ad hæc, ani-
ma rationalis à corpore sejuncta vo-
litiones habet: locus tamen nullus
tunc patet alteracioni humorum.

Objicies 3. Ex eodem Maigna-
no. Juxta communiorē Philoso-
phorum sensum determinatio vo-
luntatis nostræ antecedit concur-
sum Dei. Si enim concursus Dei
antecederet, prædeterminaret. Igi-
tur aut illa determinatio antecedens
est aliquid: & hoc ipsum est falsum,
aliоquin quidpiam esset à nostra
voluntate, Deo non concurrentes;
aut illa determinatio omnino nihil
est: atque id ipsum asseverare pos-
sumus de qualibet nostræ voluntati
operatione. Secundo; sententia
negans actum vitalem distinctum,
tantum abest, ut quasi nova debeat
à Scholis rejici, ut potius eamdem
debeant Scholastici libentissime am-
plisti. Etenim huic iuri referent
acceptam tandem expetitam concor-
diā circa Dei prævium, simulta-
neumve concursum in operationes
præsertim liberas nostræ voluntati-
tis. Tota siquidem lis evanescit,
sublata speciali entitate volitionis.

Respondeatur. Nego assumptum.
Etenim communī sensū Theologi
illi, & Philosophi, qui prædeter-
minationem inficiantur, non aliam
agnoscunt in nostra voluntate de-
ter-

terminationem nisi ipsummet actum voluntatis, ad quem Deus etiam immediate concurrit.

Ad secundum. Nego itidem assumptum, & probationem ejus. Etenim ipsi etiam Recentiores Philosophi, qui adstruunt nostræ voluntatis actus non esse ab ipsa realiter discretos, fatentur nihilominus, voluntatem nostram libertate gaudere, eamdemque active operari. Quamobrem exponenda semper manet ratio illa, quæ Dei concursus cum creata libertate componat. Nec oportet profecto, nec in idipsum confert dicere, actus liberos à nostra voluntate non effici, ut subinde divinum concursus ad eosdem liberos actus tollamus.

Objicies 4. Actus supernaturales non satis ostendunt opinionem Peripateticorum. Neque enim actus illi entitatem præ se ferunt supernaturalem. Satis quippe est, eosdem actus proficisci ab intellectu, vel voluntate, quæ principiis donentur indebitis, vimque naturæ excedentibus. Ita sane intelligimus, non posse homines naturaliter videre Deum intuitive, quoniam intellectus creatus indiget auxilio supernaturali sibi indebito, quo elevetur. Quamvis autem beatitudo non dicat novum aliquem actum, tamen nunc anima non dicitur beata, nec habet nunc perfectionem beatitudinis; deficiunt enim illi ea, quæ ad denominationem beatitudinis requiruntur: quo modo Deus, etsi habeat actum crea-

di à se indistinctum, non tamen semper denominatur Creator.

Respondetur. Nego assumptum. Ex nostris probationibus liquet, actus illos præ se ferre novam entitatem. Communis autem Theologorum sententia docet, hoc esse discrimen inter actus supernaturales quoad substantiam, & actus supernaturales quoad modum (Vide quæst. 4. disp. 5. Physicæ Generalis) quod illi quidpiam sint in sua entitate excedens naturæ vires, non isti: quamvis ad utriusque generis actus necessarium sit auxilium supernaturale. Docent etiam Theologi, eos omnes actus realiter distinctos esse ab anima nostra; docent, eos specifica differentia ab actibus naturalibus secerni: docent, supernaturalia illa principia, quibus nostra facultates adjuvantur, esse qualitates. Quæ quidem omnia sine sufficienti ratione Recentiores inficiantur. Ad alterum. Deus omnino eamdem semper obtinet perfectionem, sive dicatur re ipsa creator, sive non. Ergo nos æque perfecti nunc essemus, ac Beati in cælo, quamvis denominationem beati nunc non habeamus, quia idem semper est indistinctus animæ actus, & denominatio illa, ut putant Recentiores nihil intrinsecus adderet animæ nostræ.

Objicies 5. Essentialis notio actus vitalis præ se fert, ut sit proprius facultatis vitaliter operantis, siquidem est ipsius vita in actu secundo. Porro entitas realiter distin-

stincta ab ipsa facultate operante non potest esse vita ipsius. Ergo operationes animæ non distinguuntur realiter ab ipsa. Minor probatur. Quod est realiter distinctum ab anima, non est ipsa anima. At vita animæ debet esse ipsa anima; alioquin anima viveret per vitam à se realiter distinctam: quod absurdum est. Quemadmodum ergo vita in actu primo est substantialis, & realiter indistincta: nec anima denominatur potens vivere per potentiam à se realiter distinctam: Ita dicendum de actu secundo vitæ.

Respondetur. Nego minorem. Sane latum est discrimen vitæ in actu primo, & vitæ in actu secundo. Quippe illa semper convenit animæ, & est ipsi essentialis, non sic ista. Ipsa etiam anima non transit à potentia vivendi ad potentiam vivendi: transit autem à cogitatione in cogitationem. Quamobrem nec per se se re ipsa vivit, uti Deus, sed vivit re ipsa per proprias operationes, quæ propriae sunt ipsius animæ, & ab ea proficiuntur, eique insunt.

Objicies 6. Si operationes animæ constituantur entitates quædam ab eadem realiter distinctæ, res constituitur, quampercipere nemo valeat. Nulla enim præsto nobis est idea; quæ entites illas possit repræsentare, earumve queat declarare naturam. Deinde si actus illi sunt accidentia, profecto essent accidentia spiritualia. Igitur aut dicuntur corruptibilia, aut non? Si

primum, ergo etiam rationalis anima, & Angeli essent corruptibiles: Nam ex communi sententia eatenac substantiae istæ dicuntur incorruptibles, quia sunt spirituales: Ergo si accidens spirituale est corruptibile, jam spiritualitas non subinfert incorruptibilem. Si secundum, anihilarentur: sed ab anima anhilari non possunt, sicut anima creare non valet; ergo à solo Deo anihilarentur: ac subinde ab eo etiam solo producerentur per creationem: quod absurdum est. Igitur &c.

Respondetur, frustra Recentiores expectare claram, distinctamque rerum ideam, ut earum faintantur existentiam. Etenim intima rerum essentia, & spiritualia præsertim entia, clare, & distincte à nobis in hoc mortali statu constitutis percipi non possunt: ut sæpe diximus. Itaque cognitio est ipsa objecti representatio, sive imago: volitio autem est determinatio voluntatis, qua objectum cupit, atque in illud fertur.

Ad secundum dicimus, actus illi los destrui posse naturaliter. Quamvis enim nequeant veram pati corruptionem, quoniam ista alterationem, & partium compositiōnem supponit; tamen naturaliter possunt desinere. Neque spiritualitas qualiscumque subinfert, rem naturaliter non destruens; sed solum illa spiritualitas, quæ excludit dependentiam ab alio quoad esse: cuiusmodi est sola spiritualitas substanciæ.

tie. Quare optime probatur, animam rationalem, & Angelos naturaliter desinere non posse, quia à nullo subjecto dependent quoad esse. Actus autem illi vitales dependent ab anima, velut à subjecto; unde nec dicuntur anihilari. Sicut enim creari proprio sensu non dicuntur, quia ex sui naturali conditione fiunt in subjecto, ita nec dicuntur anihilari, quia in subjecto desinunt, permanente subjecto. Producuntur vero ab ipsa anima licet possint, absolute loquendo, etiam à solo Deo produci: ut in quæst. 5.

QUÆSTIO OCTAVA.

Vtrum Idea animæ rationalis sint ingenitæ vel adventitiae, & factitiae?

Cartesius, & Recentiores pen-
ne omnes docent ideas rerum nobis esse à Deo ingenitas, quibus Deum, Animam, essentias, & generalia axiomata percipimus; nam rerum singularium ideas adventitiae, vel factitiae esse & ipsi Recentiores fatentur. Attamen Gassendus oppositam tuetur sententiā, & Cartesii opinionem refellit. Peripatetici nullas ideas ingenitas agnoscunt, atque cum Aristotele affirmant, *Nihil esse in intellectu, quin prius fuerit sub sensu*, quatenus ideas nobis nunc comparamus, & quidquid intelligimus, vel immediate, ac per se se; vel mediate,

Tpm. I.

ac alterius gratia, sub sensibus nostris cadit, & aliquo modo est sensibile. Unde sensuum functiones peracta, intellectus noster ideas sibi format, quæ dicuntur *adventitiae*: & præterea vim habet ideas varie componendi, dividendi, contrahendi, ampliandi, comparandi; quippe una idea accepta, intellectus alias sibi efformat, proportione quadam illi respondentes, quas *factitiae* appellamus.

Idea porro aliud non est, nisi imago rei, quæ cognoscitur. *Clara* tunc dicitur, quando aperte rem manifestat; si secus, obscura erit. *Distincta* appellatur, quoties rem unam ab altera secernit. *Perfecta* vero tunc erit, quando quidquid in re extat, expresse representat.

Dicimus, nullam in nobis extare ideam ingenitam, sed ideas omnes mentis nostræ adventitias esse, vel factitiae. Ita docet Aristoteles, lib. 1. Posteriorum, & Scotus ibidem q. i. &c.

Probatur assertiones nostra, quæ ex illarum genere est, quas negante dicimus. Nulla ratio sufficiens, nulla experientia demonstrat, rerum ideas esse nobis ingenitas. Immo vero scientia experimentalis manifestum fit, nihil nos conceire, nisi sub specie aliqua, quam Phantasia suppeditet. Eorum quoque omnium, quæ nullatenus nostris sensibus percipimus, nulla pene idea est. Hinc ille, qui cæcus est à nativitate sua, nullam ideam

Yy

co-

colorum habet. Neque enim Recentiores poterunt nobis id demonstrare : atque argumentorum solutione assertio nostra affirmabitur.

Quoniam vero Recentiores ajunt, se habere claras, distinctasque ideas rerum : præsertim Dei, Veritatis, Angelorum, Animæ, Cogitationis, Sapientiæ, Pulchritudinis, Numeri, Rei, Substantiæ, Temporis, & Negationis ; horum nos idéas exponemus, quales extant in nobis ex sensibilibus ductas ; Tum impensius rogamus Recentiores, ut ipsi in medium proferant earum rerum ideas claras, & distinctas, minimeque sensibilibus derivatas.

Existencia itaque Dei ex rerum creatarum contingentia demonstratur, ceterisque argumentis ex sensibilibus rebus. *Unitas* etiam Dei eodem ratiocinationis genere colligitur : ut diximus in disp. I. *Atributa* Dei ex iis ducentur, quæ vulgo miramur in nobis, detractis eorum imperfectionibus quibuscumque : cujusmodi sunt diuturnitas, potentia, scientia, bonitas, beatitudo, quas quantum possumus ampliamus, ac deinde dicimus Deum æternum, omnipotentem, omniscium, optimum, beatissimum. Porro idea illa, quæ omnia hæc repræsentat, non habet propterea plus realitatis objectivæ, quam habeant res finitæ simul sumptæ, ex quarum ideis illa compacta est, & deinde adiuncta. Nam neque qui dici æternum, complectitur men-

te totam extensionem durationis, quæ nunquam cœpit, & nunquam desitura est; neque qui omnipotentem dicit, comprehendit mente suâ totam multitudinem effectorum possibilium : atque ita de ceteris.

Incorporeum Deum dum intelligere admittimus, eum non nisi sub specie aliqua, quam phantasia expedit, percipere possumus ; hoc est, forma, nisi humana, saltem quasi aerea, quasi ætherea : non tamen eumdem concipere valemus, ut est in se se, res prorsus spiritualis mereque incorporea. Et cum rationem corporis, sive partium ab eo conceptus removere sat agimus ; solum negando, id præstamus. Quamobrem Deum, qualis est in se, concipere non valemus, nec claram habemus, distinctamque ideam Dei. Hinc merito, & ad rem nostram S. Gregorius Nazianenus, oratione 2. de Theologia, semper nostrum aliquid intervenire ait, dum spiritualia nitimur cogitare.

Veritatis idea sic comparatur. Cum enim ideam aliquam habuimus, eamque veram judicavimus, quoniam objecto conformis erat ; hoc ipsum reflexa cognitione attingentes, cognoscimus, veritatem in conformitate, seu similitudine ideæ ad objectum consistere. Unde veritatis idea adventitia est, & à rebus ipsis collecta.

Angelorum & Animæ rationalis idea non nisi confusa in nobis est, quo modo Deum incorporeum connamur attingere. Eos igitur conci-

primus, velut auram quamdam tenuem, subtilissimam, lucidissimam, cui vim cogitandi, & volendi attribuimus, & à qua removemus esse corporeum; atque confuse eosdem cogitamus, ad modum cuiusdam entitatis, quæ in se se substansia sit, sed non corpus. Dum tamen id efficere conamur, semper aliquod sensibile intervenit.

Cogitationis idea ad instar sensibilium effingitur. Etenim ut mens ex idea unius urbis effingit ideam alterius, ita ex idea unius actionis, ut v. g. visionis, fingere potest ideam alterius, ipsius puta cogitationis. Nempe analogia quædam agnoscitur inter vitales operatrices animæ facultates, unaque ad alterius notitiam facile dedit. Cum autem cogitatio, seu cognitio sit imago quædam, & representatio objecti sui; siccirco eam nos concipi mus quoquo modo ad instar aliarum sensibilium imaginum: ab ea postmodum corporis affectionem detrahentes.

Sapientie, & *Pulchritudinis* idea eamdem habet originem, ac idea Veritatis. Illa enim aliud non est, nisi aggregatum quoddam ex ideis, sive cognitionibus veris. Hæc vero proportionem rectamque dispositionem partium repræsentat, quæ ab objectis visis oritur, quatenus ea delectant sensus nostros, puta oculos; unde pulchram rem esse judicamus ex hac sensibili delectatione.

Numeri ideam ex sensibili re singulari habemus: eamque multiplicamus ex corporum, quæ conspicimus, divisibilitate.

Rei idea universalis cum sit, ex singularibus, quatenus similia sunt, colligitur. Nec sane concipi potest, nisi prius singularia pleraque fuerint perspecta, ex quibus mens conceptum communem abstrahat. Quod ex iis, quæ de universali in Logica diximus, appetat.

Substantiae ideam non nisi confusam habemus, eamque sub accidentibus, & mediis illis concipi mus. Substantiam ergo cogitamus ut aliquod accidentibus, seu affectionibus substans, & non in alio, sed per se existens; sed non nisi per accidentia eamdem percipi mus.

Temporis idea est Motusidea. At idea motus quidpiam exprimit habens partes sibi succedentes: quod ex locali corporum successione, seu latione, colligimus.

Negationis idea nulla est, & negationes indirecte cognoscimus quoties rem non esse perspicimus, quemadmodum alias docuimus. Aut si mavis, Negatio est duorum invicem separatio, quæ conjungi non posse, vel saltem conjuncta non esse intelligimus: quemadmodum Affirmatio duorum invicem nexum præ se fert.

Hinc igitur appetat, nullam in nobis ideam esse, nisi ex sensibili bus quoquo mododerivatam. Acceptas porro à sensibili bus ideas

mens nostra virtute sua componit, dividit, contrahit, ampliat, & comparat. Ita ideam Chimeræ mens componit ex idea capitis leonis, véntris capræ, caudæ serpentis. Sic idea Gigantis ex idea efficitur hominis magnitudinem vulgarem habentis, quam intellectus marte suo ampliat: ut eam coarctat, Pigmæum effingendo. Ita quoque ex aliis visis, similia sibi intellectus efformat.

Infiniti ideam claram, distinctam, & positivam se habere Recentiores Philosophi jactitant, atque infinitum non ex finito cognosci, sed potius vice versa finitum deprehendi ex comparatione ad infinitum: quo modo parvum non attingitur, nisi ex comparatione ad majus. Neque tamen, inquit Cartesius, hæc Infiniti idea omnino adæquata est, sed modulio ingenii nostri conformis. Nam & possumus habere ideam Trianguli claram, & distinctam, licet non sciamus quæcumque de eo sciri possunt. Infinitum porro à finito differt per aliquid reale, ac positivum: finitum vero ab infinito per negationem discrepat. At nos primo cognoscimus positivum, quam negationem. Addit, ideam claram, & distinctam Infiniti in eo haberet, quod illud includat perfectionem omnem. Alii vero Recentiores inquiunt nos habere claram, distinctamque ideam Infiniti in eo, quod agnoscimus, illud comprehendi à nobis non posse.

At nos figura hæc esse, ac paradoxa arbitramur. Humanus enim intellectus finitus cum sit, non est concipiendæ Infinitatis capax: & ideo neque habet, neque respicit ideam infinite rei positive representatricem; nec alia sane ratione Infinitum concipit, nisi negative, quatenus rem, seu perfectionem termino carere intelligit. Cognitionem autem adæquatam nullius vel minimæ rei pro statu isto habemus: quemadmodum experientia manifestat; quanto magis nostra perceptio longe erit à positiya notione rei infinitæ? Triangulus porro finita res est, & ideo ideam ejus habere possumus. At cum proprietates trianguli sint infinitæ, earum quoque positivam ideam non habemus; nam infiniti ad mentem nostram, quæ finita est, nulla potest esse proportio.

Captiosum vero est commentum asserere, finitum ex infinito cognosci, non hoc ex illo. Perinde enim est ac si diceretur, non cæcum esse privatum visu, se è contra videntem esse privatum cæcitatem. Itaque finitum est quid positivum, & posito nomine expressum; infinitum vero, quamvis positivum aliquid sit, per solam negationem à nobis concipiatur, quatenus termino caret. Et licet in se se infinitum distet à finito per aliquod reale, ac positivum; quoad nostrum concipiendi modum, negative differt: quatenus non alia ratione infinitum concipimus, nisi qua-

quatenus termino , seu fine carere intelligimus : finis autem rei est ipsa res , quatenus ulterius non extenditur.

Nec eadem est ratio parvi , & magni , ac finiti , & infiniti : Quippe utrumque illud comparativum est , & relatum , atque non nisi comparative attingitur , unde nec parvum sine magno , nec magnum sine parvo vicissim cognoscimus . Relativa enim simul sunt tempore , natura , & cognitione . Non ita se habent finitum , & infinitum .

Sed nec infinitum positive concipi potest , quatenus omnem includat perfectionem . Omnem namque perfectionem concipere non valemus , nisi perfectiones singulas infinitas lustrando , atque à finitis ad infinitum progrediendo , terminumque nullum huic inesse affirmando . Dum autem ajunt , infiniti nos ideam claram , distinctam , & positivam habere , quatenus agnoscamus , illud à nobis comprehendi non posse ; terminis maxime abutuntur , dum positivam ideam per negationem exponunt . Ea enim ratione cognoscimus , quid non sit ; non quid sit : perspicimus , nos non posse intelligere infinitum , non vero nos clare distincteque illud intueri . Negativam hinc infinitatis ideam tenemus , non positivam ; sed negativa idea non potest esse clara , & distincta , cum nihil declaret , sed tantummodo aperiat , quid objectum non sit .

Objicies 1. ex Cartesio in Medi-

tatione 3. Idea Dei mentibus nostris ingenita est . Idea nempe , quæ nobis repræsentat substantiam quamdam , infinitam , independentem , summe intelligentem , summe potentem , & à qua , quodcumque extat , creatum est . Ergo &c. Antecedens probatur . Neque enim illam (inquit Cartesius) à sensibus hauisit , nec unquam non expectanti nibi advenit , ut solent rerum sensibilium ideæ , cum istæ res externis sensuum organis occurrent , vel occurrere videntur ; nec etiam à me effecta est , nam nihil ab illa detrahere , nihil illi superaddere plane possum .

Confirmatur . Manifestum est naturali lumine , tantumdem perfectionis saltem debere in caussa reperiri , quantum in effectu est . Ergo tantumdem saltem debet esse realitatis formalis in caussa ideæ , quantum objectivæ realitatis est in idea . Porro longe perfectior in nobis est idea Dei , quam sit mens nostra , ceteraque entia sensibilia . Idemque valet de idea Substantiæ . Ergo hujuscemodi ideæ nec à nobis effectæ sunt , nec à rebus sensibili bus hauriuntur ; atque adeo sunt ingenitæ .

Idem argumentum proponit Purchotius , parte 2. Metaphysicæ , sect. 1.c. 1. Extat in nobis idea Dei , entis nimirum summe perfecti ; non enim alia ratione cogcoscamus , non esse imperfectos , nisi quia ab illa idea deficere non advertimus . Porro illa idea non est adventitia . Ens enim summe perfectum nula

af-

affectum est qualitate sensibili, adeoque sub sensibus cadere non potest: res etiam sensibiles sunt imperfectæ, nec proinde in generare nobis possunt ideam entis summe perfecti. Sed ne factitia est; simplex quippe est, non composita; perfection est omnibus aliis, adeoque ab illis effici non potest; denique nihil ei addere, vel detrahere possumus, sicut in ideis factitiis præstamus. Ergo ingenita est. Hinc Tertullianus cap. 27. Apologetici, unius Dei existentiam probat naturali animæ nostræ testimoni: quæ licet caroere corporis presa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus, & concupiscentiis evigorata, licet falsis Diis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, aut ex aliqua valedudine, & sanitatem suam patitur; Deum nominat hoc solo nomine, quia proprio verus hic unus Deus bonus, & magnus.....O testimonium animæ naturaliter christiana. Ergo &c.

Respondeatur, totum hoc argumentum procedere ex falsa suppositione. Supponunt enim Cartesiani, claram, distinctamque, & perfectam Dei ideam id nobis esse: quod nos tamdiu negabimus, quamdiu à Recentioribus producta non fuerit demonstratio in evincens. Nam hoc ipsum nunc in quæstione est. Itaque ideam illam confusam, & imperfectam, quam pro statu isto nos de Deo habemus, & de Substantia, aliisque abditioribus rebus, intellectus noster efficit, oc-

casionem à sensibilibus accepta: ut supra declaravimus. Quemadmodum enim ego sum caussa imaginis meæ in speculo, quatenus mei spæciam in illud quoquo modo dicor emittere; ita res sensibilis speciem sui in oculum imprimit, & species ista alteram cum phantasia in ipsa intelligitur producere, itemque ex hac, & cum hac aliam efficit intellectus spiritualem in se ipso speciem objecti repræsentativam, quæ objecto est similis, non quidem in entitate, sed in repræsentando, juxta modum, quo objectum ipsum attingitur. Tum intellectus ex hac specie ideam sibi expressam, & formalem objecti similitudinem efformat. Ex acceptis autem sensibilium ideis alias sibi variis modis intellectus componit, & effingit: ut diximus.

Ergo idea Dei, quæ in nobis est, partim à sensibus hausta, partim efficta dici potest ab intellectu. Quare falsum putamus, ideæ illi nihil posse nos addere, nihil detrahere. Quo enim minorem, vel maiorem ideam habemus perfectiōnum, minorem, vel maiorem etiam Dei ideam nobis comparamus. Hinc in Cælo Beati majorem, perfectiorēque ideam Dei habent, quam in terris habuerint.

Neque vero ut cognoscamus nos esse imperfectos, necesse est, ut nos ipsos Deo comparemus, aut ideæ Dei claræ, & distinctæ. Vel ipsa enim experientia nostram imperfectionem percipimus. Immo ex

cognitione potius nostræ imperfectionis, & contingentia ad Dei notitiam ducimur, & assurgimus. Divinæ pariter simplicitatis nullam claram, distinctamque ideam in nobis agnoscamus. Quamquam ergo fateamur, ideam claram, & distinctam Dei non posse à sensibilibus hauriri, nec etiam à nostro intellectu efformari, tamen inficiamur ideam Dei esse ingenitam; quippe negamus hanc ideam Dei claram, & distinctam in nobis esse: quod Cartesiani probare non valent.

Tertullianus non aliud intendit, nisi Deum à nobis naturaliter cognosci posse: & quidem traditione, aut ratiocinatione à creaturis dicta. Addit enim: *Denique pronuntians hæc, non ad Capitolium, sed ad Calum respicit. Novit enim sedem Dei vivi ab illo, & inde descendit &c.* ceterum si ex verbis Tertulliani rite concluderet Purchotius, ex ipsius mente ideam existentiæ, & unitatis Dei esse claram, distinctam, & ingenitam, oporteret etiam affirmare, Tertullianum putasse; ingenitam quoque nobis esse ideam Dei claram, & distinctam sub notione Supremi Judicis: quod nemo dixerit. Etenim Tertullianus potest ea verba citata, Deus bonus, & magnus, statim addit: *Et quod Deus dederit omnium vox est: judicem quoque contestatur illum, dum ait: Deus videt: Deo commendo. O testimonium &c.*

Objicies 2. ex eodem Cartesio. Nemo affirmare potest in cæco à

sua nativitate nullam esse ideam colorum. Etenim interdum in nobis, etsi claudamus oculos, nihil minus sensus lucis, & colorum excitantur. Ergo admitti jure possunt innatæ rerum ideae. Duæ quoque, inquit. Cartesius, sunt in nobis Solis ideae: una hausta ex sensibus, qua parvus apparet, altera ex rationibus astronomicis ducta, qua ingens esse concipitur. Hæc porro, quæ vera est, non est ex sensibus hausta, sed ex notionibus innatis elicita; differt enim essentialiter ab illa, quæ falsa est.

Respondetur, ajentis munus esse id probare, quod asserit, non vero negantis. Probent igitur Cartesiani, ideam colorum extare in cæco nato. Adductum vero ex nobis exemplum nihil juvat. Interdum enim in nobis excitatur sensus aliquis obtusus lucis, aut colorum, etiam clausis oculis, quia videndi virtute pollemus, coloresque, & lumen aliquando perspeximus, & palpebras transparentes habemus, adeo ut sint in nobis instar veli non plane opaci. Negamus tamen perinde sensum illum excitari in iis, quibus oculi, vel confossi, vel effossi sunt, & nihil unquam videbunt, & quibus parés sunt cæci ab exortu: in quorum anima facultas quidem est videndi, sed in effectum non exit suum, quoniam organum videndi in illis aut nullum est, aut male dispositum, & perturbatum.

Ad alterum. Vera illa Solis idea non ex innata notione procedit, sed

ex ea, quæ per sensus incurrit, quatenus experientia probat, & ratio illi innixa confirmat, res distantes apparere minores se ipsis vicinis. Unde ampliorem tantum efficit ideam mens nostra, quantum constat Solem à nobis distare, ex equaque diametro sua centum sexaginta, & pluribus vicibus magnitudini Telluris. Ergo prima idea Solis adventitia est, altera factitia, quam per ratiocinationem, & necessariam consecutionem ex illa priore efficit sibi intellectus.

Objicies 3. Sensus non possunt producere, nisi species sensibiles, hoc est, coloratas, sapidas, sonoras. Intellectuales species non sunt hujusmodi, sed longe præstantiores sunt illis. Ergo intellectuales species à sensibus non oriuntur. Sed neque ab intellectu species intellectuales efformari possunt. Nam iste, antequam species efformet, vel cognoscit rem repræsentatam per species, aut minime rem cognoscit? Si primum, ergo jam habet rerum species, antequam eas efformet. Secundum dici non potest; nequit enim intellectus in se ipso rerum illarum species effingere, quas non cognoscit. Ergo species sunt innate.

Respondetur, sensus utique non esse causas adæquatas specierum intelligibilium; sed has ab intellectu effaci simul concurrente sensibili specie, quæ in repræsentando similis est ideis nostris, licet non in sua entitate. Concedimus etiam, intellectum non cognoscere ipsas res,

nisi quando earum species in se effingit. Sed hinc non sequitur, intellectum non posse species illas in se efformare. Quemadmodum ergo dum in oculi retina species visiva pingitur, tunc oculus rem videt; ita intellectus rem cognoscit, dum illius speciem habet. Et hanc quidem ut efformet, non indiget idea illius; quippe non agit arte, sed natura: ipsa autem idea non est necessaria agenti naturali, sed artifici.

Plato in Phædone docuit, omnes animas à Deo primitus in celo Empireo ante corpora conditas ab æterno, & constitutas fuisse: sed quia ibidem peccavere, detrusas fuisse in corpora, ut in illis debitas peccatis luerent pœnas. Hinc primo scientias omnes animabus nostris inditas fuisse commentabatur, nostrumque scire non esse aliud, nisi recordationem illarum rerum, quas olim vidit animus noster cum Deo profectus. Ut nimirum Mens nostra ex se se omnium scientiam habeat; sed tamen cum demergitur in corpus, quasi in obscuram specum, veluti obtenebrescat, contrahatque rerum omnium oblivionem, quam deinceps usu, exercitatione, atque sensibilium rerum speciebus excitata deponat.

Ridiculam hanc Platonis fabellam de animarum præexistencia ante corpora, saepè ab Ecclesia, præsertim in Bracarensi I. Concilio, damnatam, nemo ex Recentioribus adoptavit. Quod autem lati-

tinet ad ingenitas nobis rerum scientias, aliquibus hæc sententia placuit.

Sed cum doctrina hæc nulla sufficienti ratione fulciatur, jure nos eam minime probamus, atque scientias de novo acquiri tenemus. Quod autem ajunt, ingenitam rerum, aut saltem terminorum notitiam in nobis prærequisiri, ut res ipsæ apprehendi queant, nam quod totaliter ignotum est, apprehendi non potest: sicuti servus fugitus totaliter ignotus domino, nequit ab ipso apprehendi; Hoc Subtilis Doctor, q. i. Posteriorum, inane esse demonstrat, quia in hypothesi servus nihil habet, unde possit dominus colligere notitiam illius. At intellectus noster per sensuum representationem primo acquirit terminorum notitiam lumine suo naturali, tum cognitos terminos invicem comparat, & judicia efformat, atque ex judiciis ratiocinationes, & scientiam subinde acquirit. Ajunt etiam, puerum à Socrate interrogatum de dimensione quadrati, recta respondisse, quin prius Geometram scientiam ille sibi comparaverit. Sed bene animadvertisit Scotus, puerum illum respondisse, non jam indoctum, sed doctum. Quippe variis interrogationibus, quarum series à primis, & facilitioribus ad præstantiores, difficilioresque ducebatur, Socrates applicavit intellectum illius fusionis ad rectam principiorum perceptionem; unde puer faciliora pri-

Tom. I.

mum solo lumine naturali percipit: tum & lumine naturali, & acceptis jam notitiis doctior effectus, cetera enodavit.

Colligit, omnes, etiam pueros, bona appetere, & honesta per lumen naturale, quo bonum à malo discernimus, & voluntas in bonum sibi convéniens inclinatur: ita quoque gustatu amara à dulcibus distinguimus. Variis etiam in hominibus experimur inclinationes ad unam præ alia facultatem addiscendam. Sed hujus variæ propensionis ratio petenda est à multiplici cerebri humani dispositione. Nam qui spirituum majori copia abundant, ii maxime ad speculativas facultates inclinantur: quorum cerebrum est crassius, nec spiritibus vivacioribus refertur, hi ad experimentales propensi sunt scientias. Quamquam & ipsa prima applicatio, & fructus assequendi species, aliaque id genus similia, plurimum conferant in id ipsum. Adamo autem Deus in ipsa creatione omnes infudit scientias, quia ipsum primo constituit in ætate virili perfecta, unde debuit illi tribuere perfectiones omnem tam substantiales, quam accidentiales, ætati illi congruentes: secus ac in nobis contingat.

P. Mallebranche in Tractatu de inquirenda veritate, & Purchotius in Tractatu de Mente humana, c. 4. prop. 4. docent, ideas mentis nostræ nihil aliud esse, nisi Divinam ipsam Essentiam, quæ

mentibus nostris intime conjuncta, ita easdem illustrat, ut in se ipsa, veluti in speculo, res, & objecta quælibet exhibeat, ac repræsentet.

Sed hæc opinio oppido falsa est, & absurdâ, tum quia nulla sufficienti ratione asseritur, tum quia si nos immediate, clare, & distincte Divinam Essentiam nunc intuemur, eique immediate conjuncti sumus, jam in hac vita mortali frucremur beatifica Dei visione, nec ad istam supernaturale lumen gloriæ esset necessarium: Quod falso est, & absurdum, Fideique Dogmatibus adversatur. Ajunt quidem nos Divinam Essentiam nunc assequi imperfecte, in cælo visuros perfecte. At explicandum manet, quid sit videre perfecte; nam si comprehensivam, plenam, & adæquatam rei notitiam significat, hæc neque in cælo potest nobis convenire; si vero solam graduum differentiam præse fert, beatitudo non tollitur. Ergo &c.

Quamvis autem Recentiores nulla commoveantur SS. Patrum auctoritate, tamen pro hac sua opinione tuenda, Augustini, & Thomæ sententias in medium proferrunt Quippe (inquit Purchotius) nulla res, aut imago, aut species, aut similitudo Deum nobis exhibere potest, ut optime docet S. Thomas parte 1. q. 12. art. 2. Atque adeo mens humana non tantum cum humano corpore, sed etiam cum Deo ipso est suo modo conjuncta, ut

ostendit S. Augustinus in lib. 83. questionum, questione 54.

Sed S. Thomas agit, loco laudato, de beatifica Divinæ Essentiæ visione, qua Beati in cælo fruuntur, & ad quam ibidem scribit necessarium esse lumen divinæ gloriæ; & de visione Dei, quam in hac vita habemus, concludit: *Videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam natura sua speciem non potest.*

S. Augustinus, loco citato, dum ait: *Deo igitur junctum est, quod intelligit Deum. Intelligit autem rationalis anima Deum, non significat, Divinam Essentiam nunc esse intime præsentem immediate ac per se ipsam menti nostræ in ratione objecti clare, & distincte propositi, ut Cartesiani autumant; sed unionem intelligit intentionalem potentiae cognoscentis cum objecto cognito: quæ quidem unio fit ope ideæ similis objecto, & prædicatum illud repræsentantis, quod de objecto enunciatur. Hinc docet, eam unionem per ipsam representationem fieri: intelligendo, inquit, anima rationalis jungitur.* Hinc unionem illam opponit notitiae per Fidem acquisitæ; in ista enim non habetur intentionalis illa similitudo, quippe objectum suum obscure repræsentat.

Adsunt & alia Augustini testimonia, quæ nobis opponi possent: velut cum sæpe dicit, *doctos in ipsa veritate (Deo) contueri numerum, & sapientiam: ita lib. 2.*

de libero arbitrio , c. 11. & cum scribit , ab incommutabili luce veritatis etiam impium quodammodo tangi : Ita lib. 14. de Trinitate , c. 15. idemque pluribus aliis in locis . Sed S. Doctor non aliud significat , nisi veritates omnibus communes , æternas , & immutabiles in solo Deo subsistere , idque à viris doctis cognosci , & Deum luce sua etiam impios ad bonum excitare , eosque cognoscere , regulas morum directivas subsistere in solo Deo , ubi sunt æternæ , & incommutabiles : id quippe lumine naturali omnes percipiunt . Nullibi autem docet , Divinam Essentiam clare , distincte , & immediate ab hominibus videri ; alioquin enim non solis doctis , sed etiam indoctis eam cognitionem attribueret .

An vero S. Augustinus ideas rerum ingenitas approbaverit ? implexa videri poterit quæstio . Sed nobis negativa ridet sententia .

Et primo quidem animadvertemus , S. Doctorem Platonico quidem loquendi more usum aliquando fuisse ; at in lib. 1. Retractationum , c. 3. se id fecisse dolet . Cum enim animadverret , se in libris de Ordine , rationem sempiternam , atque incommunicabilem , qua Deus Mundum condidit , appellasse Platonica locutione Mundum intelligibilem , inquit : Nec tamen isto nomine nos uteremur , si jam satis essemus litteris Ecclesiasticis eruditii .

Breyius vero , & expressius , c. 4. retractat quod aliquando inueniat , rerum omnium rationes , seu ideas animo esse congenitas , & ait : *Dixi , quod in Disciplinis liberalius eruditii , sine dubio in se illas oblivione obrutas erunt descendendo , & quodammodo refodiunt . Sed hoc improbo .* Atque hinc suppetit nobis fundamentum plura ejusdem S. Doctoris testimonia interpretandi , quæ videantur ideas ingenitas constituere .

Secundo , idem S. Doctor modum illum cognoscendi approbat , quem nos Peripatetici docemus , ut diximus in sol . ad ob . 1. Etenim lib. 12. de Genesi ad literam , c. 11. scribit : *Cum aliquid oculis cernitur , continuo sic imago ejus in spiritu , sed non dignoscitur facta , nisi cum ablatis oculis ab eo , quod per oculos videbamus , imaginem ejus in animo invenerimus . Et si quidem spiritus irrationalis est , velut pecoris , hucusque oculi nuntiant : si autem anima rationalis est , etiam intellectui nuntiat , qui & spiritui presidet , ut si illud , quod habuerunt oculi , atque id spiritui , ut ejus illic imago fieret , nuntiaverunt , alicujus rei signum est , aut intelligitur continuo , quod significat , aut queratur : quoniam nec intelligi , nec requiri , nisi officia mentis , potest . Nominis autem spiritus phantasiam intelligit , ut eam nominat c. 14. Spiritum autem dicit , quoniam à præsentia*

xerum corporalium abstrahit , ad differentiam oculi , qui non videt , nisi præsentia. Hinc sæpe S. Doctor triplex genus visionis distinguit : nempe corporalem , quæ fit oculis corporis ; spiritualem , quæ fit phantasia , & brutis etiam convenit ; atque intellectualē , quæ mentis propria est. Patet adeo , Augustinum approbare modum illum cognoscendi , quem nos constituiimus ; proindeque docere , intellectum nostrum sibimet ideas efformare. Non igitur ideas admittit ingenitas. Hinc S. Doctor sæpe quidem probat Dei existentiam , at nunquam argumentum dicit ex idea clara , & distincta Dei , quam nobis ingnitam supponat.

Dices S. Augustinus , lib. 2. de libero arbitrio , docet , animam nostram non per sensus , sed per se ipsam cernere aeternum aliquid , & incommutabile : mentibus quoque nostris impressam esse notionem beatitatis , tum leges quasdam pulchritudinis , & Veritatis ideam in nobis esse ; & in lib. 11. de Civitate Dei cap. 26 inquit : *sine ulla phantasmatum imaginatione ludificatoria , mibi esse me , idque nosse , & amare , certissimum est* ; & lib. 6. de Trinitate c. 3. Mens se ipsam per se ipsam novit , quoniam incorporeæ est. Idemque sæpe scribit de Deo. Unde Scotus in Tractatu , de rerum principio , q. 15. arbitratur. Augustinum , in ea fuisse sententia ,

quod spiritualia in se ipsis intuitive à nobis cognoscantur ; adeo ut anima se ipsam per se se cognoscat , atque tunc à phantasmatibus abstrahat.

Respondetur , S. Doctorem loqui de visione intellectuali , quam distinguit à corporali , & spirituali , sive phantastica : ut diximus. Intellectualis porro visio non exercetur organo corporeo , sed sola mente. Quamobrem anima per se ipsam cernit aeternum aliquid , & incommutabile ; licet hæc etiam visio supponat sensuum in suo ordine operationem. Sola igitur mente spiritualia cognoscimus , quatenus hæc per se se non cadunt sub sensibus , sapientiam quoque , beatitudinem , leges pulchritudinis , & Deum : etsi horum omnium notitia factitia sit , & ex sensibilibus collecta. Ita quoque qualiscumque notio sapientiae , & beatitatis precedit earum desiderium ; sed S. Doctor non ait claram , distinctamque earum ideam in nobis esse , nec inficiatur eam acquisitam esse ; quia vero per lumen naturale eas qualescumque ideas acquirimus , siccirco impressam nobis earum notionem dicit Augustinus ; Nemo autem nostrum inficiatur visionem rerum spiritualium intellectualē esse , eamdemque corporeo instrumento non exerceri : animam quoque cognoscere intimo sensu existentiam sui ipsius , & suorum actuum , & quidem intuitive , quia objectum ha-

habet in se ipso præsens, & extens. Quod Scotus docet citato in loco.

QUÆSTIO NONA.

Utrum Habitus supernaturales animæ rationalis sint aliquid realiter ab ipsa distinctum, & in ea receptum.

DE Habitibus animæ rationalis præsens quæstio est, qui nempe ad illius potentias, intellectum, & voluntatem pertinent. Porro Habitus nomine permanentem qualitatem aliquam intelligimus, quæ disponat potentias animæ ad operandum. Habituum aliqui sunt supernaturales, ut Fides, Spes, Charitas, sive Gratia habitualis, & Lumen gloriæ; alii vero naturales, ut Scientia, & cetera hujusmodi.

Inter habitus supernaturales, & naturales hoc discrimen est, quod illi necessarii sunt ad simpliciter, absoluteque operandum, ita ut sine illis operatio supernaturalis haberi nequeat; hi vero dantur solum ad facilius operandum. Icircum illi à Deo creantur, & infunduntur nobis; hi vero à nobis acquisiti sunt ex frequenti actuum exercitio.

Recentiores Philosophi inficiantur extare qualitatem ullam spiritualem realiter ab anima distinctam, eidemque superfusam, ne videlicet cogantur etiam fateri

existentiam accidentium absolutorum materialium in sensu Peripatetico. Impræsentiarum itaque de Habitibus supernaturalibus animæ nostræ disserimus, & inquirimus, an Catholici Philosophi teneantur fateri, ejusmodi habitus esse entitates quasdam realiter ab ipsa anima distinctas, eidemque superadditas, & inhærentes, qualitatum instar.

Dicimus, habitus supernaturales esse entites quasdam spirituales, ab anima nostra realiter distinctas, & in ea receptas, seu illi inhærentes, adeoque esse qualitates: id vero præsertim de Gratia habituali affirmamus. Ita fert communis Theologorum sententia.

Probatur. Concilium Tridentinum sessione 6. de Justificatione, c. 7. inquit: *Unica formalis causa (nostræ justificationis) est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam...* Per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inheret: unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, & Charitatem. Et canone 11. ait: *Si quis dixerit, homines justi-*

ficari , vel sola imputatione justitie Christi , vel sola peccatorum remissione , exclusa gratia , & charitate , quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur , atque illis inhæret ; aut etiam gratiam , qua justificamur , esse tantum favorem Dei , anathema sit . Porro quod tamquam caussa formalis se habet , quod nobis à Deo donatur , quod in nobis recipitur , quod diffunditur in cordibus nostris , quod nobis inhæret , quod infunditur , quod non est tantum favor Dei : in utique quidpiam est à Deo , & à nobis realiter distinctum , & in anima nostra intrinsece receptum , atque illi superadditum . Erit ergo vel Substantia , vel Qualitas . Atqui non est Substantia , quia non sunt in nobis dux spirituales substantiæ , nec possibilis est substantia supernaturalis creata . Ergo erit Qualitas . Et ne litem in voce Recentatores constituant ; Erit ergo entitas quædam addita animæ rationali , & ab ea realiter distincta , velut à suo subjecto , in quo recipitur , & cui inhæret .

Confirmatur . Duo sunt certissima Theologiae fundamenta , quibus Ecclesiasticarum definitionum genuinus aperitur sensus . Primum est , Ecclesiæ definitiones intelligendas esse in sensu contradicente Hæreticorum opinionibus . Alterum est , verba Conciliorum accipienda esse , & intelligenda juxta sensum turn temporis communem : quem nempe ex hominum , sapientum præ-

cipue , communi usu verba significabant . Porro Lutherani , & Calvinistæ , quos perstrinxit Tridentina Synodus , errabant dicendo , gratiam non esse quidpiam à Deo intus animæ nostræ infusum , & communicatum , & ab ipso Deo , atque ab anima distinctum . Ergo Tridentini Patres sua illa definitio firmarunt , gratiam esse quidpiam à Deo , & ab anima nostra distinctum , atque huic re ipsa intus communicatum . Rursus ea verba , causam esse formalem , donari , recipi , diffundi , inhære , infundi , semper , & maxime tunc temporis , apud Philosophos omnes , & Theologos , apud Legisperitos , & Grammaticos etiam , significabant quidpiam distinctum à donante , & ab eo , cui res tribuebatur ; quidpiam reale , intus communicatum : Præsertim vero illud , inhære , entitatem quamdam accidentalem præ se ferebat . Ergo gratiam habitualem esse hujusmodi , Tridentini Patres docuerunt : ut proinde per illam habeatur caussa formalis nostræ justificationis , cum genus istud caussalitatis , quod caussæ exhibitionem atque adeo imperfectiōnem connotat , non possit à solo Deo exhiberi .

Sequitur hinc , doctrinam Tridentini Concilii esse Catholicæ Ecclesiæ fidem , eamdemque semper fuisse , & Traditione firmatam . Quamvis enim Veteres Ecclesiæ Patres hanc quæstionem expresse non pertractarint , tamen ne unus qui-

quidem eorum est, qui interiorem gratiam à Deo, & ab anima distinctam excludat; immo vero eamdem sententiam confirmant. Do-cent enim ubique, impressionē gratiæ similem esse picturæ; gratiam esse animæ sanitatem, vigorem, veram libertatem, Dei filiationem, novam nativitatem, ac regenerationem. Quibus verbis aliquid internum, formale, fixum, & in mobile, à Deo, & ab anima distinctum significant. Unde S. Augustinus, libro de Gratia, & libero arbitrio, cap. 22. docet, *Infantibus, quando baptizantur, etiam reluctantibus gratiam hærere.*

Itaque Fide constitutum est, hominis justificationem fieri per aliquid internum, à Spiritu Sancto, & ab anima distinctum, atque ab omnibus ipsius operationibus, cum in iis etiam esse dicatur, in quibus nulla supernaturalis operatio effingi cum Luthero potest, ut sunt parvuli. Idem dicendum est de Fide, de Spe, & similibus. De Charactere etiam per Sacra menta quædam impresso idipsum colligi potest. Etenim Tridentinum Concilium, ses. 7. can. 9. decernit: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo, scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indeleibile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.* Porro hoc, quod per gratiam, characterem, & similia præstatur, non potest aliud esse, nisi entitas quæ-

dam spiritualis, accidentaria, & animæ superaddita; atque adeo qualitas. Igitur oportet, Catholicos Viros confiteri existentiam quarumdam spiritualium qualitatum.

Respondent Recentiores Philosophi, allatas definitiones facile exponi posse absque omni entitate accidentalis animæ superaddita, per solam passionem indistinctam reæliter entitative ab anima, correspondentem actioni divinæ, quæ reæliter indistincta est ab ipso Deo: Gratia ergo præ se fert actionem ex parte Dei sanctificantis, justificantis, & passionem ex parte animæ sanctificatæ, justificatæ. Sed si-
cūt actio illa non est entitas Deo supperaddita, ita nec passio in anima. Ambæ tamen concipi possunt, ut accidentia metaphysica, conceptu nostro distincta, unde varius animæ status intelligitur, sicuti status varius Dei, non per aliquid intrinsecum, sed per aliquid extrinsecum, quod diversæ in anima denominaciones habentur, sicut in Deo. Concilium autem Tridentinum de Gratia loquitur, & eamdem ab anima distinguit, secundum nostrum concipiendi modum, & hoc sensu dicunt eam receptam, infusam, diffusam, quatenus ex nostro concipiendi modo velut entitas superaddita spectatur. Quod idem de actione Dei dicere possumus.

Contra r. Si gratia in anima solam passionem dicit similem actioni Dei, quemadmodum hæc solam di-

dicit in Deo extrinsecam denominatedem justificantis, jam gratia solam extrinsecam præ se ferret denominationem in anima justificata. Atqui hoc repugnat Concilio Tridentino. Ergo &c. Minor probatur: Favor Dei extrinsecus aliud non est, nisi extrinseca quædam denominatione. Ergo asserere, gratiam dicere solam extrinsecam denominationem, aperte repugnat Tridentino Concilio, quemadmodum illi repugnat affirmare, gratiam esse solum favorem Dei extrinsecum.

Contra 2. Si quis affirmaret, actionem Dei sanctificantis in Deo recipi, diffundi, inherere, is ineptissime loqueretur. Ergo si passio animæ sanctificata est omnino similis actioni Dei, Tridentini Patres in epto locutionis modo usi fassent, dicendo gratiam in anima recipi, diffundi, inherere. Hoc porro absurdum est, & nostræ etiam rationi adversatur; quam in confirmatione retulimus.

Contra 3. Hæretici nusquam inficiati sunt, habitualem gratiam præ se ferre extrinsecam denominationem in anima, & ab ea distinguui secundum nostrum concipiendi modum. Ergo Tridentini Patres non id significare voluerunt: de quo nulla controversia.

Contra 4. Nulla nova mutatio realis contingit, nisi nova in re aliqua intelligatur forma. Ergo dum anima per gratiam de non justa fit justa, nova forma haberi debet. Hæc non potest convenire Deo, qui

omnino immutabilis, & simplex est. Ergo animæ concedi debet mutabilit, & compositioni obnoxie. Atque hinc latissimum patet discrimen inter Deum, & animam. Demum varius status animæ si solam dicit extrinsecam denominationem, cum errore Hæreticorum coincidit. Tum anima indivisibilis pati non potest, nisi realem aliquam entitatem suscipiat, per quam immutetur.

Objicies 1. Andreas Vega, in sessionem sextam Concilii Tridentini, lib. 7. c. 24. testatur. Concilium Tridentinum definisse quidem charitatem diffundi in cordibus nostris, & illis inhærente: non tamen sub nomine habituum. Dominicus Scoto, lib. 2. de Natura, & gratia, cap. 19. scribit, *non esse contra fidem negare gratiam inherentem*. Melchior Canus, lib. 7. de Locis Theologicis, c. 2. inter quæstiones in Scholis salva fide controversas hanc reponit: *An gratia, qua justificamur, sit quædam qualitas animo impressa?* Hi porro Theologi Concilio Tridentino interfuerunt. Idem quoque alii testantur. Celebris est etiam apud eruditos Theologos sententia Dionysii Patavii, lib. 8. de Trinitate, c. 4. docentis, ipsam substantiam Spiritus Sancti ad justos, & adoptivos Dei filios efficiendos divinitus infundi, adeo ut substantialis quædam sit Spiritus Sancti conjunctio cum justorum animis. Quod idem videtur docuisse Petrus Lombardus Magister Sententiarum in 24 d.

d. 7. Igitur ex Fidei dogmatibus non probatur, gratiam sanctificantem esse qualitatem in sensu Peripatetico.

Respondetur, nos nusquam docuisse, Fidei dogmatibus sancitum esse aperte, habitus supernaturales esse qualitates in sensu Peripatetico, illud unice constituimus, Fide teneri, gratiam sanctificantem esse aliquid animabus nostris superfluum, & ab illis, atque à Deo realiter distinctum. Quidnam vero sit illud animæ additum, an habitus dici debeat, & censeri, num vero quidpam aliud, Philosophi disputatione. Itaque entitatem aliquam à Deo, & anima distinctam, atque etiam à quolibet actu fluente, & transitorio, Catholicus quisque tenetur admittere, qua justificantur peccatores, & quæ infantibus ipsis infundatur, dum baptizantur. Hæc entitas communi, & recepto usu habitus appellatur, & qualitas. Synodus tamen Tridentina ab hac appellatione abstinere voluit, ne quæstionem de nomine dirimeret. Revera enim non nisi vocis quæstio superest, semel admissa entitate quadam superfusa animæ. Nos vero communem usum sequemur, quo entitas illa qualitas habitualis appellatur. Neque enim licitum arbitramur ab eo recedere: maxime cum communis Theologorum sententia rem ita describat. Hinc laudatus Dominicus Soto asserit, revera temerarium esse negare gratiam hanc inhærentem per modum

Tom. I.

qualitatis, &c. addit: Tridentina Synodus anathema eum censem, qui inherentem justitiam non confiteatur. Et ideo, quidquid sit de habitibus, hereticus ex hinc habendus est, qui justitiam inherentem negaverit.

De Melchiore Cano videtur incertum, utrum ille de præsenti, an de aliis quæstionibus loquatur. Ait enim: *An gratia, qua justificamur qualitas quedam sit animo impressa que ipsi præstet & esse, & vivere, unde qualitates alia consequantur, hoc est, virtutes quadam, tum Theologicae, tum Morales infuse, per quas animus divinas, & supernaturales habeat actiones; inter Scholasticos quidem disputatur.* Quibus verbis ostendit, sed de illa quæstione loqui, circa quam Thomistæ, ac Scotistæ dissentunt, Utrum gratia habitualis det simul esse, & operari, atque aliarum sit virtutum radix; an vero duo hæc posteriora sint Charitati adscribenda, tanquam habitui realiter à gratia distincto. Nam quod gratia sit qualitas, omnium adstipulatur Scholasticorum consensus.

Sententia autem illa Patavii non excludit gratiam intrinsecam, à Spiritu Sancto, & ab anima distinctam, & nobis inhærentem, ut ipse testatur c. 6. ubi ad hoc ipsum probandum nonnulla profert Veterum testimonia. Animadvertis etiam Subtilis Doctor in 1. d. 17. q. 2. art. 5. Magistrum Sententiarum non negasse internam in justis

Aaa cha-

charitatem, & gratiam sanctifican-
tem, quamquam dixerit etiam cha-
ritatem esse ipsummet Spiritum
Sanctum, unde in 2. d. 27. agnos-
cit, *adultis dari gratiam operan-
tem, & cooperantem;* & ibidem do-
cet, *virtutem esse qualitatem, qua
in anima est, tanquam forma:* &
*gratiam esse virtutem nobis à Deo
infusam.*

Objicies 2. Concipi nullatenus
potest, animam intrinsece mutari,
nisi intrinsece alia sit postea, quam
antea erat. Porro falsum est, ani-
mam, quæ antea in statu peccati
erat, non esse eamdem animam,
quæ post modum justificatur, &
sanctificatur. Ergo &c.

Respondetur, argumentum pro-
cedere ex falsa Recentiorum ima-
ginatione, quoniam ipsi nolunt di-
stinguere accidentia realiter à sub-
stantia; unde nec duplarem admit-
tunt intrinsecam mutationem, qua-
rum altera sit substancialis, alia
accidentalis. Itaque facili negotio
ex his argumenta hujusmodi dissol-
vimus. Nam multiplex hæc muta-
tio nequaquam à Recentioribus
ostenditur impossibilis. Justitia au-
tem, sive sanctitas ad animæ essen-
tiā non spectat.

Objicies 3. S. Augustinus in lib.
de Natura, & gratia, gratiam ap-
pellat lucem. Sermone autem 18. in
psalmum 118. ait: *Deus per se ip-
sum, quia lux est, illuminat pias
mentes.* Ergo gratia non est aliud,
nisi Deus pias mentes illuminans.
Et hoc quidem de gratia saltem

actuali dicendum est. Hæc enim
excitat mentem, allicit præmiis,
terret minis, docet, dirigit. At
quomodo entitatula quædam phy-
sica hos potest operari effectus? Sa-
ne illa, si qua est, expers est intel-
lectus. Sine intellectu autem quo-
modo terrere, suadere, allucere,
docere, dirigere poterit? Ergo &c.

Respondetur, nos hic non disse-
rere de gratiis actualibus, sed de
gratia habituali sanctificante. Hæc
gratia potest optime lux appellari,
quæ sit formalis caussa nostræ illu-
minationis, sive sanctificationis.
Deus vero est caussa efficiens, quæ
efficiendo non indiget medio ullo,
sed per se ipsum operatur. Tridenti-
num sane Concilium loco citato
utramque caussam discrevit, di-
cens ante laudata à nobis verba:
Justificationis caussa efficiens est
misericors Deus. Augustinus autem
de caussa efficiente loquitur, & de
ipsa disserit gratia actuali.

Quantum vero attinet ad gra-
tiam actualem, ipsa non est caussa
efficiens illorum effectuum, sed
formalis solum. Quamobrem si
qualitas esse dicatur, poterit suo
modo ea omnia exhibere, nam in-
tellectus in sola caussa effectrice il-
lorum effectuum requiritur: cu-
jusmodi est solus Deus. Ita sane
absque ulla cognitione ceteræ cau-
sa formales præstant effectus suos,
qui aliud non sunt, nisi caussa ip-
sa subjecto communicata. Sanguens
in Systemate Gratiae Philosophico-
Theologico ait, sanctificationem

nostram fieri per impressionem aliquuj effectus. Sed paradoxum adstruit; quippe effectuum impressione intelligi quidem potest sine nostra perceptione, quæ sane nulla est in parvulis; tum effectuum impressio est transiens: sanctificatio autem nostra est permanens, & habitualis.

Objicies 4. Sicut anima dicitur Deo grata per gratiam, ita Deus dicitur sapiens per sapientiam: & quidem utraque denominatio est in genere caussæ formalis, & intrinseca est. Sed in Deo nulla entitas distincta habetur. Ergo idem de anima dicendum est.

Respondetur, neminem latere disparitatem, quæ inter prædicata divina, & creata intercedit. Deus sapiens est per identitatem. Creatura Deo grata est sine hac identitate; nam & aliquando grata non est: Deus vero numquam est non sapiens. Itaque denominationes intrinsecæ, & formales caussam exposcunt formalem: realiter, sive entitative distinctam, si & ipsæ sint realiter distinctæ; secus, indistinctam.

Objicies 5. Si gratia sita est in entitate accidentalı, multiplicarentur in immensam accidentales entitates, & formulæ, ex quibus illa componeretur. Esset enim formaliter supernaturalis, potens, activa, pulchra, intensa, haberet suas affectiones relatives: quæ omnia novas illi adderent entitates. Eadem autem illæ denominationes novaitem accidentia in illis entita-

tibus ponentur, quia & illis convenientiunt. Ergo &c. Secundo, sufficit actio Dei ad omnes illos effectus, ad quos admittitur internæ gratiæ qualitas. Ergo hæc omnino est superflua. Quin immo dedecet divinam Omnipotentiam uti qualitate accidentalı creata ad sanctificationem præstandam: quasi nimur Deus se solo id non valeret. Dicamus ergo, sanctificationem animæ aliud non esse, nisi statum supernaturale, in quo anima constituitur per receptam in se actionem Dei sanctificantis.

Respondetur ad primum, patere solutionem ex iis, quæ in Logica diximus. Nam pleraque ex prædictis prædicatis non sunt realiter distincta, atque adeo nec entitatem præse ferunt realiter superadditam. Si quæ vero realiter distincta esse dicuntur, hæc relativa sunt: de quibus suoloco disseruimus in Logica.

Ad secundum, fatemur, Deum utique posse per se ipsum reddere animam nostram sibi gratam: non tamen denominatione intrinseca, sed extrinseca. Maluit tamen Deus uti entitate superaddita, & hominem reddere intrinsece sanctum per qualitatem, quæ moraliter id præstat ratione divini decreti à Deo sponte constituti: ut nempe interno charactere consignaret amicum suum. Quamobrem non ex indigentia id præstat Deus; adeoque nulla hinc in Deum imperfectio redundat. Statum autem animæ

supernaturalem non esse solam extrinsecam denominationem , satis ea manifestant , quæ supra diximus.

Objicies 6. Data Peripatetico-rum sententia , jam in sensu physico alia esset entitas gratiæ , seu qualitatis , & alia esset entitas animæ , sive subjecti . Ergo anima , & res aliæ spirituales haberent compositionem entitativam , quia abundantur qualitatibus multis . Unde anima esset composita physice ex sua entitate , & ex entitate gratiæ ; adeoque in se ipsa haberet plures entitativas compositiones . Atqui anima , & quælibet spiritualis substantia , est una simplex , & indivisibilis entitas . Ergo &c.

Respondetur , animam , aliasque spirituales substantias prorsus esse in sua entitate indivisibles physice secundum essentiam , & integratem , quatenus nec plures physicas partes essentials habent : ut homo v. g. nec pluribus partibus integrantibus constant , ut corpus . Habent etiam simplicitatem , sed non omnimodam , nam eam solum compositionem excludunt , quæ physice substantialis est , aut integralis . At vero sunt in potentia ad plures accidentales perfectiones ; & ideo cum istis componere possunt , quia iis carent . Neque hoc absurdum est , nam excludere quamlibet compositionem proprium est solius Dei , ratione summæ perfectionis , summæ simplicitatis , & summæ im-

mutabilitatis . Itaque si per compositionem in sensu physico intellegas compositionem ex substantia , & accidente , hæc profecto etiam substantiis spiritualibus convenit : & ita etiam entitative componuntur . Quod si Recentiores intelligent compositionem physicam essentialiem , aut integralem , hæc nunquam potest animæ convenire . Gratia porro facit cum anima compositionem prioris ordinis , non secundi .

Ob. 7. Ex quodam Recentiori , in Dissertatione , de Natura Divina Gratia , Medionali edita , an. 1755 . Justificatio , & sanctificatio animæ , atque peccati deletio oriri non possunt à qualitate , seu entitate quadam . Magnum enim justificationis opus divina tantum virtute absolví potest . Ergo gratia habitualis non est qualitas , nam hæc ad existendum , & consequenter ad operandum minime idonea est . Igitur dicendum est , Deum solum præstare effectus gratiæ per suam operationem continuatam , unde in anima efficitur intima , jugis , & constans impressio , qua ipsa ad omne opus bonum inflamatur . Hoc sensu laudatus Auctor Concilii Tridentini Patres locutos fuisse interpretatur . Tum ait , gratiam habitualē appellari qualitatem etiam à S. Thoma , non quidem sensu Peripatetico , sed quia est decor , habitudo animæ , indumentum spirituale , & pulchritudo continenter manens &c.

Con-

Confirmatur argumentum. SS. Patres Divinitatem Spiritus Sancti adversus Macedonianos eo inconcuso argumen^tto demonstrant, quia nimurum, teste Sacrarum Scripturarum auctoritate, Spiritus Sanctus animas sanctificat, charitatem illis inspirando. Atqui hoc argumentum corrueret, si per entitatem, vel aliud quodvis creatum, sanctificationem, & justificationem animalium proprie efficeret. Ergo &c.

Respondeatur, distingui oportere causam efficientem nostræ justificationis à caussa formalí ipsius, ut optime docet Concilium Tridentinum laudatum. Itaque solus Deus est caussa efficiens justificationis: formalis autem caussa est ipsamet gratia habitualis; non quidem caussa physica, sed caussa moralis ex Dei decreto, & beneplacito: quemadmodum Theologi fuse declarant. Hinc manifeste patet solutio argumenti, & Confirmationis. Solus quippe Deus est causa efficiens sanctificationis animæ; Quamobrem cum Patres hanc vim effectricem Spiritui Sancto ex Divinarum Litterarum auctoritate vindicarent, eundem esse Deum invictè demonstrabant. Dum autem laudatus Recentior qualitatem ait ad existendum, & consequenter ad operandum minime idoneam esse; si generatim id accipiat, falsum adstruit, nam creature etsi idoneæ non sint ex se se ad existendum, tamen semel ac per Dei voluntatem existunt, & virtute acti-

va instructæ sunt, operari valent: quemadmodum in Physicis apparet. Proindeque ratio illa inanis est.

Quæ de operatione Dei dicuntur, ut gratiæ habitualis natura exponatur, & Concilii Tridentini verba declarantur, jam refutata manent, ex nostris probationibus. Tum quæ sit ea impressio effecta à Deo in anima juxta Recentiorum doctrinam, omnino imperceptibile est, quippe nihil ipsimet animæ additur, & sola quædam extrinseca denominatio ex Dei operatione intelligitur.

Lepidum denique est, quod ait laudatus Recentior, S. Thomam appellasse gratiam *qualitatem*, sed non sensu Peripatetico: quasi possit quis in dubium vocare sententiam S. Thomæ, de qualitatibus, seu accidentibus absolutis Peripateticis, quorum ipse omnium consensu propugnator extitit, & vindicet.

Colligit, S. Basilium, dum lib. 5. aduersus Eunomium, prope finem ait: *Verum ipse (Spiritus) à Deo manans subsistit; quæ vero ex ipso manant, operationes ipsius sunt. Hunc Spiritum Sanctum effudit super nos copiose Deus per Jesum Christum; effudit, non creavit; largitus est, non fecit; dedit, non construxit: non jam significare, gratiam, seu alia Dona Spiritus Sancti nihil esse creatum; sed tantummodo probare, ipsummet Spiritum non esse creaturam. Divinitatem*

qui-

quippe illius demonstrare nititur. Hoc unum ibidem defendere intendit.

Nunc de habitibus naturalibus pauca quædam adjicere luber. Est autem naturalis Habitus *facultas quædam*, seu *qualitas permanens*, non facile mobilis à *subjecto suo*, quæ illud disponit ad *prompte*, *faciliter*, & *expedito* operandum. Sane extare in anima perfectiones quasdam, & dispositiones, quibus in operando perficiatur, & adjuvetur, ut facilius, promptius, alacrius, atque delectabilius agat, quotidiana ipsa experientia demonstrat. Compertum est enim, mentes nostras finitas difficultatem primo pati in scientiarum acquisitione, & usu: quemadmodum etiam in exercitio illarum operationum, quæ moraliter bonæ sunt; postmodum vero facilius, & magna etiam cum promptitudine, ac alacritate præstare eadem opera illa, habito antea frequenti similium operationum exercitio. Quod quidem in nobis contingit, immutata corporis constitutione: immo vero fractis corporeis viribus anima, post usum operationum, facilius easdem repetit. Ubi nec dici potest, ex sola impedimentorum remotione id provenire; quippe positiva facilitas per solam negationem haberi nequit.

Reperiuntur Habitus in potentiis cognoscentibus, & appetitivis quorumlibet etiam animalium. Nam licet intellectus, & phanta-

sia sint potentiae ad unum determinatae quoad substantiam actionis, non tamen quoad modum, quatenus vel facilius, vel intensius queunt operari. Habitus autem voluntatis eamdem equidem inclinant, sed non determinant.

Naturales Habitus, ut diximus initio questionis, acquiruntur ex frequenti actuum exercitio, quia potentia, etsi nolens, suscipit habitus. Ita frequentati actus justitiae; habitum justitiae producunt, & frequentati actus ratiocinationis habitum ingenerant ratiocinandi. Hinc habitus capaces sunt intensionis, quemadmodum ipsi actus. Potentia tamen appellari potest causa mediata habituum, quatenus efficit actus à quibus habitus caussantur; per modum caussæ æquivocæ, licet non totalis.

Quoniam ex dictis Habitibus est quidpiam permanens, siccirco solo otio destrui non potest; quia nempe in sui conversatione non dependet ab actibus, qui se habent per modum transeunti. Tamen per accidens ex otio, & cessatione operationum unius generis destrui potest habitus; quia nempe tunc producuntur actus contrarii. Sic etiam cum pro statu isto intellectus dependat à phantasmatibus, ideo ex corporis mutatione contingit aliquando nos amittere facultatem, & promptitudinem ad operationes alias.

Ces-

Cessare autem habitus , certissimum est experientia : ut in eo contingit , qui habitum temperantiae amittit ex frequentatis intemperantiae actibus .

Animadvertisimus autem in facultate nutritiva , & augmentativa non esse admitendos habitus ; Neque enim facilius nutrimur ex consuetudine . Sensus quoque externi non acquirunt habitus , cum non nisi ex diversa objecti prepositio- ne intensius , vel remisius operentur . Celebre porro effatum illud : *Ab assuetis non sit passio* , si ad sensus etiam externos comparetur , ex diverso corporis temperamento , dispositione , & affectionibus explicari debet , quæ variari possunt ex consuetudine . Quod attinet vero ad potentiam loco motivam , licet Subtilis Doctor nihil determinate constituat , tamen quemadmodum in 4. d. 49. q. 14. negat , maximam agilitatem corporis gloriosi esse habitum , ita probabilius arbitramur , in potentia illa non extare habitus . Etsi enim in Citharœdo , quoad regulas dirigentes voluntatem imperantem , rite admittantur habitus , tamen in ejus manu non aliud habetur , nisi impedimentorum remoto , vel duritiei nervorum in mollitiem mutatio .

Utrum vero Habitus non solum potentiam disponat ad operandum sed etiam simul cum illa efficiat actus similes iis , à quibus ipse genitus fuit , Subtilis Doctor in 1.

d. 17. q. 2. in utramque disserit partem . Ajentem nihilominus opinionem , ut probabiliorem , amplectimur . Quippe experientia compertum sit , potentiam habitu instructam adhibere minorem conatum ad producendum actum perfectiorem : cum tamen sine habitu magis conniti deberet . Ergo habitus supplet efficienter concursum activum potentiae . At cum habitus si re ipsa distinctus à potentia , non est eidem ratio , seu principium operandi ; potentia enim per se ipsam agit : proindeque & ipse habitus operatur , & partialis est caussa effectrix actuum . Attamen habitus est caussa subordinata potentiae , cum nequeat exire in actum secundum sine illa ; potentia vero est caussa excellenter , quia potest etiam sine habitu operari : licet non tanta cum facilitate , nec intensum adeo actum efficiendo , nisi majorem conatum adhibeat . Est etiam habitus caussa diversi ordinis à potentia , & ideo numquam potest se solo operari . Exercet etiam habitus duplē causalitatem ; nam respectu potentiae se habet ut caussa formalis , ipsam inclinando ad actum : relate autem ad actum est caussa efficiens illius : quemadmodum calor & denominat calidum subjectum suum , & caussa efficiens est alterius caloris . Quia vero intensio actus non est aliquid accidens illi superadditum : ut dicturi sumus in Physica Generali , disp. 4. q. 1.

sed

sed velut pars integralis ipsius; ideo
habitus efficiens actum intensorem,
simul cum potentia,
caussa est effectrix actus secundum
substantiam ipsius.

Dices. Caussa æquivoca continet emitenter effectuum suum, & est ipso perfectior, ac proinde duo specie distinctæ non possunt esse sibi invicem caussæ æquivocæ. Atqui actus autem est caussa habitus. Ergo habitus nequit esse caussa equivoca actus; alioquin idem simul esset perfectius, & imperfectius respectu ejusdem. Deinde habitus per actum intenditur, & augetur, ergo si esset caussa ipsius actus, mutua habcretur caussalitas.

Respondetur, majorem esse veram in caassis totalibus, non vero in caassis partialibus. Actus est caussa totalis habitus, adeoque est perfectior habitu. At vero habitus est solum partialis caussa alterius actus similis illis, à quibus fuit productus; unde non debet esse perfectior actu, quoniam major perfectio in actu existens derivari intelligitur à potentia, quæ est principalior caussa actus. Habitum autem, & actus sunt sibi invicem causæ æquivocæ, & non respectu ejusdem, sed relate ad diversa, nam ab actu novi gradus in habitu producuntur, quos antea habitus non obtinebat.

Plaice Oceans, qd. f.d. 1
samples additn: in qd. in sum is
this colt. This last sample
shows you as sliding scidings ill
this case, & causes difficulties for size
millions? dimensions? colors? &
seems to be all the larger difficulties
seen. Melting into ad. about: before
this is passed to excess ionizer, the
currents which pass through the
transformer, seem to be passing
through the primary coil.
Transformer seems to be
about 1000 ohms resistance, and
the current is about 1000 amperes.
This is the reason why the
transformer is so large.

109

PHI-

PHILOSOPHIAE PARS TERTIA, NIMIRUM ETHICA.



Raditis jam Logica, & Metaphysica, quæ intellectui in verum dirigendo deserviunt, altera accedit Philosophiae pars, quæ voluntatem nostram in boni assecutionem ordinat, & Ethica appellatur. Aptissime autem describi potest: *Scientia practica*, quæ circa actiones humanas, ut ad honestatem dirigendas, occupatur. *Scientia nimirum*, quia plurimas cognitiones complectitur certas, & evidentes; *practica* autem, quia per se se ad bonum morale referuntur. Vide, quæ diximus præfatione in Logicam.

Certissimum porro est, omnem vitæ nostræ instituendæ rationem à Christiana Catholica Religione duci oportere. Ex ipso tamen Naturæ lumine plurima apparent præcepta, atque honestatis, justitiaeque naturalis regulæ, quæ universim omnibus ostendunt, quid bonum, amplectendumque sit, quidque malum, ac vitandum. At depravata in hominibus vitæ consue-

Tom. I.

tudo tum Facultatis istius necessitatem, cum summam utilitatem commendat, dum hæc ipsa hominem ad se se redire cogit, atque ex insita sibi Naturali Lege bona à malis, à pravis recta secernere. Tantæ autem dignitatis Facultas hæc merito reputatur, ut ipsa, si solius naturalis ordinis ratio habeatur, vere hominem faciat, hoc est, præceptis suis ad humanæ vitæ rationem instituat, eumdemque subinde à bestiis discernat.

Hanc igitur Facultatem ita pertractandam suscipimus, ut mere naturalis est, & solo naturali lumine continetur. Eamdem à Theologica Facultate, à Fidei Dogmatibus perfici, immo & elevari contemur: Sed propositum nobis est, Philosophi quidem partes non omittere, eas vero, quæ Theologi sunt, nullatenus occupare.

Bb

DIS-

DISPUTATIO PRIMA.

De Bono & Malo.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Bonum & Malum.

Moralis Scientia Bonum considerat, non quatenus in se se quidpiam perfectum est, nam hoc ad Metaphysicam pertinet, sed quatenus ad nos refertur; & bonos efficit mores nostræ voluntatis; atque rite describitur: *Perfectio, quæ conveniens est*: quæ videlicet naturæ nostræ accommodata est.

Bifariam porro Bonum primo distribuitur, in Bonum per essentiam: cuiusmodi est Deus bonorum omnium origo, & finis, & in Bonum per participationem, quod in rebus creatis appareat, finitum tamen, & à Deo derivatum. Istud vero aliud corporis est, ut sanitas, robur, pulchritudo; aliud animi, ut scientia, virtus; aliud fortunæ, ut prædium, pecunia &c. Quæ omnia appetunt homines, vel quia utilia sunt, vel quia jucunda, vel quia honesta. Unde celebris quoque est divisio boni in honestum, jucundum, & utile. Honestum est illud, quod rectum est, sive quod rectæ rationis regulis congruit, atque adeo vi sua, & per se se est expetendum. Jucundum est, quod nos delectat. Utile illud appellatur, quod non ratione sui, sed

propter aliud expetimus: ut amara potio utilis est ad sanitatem recuperandam. Una tamen, eademque res potest simul honesta esse, utilis, & jucunda.

Jam vero utile, & jucundum in bonis esse enumeranda cum Peripateticis assentimur, secus ac Stoici opinabantur. Nam cum homo ex anima, & corpore constet, ea etiam, quæ ad corpus attinent, ut valetudo, voluptas, partium integritas, appetitum nostrum movent, & alliciunt, atque adeo bona sunt: quemadmodum dolor ipse malum reputatur. At Stoici hæc non bona, sed *præposita* esse dixerunt, id est, contrariis anteponenda: in quo sane nominis controversiam faciebant, cum re ipsa nihil intersit. Fatetur autem solam virtutem perse se expetendam esse, & laude dignam; nihilominus ea, quæ ad corpus referuntur, dummodo malis actionibus permixta non sint, nobis bona sunt. Non ita se habent voluptates noxiæ, quas vulgus non facile discernit ab iis, quæ pravæ non sunt.

Nihil tamen utile esse posse, quod non idem honestum sit, sapienter Peripatetici statuere. Quod enim magis nocet, quam prosit, illud proprie ac simpliciter utile dici non potest. Sed quod dicitur utile, & honestum non est, magis nocet, quam prosit. Igitur nihil potest esse utile, quod honestum non sit. Minor evidens est. Quippe utilitas illa fons est omnis injustitiae,

tur.

turpititudinem affert naturæ adversam, mentis sibi consciæ, & tranquillæ jacturam facit, angoresque parit, & metus animi; proindeque non vera, & germana, sed fucata utilitas est. Ergo cum de utilitate agimus, in id contendere debemus, ut veram ab apparente, & fallaci secernamus. Assequemur autem, si consecutaria utilitas perscrutari velimus, eademque ad naturæ leges, & præcepta comparare.

Bono adversatur Malum, quod videlicet non est naturæ conueniens, sive rectis regulis adversatur. In rebus physicis malum nullum esse, saepè diximus, præsertim in 2. parte Metaphysics, disp. 1. qu. 2. proindeque non aliud Malum agnoscimus, nisi Morale.

Pythagorici malum dixerunt esse quoddam ens absolutum, unde illud inter Prædicamenta numerabant. Aliis quibusdam placet, malum in entitate aliqua reali constitueret, etsi eamdem relativam esse tradant. Verum si rem ipsam distincte velimus perpendere, nec de verbis turpem litem admovere; profecto Malum nihil aliud præ se fert, nisi solam privationem perfectionis debitæ: seu ordinis defectum: quo modo corporis infirmitas defectus est, sive privatio æquilibrii inter fluidas, & solidas partes ejusdem corporis. Quamobrem ipsa hominis operatio, quæ per se se, & physice bona est, & caussam habet efficientem, si rectæ

rationis regulis accommodata non sit, & careat perfectione rectitudinis debitæ, hoc ipso mala est. Quo pertinet illud Dionysii in lib. de Divinis Nominibus, c. 4. *Malum, imbecillitas, infirmitas, privatio est, & merum nihil.* Unde optime dicebat Augustinus lib. 12. de Civitate Dei, c. 7. *Nemo querat efficientem caussam mala voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa effectio, sed defectio.* Malum itaque formaliter acceptum contradictorie opponitur bono, cuius est privatio.

At si materialiter Malum sumatur, nempe ut est actio ipsa physica à rectis regulis dissona, utique quidpiam positivum est, sed oportet illam à malitia distinguere. Vitiū proinde, ut est actio ipsa physica rationi aduersa, & à legibus prohibita, virtuti opponitur: & cum non semper idem sit à virtute recessus, siccirco malum unum est altero deterius. Omissio autem defectum præ se fert in voluntate, non in actione, quæ nulla est. Pecatum commissionis in ipsa actione defectum habet, & quandoque etiam in ipsa voluntate. Ex quo apparet, majus esse malum odium Dei, quam omissio amoris erga Deum: maxime cum odium voluntatem ipsam omnino pervertat, & in ipsa etiam rectitudinis debitæ defectum præ se ferat, unde, ut talis est, bonus esse non potest: quamquam si materialiter spectetur actio, ut humana est, rectitu-

dinem exigit mortalem. His expositis, sit.

QUÆSTIO SECUNDA.

Utrum voluntas nostra possit amare malum sub ratione mali?

Sæpe contingit, malum sub falso specie boni homines decipere, eosdemque subinde malum pro bono amplecti. Hinc triplex boni consideratio distinguitur, nam illud vel *reale* est, quando in se se revera bonum est, & conveniens; vel *apparens*, cum re ipsa malum est, sed sub boni specie menti nostræ obversatur; vel denique *præfixum* dicitur, nam cum voluntas nostra sit facultas collativa, ut docuimus in 1. parte Metaphysicæ, disp. 1. quæst. 1. vi sua bonitatem objecto malo confert. Quæstio præsens malum non respicit sub specie apparenti, vel *præfixa bonitatis*, sed quatenus malum est, atque ut tale à nobis cognoscitur. Sed quia voluntas libera est ad amorem, vel odium, accirco investigamus, an pro sua libertate amare queat malum, ut malum, aut odisse bonum, ut bonum; siye an malum, qua malum, appeti possit, & objectum queat esse amoris, ut in illud feratur voluntas, qua malum est.

Dicimus, voluntatem nostram non posse amare malum sub ratione mali: quemadmodum nec potest odisse bonum, ut bonum.

Conceptis fere verbis id ipsum expressit Subtilis Doctor in 4.d.49. q. 10. dicens: *A voluntate excluditur actus volitionis respectu miseria, & actus nolitionis respectu beatitudinis, quia miseria non est nata esse objectum actus volitionis, nec beatitudo objectum actus nolitionis.* Sicut actus videndi disgregando excluditur à visu respectu *nigredinis*, quia non est nata esse objectum talis actus. Sic in proposito voluntas non est capax talis actus respectu talis objecti. Dico ergo, quod voluntas sic determinatur ad volendum beatitudinem, & ad nolendum miseriam, quod si eliciat aliquem actum circa ista objecta, necessario, & determinante elicit alatum volendi respectu beatitudinis, & nolendi respectu miseria; non tamen absolute determinatur ad unum actum eliciendum, vel aliud. Ex qua apertissima sententia facile intelligimus, quid senserit Scotus aliis in locis, quæ in speciem adversari videntur. Nam in 1. d. 1. q. 1. art. 5. tantummodo docet, voluntatem posse appetere malum ab intellectu præstensum, cui tamen malo ipsa affingat bonitatem, quod profecto non est malum ipsum prosequi, ut malum, sed potius sub ratione boni. At d.43.q.2. quæstionem præsentem non dissolvit, sed dubius, ancepsque in utramque disputat partem.

Probatur. *Omnis ars, inquit Philosophus lib. 2. Ethicorum.*

c. i. omnisque descendit via; actio item, atque electio bonum quoddam expetere videntur. Quapropter bene id esse bonum ipsum asseruerunt, quod omnia expetunt. Quippe voluntas nostra amore tendit in objectum, & ab objecto allicitur, & trahitur: unde tritum illud Augustini, lib. 13. Confessionum, c. 9. *Amor meus pondus meum: eo feror, quicumque feror.* Atqui sola bonitas vim habet alliciendi, & trahendi voluntatem: malitia vero, & turpitudo deterret, & avertit. Quocirca (notat Aristoteles lib. 8. cap. 2.) non omne amat, sed tantum amabile, quod est vel honestum, vel jucundum, vel utile. Non ergo voluntas appetere potest malum, qua malum. Quod si amor in malum sub ratione mali tenderet; jam extra proprium vagaretur objectum, cum objectum appetitus, & amoris sit appetibile, & bonum. Hoc vero repugnat omnino, qua ratione visus nihil nisi visibile, aut lumine persusum, auditus nihil nisi idem sonorum, potest percipere. Ergo dicendum est amoris objectum fixum adeo, & determinatum esse, ut sit solum Bonum, atque adeo voluntas non potest amare malum sub ratione mali. Ex quibus etiam evincitur, voluntatem nec posse odisse bonum, ut bonum est. Hinc Dionysius in lib. de Divinis Nominiibus c. 4. optime ajebat: *Nemo intendens ad malum operatur;* & Augustinus cap. 36. Enchiridii Mi-

seri autem, inquit, esse non volumus, sed neque velle possumus.

Objicies i. Voluntas libera est respectu boni, & mali. Ergo si cuti ferri potest in bonum amando, ita & odio habendo: idemque dicas de malo. Alioquin enim voluntas non gauderet libertate, quia si non potest odiisse bonum, amabit illud necessario. Sane Demones, & perversi odio habent Deum, in quo nulla ratio mali effungi potest. Peccantes ex pura malitia peccatum amant, ut malum. Pleisque etiam perditissimi homines, & in se ipsos sceleriores homicidae aquis se præfocant, flammis se donant, mortemque sibi conciscunt, quam exoptabant: cum tamen mortem non nisi ut malum quisquis possit cognoscere. Quemadmodum ergo intellectus fertur in malum, qua malum: & in falsum, qua falsum, illa cognoscendo; ita voluntas malum poterit amare sub ratione mali.

Respondetur, voluntatem respectu boni gaudere libertate contradictionis, quatenus potest illud amare, vel non amare: non tamen libertate contrarietatis, quæ diversa respicit objecta formalia, atque per actus specie diversos debet exerceri. Quamobrem etsi non possit odiisse bonum, vel amare malum; non ideo amat bonum necessario, aut necessario odio habet malum: cum possit omnem suam actionem circa illa cohibere. Quamquam si velit aetum aliquem elicere res-

pectu boni, non nisi amorem queat habere: uti Scotus optime dicebat. Quod idem vice versa de malo dicendum est.

Dæmones quoque, ac perversi non prosequuntur odio Deum in se se, ac propter se, sed propter effectus justitiae vindicis, seu in poenitentia, quas patiuntur, vel expavescent, in quibus ratio mali, seu inconvenientis iisdem appareat. Unde & cupiunt Deum non esse, ut finem habent poenæ, vel ut eas possint effugere. Peccantes autem ex pura malitia ii sunt; qui neque ex ignorantia, neque ex vehementi passionis commotione in peccata proruunt. Peccatum vero eatenus amant, quia delectationem experiuntur in ipsa actione mala. Nemo enim, ut optime scribit Sanctus Gregorius Nyssenus, in lib. de Opificio hominis, cap. 20. in *vitia proruit, nisi inescatus specie aliqua bonitatis.*

Ii etiam, qui sibi mortem asciscunt, eamdem cupiunt, & amant, quatenus finem calamitatibus illis facit, quibus ipsi urgentur. In quo quidem eorum ratio perversa est omnino: fallax tamen aliqua boni species effingitur, & appetatur.

Nec eadem habenda est ratio intellectus, & voluntatis respectu mali. Quippe cognitionis objectum est quocumque cogitooscibile: cuiusmodi est etiam malum, si non per se, ac directe, indirecte tamen, & gratia boni. At objectum amoris id solum est, quod est ama-

bile: atque adeo non malum. Verum in eo eadem est utriusque facultatis ratio; quatenus sicut intellectus assentiri falso, ut falso non potest: ita voluntas malum, ut malum nequit expetere. Quemadmodum ergo intellectus assensu suo tendit in verum, dissensu in falsum; sic voluntas amore bonum, odio malum prosequitur: ut eadem & una potentia in opposita quidem operetur, sed per diversos actus.

Dices. Saltem poterit voluntas amare malum sub ratione mali, e fine, ut propriam exerceat libertatem. Tum voluntas sequi potest judicium intellectus. Ergo cum plerique judicent, malum, qua malum, amari posse, nihil obstat, quo minus voluntas in illud feratur, ut malum est.

Verum si quis ita nobis opponaret, aperte falleretur, & crasse. Nam duo simul adstrueret contradictoria: nimis voluntatem amare malum, qua malum, & illud eatenus amare, ut libertas exerceatur. Hoc enim est malum amare, ut bonum; nempe illud amare, quoniam exercitium præ se fert libertatis: quod bonum est. Potest autem voluntas sequi judicium practicum intellectus, quo semper sit, ut malum sub boni specie propοnatur, & appetatur. Unde qui contraria nobis tenent sententiam, si se ipsos consulant, & quid in se ipsis agatur, diligentius animadvertant, profecto intelligent, numquam se malum, nisi ementita specie

çie boni vestitum, & obscure cognitum, expetere. Tam alte impressa nobis est propensio ad bonum, ut eam exuere non possimus, etsi voce tenus, ac speculativo tantum judicio res contra asseratur.

Objicies 2. Si intellectus ostendat voluntati odium Dei sub ipsa ratione mali, vel posset voluntas illud velle, aut non? Si primum, amaret igitur malum, qua malum. Si alterum, jam voluntas non est libera. Quod si voluntas non posset velle odium illud, nisi sub ratione boni, deberet praecedere execratio intellectus, qua in odio Dei fingeret bonitatem, ne voluntas feratur in incognitum. Hinc Ecclesiastici cap. 31. laudatur ille, qui poterit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit. Et S. Augustinus lib. 1. Confessionum, cap. 8. ait: *Quem fructum habui miser aliquando in his, quæ nunc recolens erubesco, maxime in illo furto, in quo ipsum furtum amavi?* Testatur proinde, se furtum amasse, ut furtum: adeoque malum, ut malum. Igitur &c.

Respondetur, in ea hypothesi voluntatem non posse velle odium Dei. Non tamen necessario se se ab illo retraheret, quia per libertatem contradictionis potest cohబre actionem omnem. Concedimus etiam, debere prius intellectum effingere bonitatem in illo, Deum considerando, non ut est in se, sed in ultione, quam sumit, peccatorum, & pœnis, quibus eos

plexit: iste autem error intellectus culpam aliquam semper præsupponit. Quamquam voluntas ipsa potest bonitatem ab intellectu præostensam sibi in altero objecto, applicare objecto malo, & tunc istud appetere. Ab Ecclesiastico autem laudatur homo, qui bene agit, quia ratione suæ libertatis potest non agere bonum, & re ipsa non sequitur fallacem boni speciem, ad quam corrupta hominis natura prona est propter sensibilem delectationem, quæ comittatur actiones malas. Quandoque etiam homo mala facit ad ostentationem suæ libertatis, aut industrie. Ita Augustinus, citato in loco, se furatum fuisse pyra, sine utilitate, sine delectatione, quia sola audacia inter socios ostentatione furtum illud commiserat, quam tamen veluti quoddam delectabile bonum spectabat, prout ibidem exponit.

QUÆSTIO TERTIA.

De naturali hominis felicitate.

I Nter præcipuas Ethicæ partes hæc summa est, ut rerum omnium hominis præsertim, finem ultimum constituat, qui nempe objectum sit nostræ felicitatis. At in hoc ipso mira, & pene incredibilis est Philosophorum dissensio, ut merito proinde dixerit Seneca, lib. de Vita beata, cap. 1. *rivere omnes beatæ velle, sed ad pervidendum, quid sit,*

sit quod beatam vitam efficiat, caligare.

Ultimum porro finem rectissime definit Cicero, lib. 2. de Finibus: *Id, quo omnia, qua recte sunt, referuntur; neque id ipsum usquam refertur.* Hinc intelligimus felicitatem nostram in finis illius assecutione constitutam esse, cum in rebus expetendis ultimum aliquid admitti oporteat, ne intentio nostra vana sit, & irrita, & ne infinitum abeat. Et quidem hoc ipsum facile fatebuntur Philosophi omnes. At in eo lis maxima est, quid finis ultimi rationem obtineat, ut actiones nostræ in illud dirigi debeant, atque hominis intentio, & appetitus in eo conquiescat.

Epicurus ecce naturalem hominis felicitatem in Corporis Voluptate constituit. Etenim, ut refert Tullius, lib. 2. cit. Epicurus testificatur, ne intelligere quidem se posse, ubi sit, aut quid sit illum bonum, præter illud, quod cibo, aut potionē, & aurium delectatione, & obscena voluptate capiatur. Hinc in libro Sententiarum ait: *Si ea, quæ sunt luxuriosis efficientia voluptatum, liberarent eos Deorum, & mortis, & doloris metu, doceremque, quæ essent fines cupiditatum, nihil haberemus, quod reprehenderemus, cum undique complerentur voluptatibus, nec haberent ulla ex parte aliquid aut dolens, aut agrum, id est, aut malum.* Quibus in verbis manifestum est, Epicurum vel-

le quidem, ut Deorum, mortis, & doloris metus excutiatur, atque fines cupiditatibus aliqui statuantur, tumque obscenas celebrare voluptates. Denique, ut omittamus, tum lascivas Epicuri epistolæ, quemadmodum testantur Diotimus Stoicus, Possidonius, Nicolaus Sotion: tum ea, quæ Epicuro opponit, lib. 4. Theodotus, de Fratre prostituto, atque Pythocle formoso adolescentे, deque inhonesta cum mœretricibus consuetudine; Epicurus ipse in libro de Fine, sic impure, & impie disserit: *Nam equidem nihil habeo, quod bonum intelligam, si saporum voluptates, & quæ ex venereis constant, & quæ auribus percipiuntur, quæque ex formæ venustate blandiuntur oculis auferam.* Ita refert Laertius, lib. 9. §. Epicurus.

Reponit Gassendus cum aliis Epicurei Patrocinatoribus, quod Torquatus apud Ciceronem loco cit. Epicurum hæc dixisse istis quidem verbis; sed quid sentiat, non videtis. Itaque ait, voluptatem, non quidem corporis, sed animi, Epicuro esse Summum bonum. Nam & sæpe celebrat Epicurus tranquilitatem animi, sapientiam, moderationem, justitiam, & honestatem, atque hæc ipsa necessaria esse ad beate vivendum prædicat.

Verum hæc ipsa, quibus Recentiores nituntur Epicuri famam vindicare, jam idem Tullius inania esse declaravit. Unde ajebat, quod nos

nos ipsi dicimus: *Si Epicurus alia sentit, alia loquitur, numquam intelligam, quid sentiat; sed plane dicit, quod intelligam.* Tum Ego quid dixerit Epicurus, scio; quid senserit, nescio. *Vel enim ita sensit, sicut dixit; vel mentitus est.* Et lib. 3. Tuscul. Quæst. inquit: *At Epicurus laudat & sepe virtutem.* Et quidem C. Gracchus, cum largitiones maximas fecisset, & effudisset orarium, verbis tamen defendebat orarium. *Quid verba audiam, cum facta videam?* Et lib. 5. An malumus Epicurum imitari? qui multa præclare sepe dicit: *quam enim sibi constanter, convenienterque dicat, non laborat.* Laudat tenuem vitum. Philosophi id quidem: *sed si Socrates, Antisthenes diceret, non is, qui finem bonorum voluptatem esse dixerit.* Negat, quemquam jucunde posse vivere, nisi idem honeste, sapienter, justeque vivat. Nihil gravius, nihil Philosophia dignius, nisi idem hoc ipsum, honeste, sapienter, juste, ad voluptatem referret.....Epicuro etiam, si Diis placet, videtur semper sapiens beatus. Hic dignitate hujus sententia capitur: *sed numquam id dicaret, si ipse se audiret.....Non igitur ex singulis vocibus Philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate, atque constantia.*

Quamobrem verba illa, quibus Epicurus voluptatem animi extollit, nihil eidem profuerunt, quo minus ipsius fama tam foeda labe adspersa ad nos transmigraverit, ut

Tom. I.

jam ablui, & expurgari eam nullatenus posse tueamur, atque ob id præcipue à SS. Ecclesiæ Patribus, aliisque Veteribus Christianis Epicurus damnatus fuerit. Ita S. Ambrosius, lib. 2. de Officiis, cap. 2. scribit: *Alii summum bonum voluptatem dixerunt ut Epicurus.* Et S. Augustinus in psalmum 73. n. 25. Epicurum appellat delirum Philosophum, vanitatis, non sapientiae amatorem; quem ipsi etiam Philosophi porcum nominaverunt; qui voluptatem corporis summum bonum dixit, hunc Philosophum porcum nominaverunt, voluntatem se in cano carnali. Clemens quoque Alexandrinus, lib. 1. Stromatum, ait: *Epicurum Principem esse, Autoremque impietatis.*

Et sane putridus error ille, qui voluptatem corporis summum bonum facit, quam maxime consenteus est Epicuri principiis. Si enim ille efficientem primam causam sustulit; si Providentiam, & illius fines elevare contendit; si hominis animam corpoream esse docuit, & una cum corpore interire: Quid aliud effutire debebat de moribus disserens, nisi impium illud, & bestiale, quod ab eo jactatum fama refert: *Edamus, & bibamus; post mortem nulla voluptas?*

Hæc de Epicuro dicta sint. Eamdem illam turpem opinionem Cyrenaicis arrisisse, quorum dux fuit Aristippus Cyrenensis, testatur Tullius, lib. 3. de Officiis. Impurus CCC etiam

etiam Mahometes in turpi sensuum voluptate felicitatem hominis collocasse videtur. Nam in Alcorano , de Paradisi deliciis agens, corporeas præsertim voluptates sectatoribus suis pollicetur; quamquam animæ immortalitatem fateatur: quod Epicurus , aliquique inficiabantur.

Stoici è contrario Felicitatem insola animi virtute sitam esse dicebant, adeo ut hæc se sola contenta sit, & Sapiens possit esse beatus, etiamsi maximis vitæ miseriis, doloribus , cruciatibusque urgeatur. Plato docuit, hominem non assequi felicitatem, nisi post mortem in altera vita: felicitatem vero in Dei possessione constituit. Hinc in Dialogo , qui Gorgias inscribitur, post mortem corporis animas hominum superstites esse tradit, pœnasque improborum , & bonorum felicitatem describit. Quo factum est, ut ex Philosophis Ethnicis nulli hac super re proprius ad veritatem accesserint, quam Platonici , quos siccirco ceteris præposuit S. Augustinus, lib. 8. de Civitate Dei, cap. 8. dicens : *Cedant ii omnes illis Philosophis (nempe Platonicis), qui non dixerunt beatum esse hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentem Deo: non sicut corpore, vel se ipso animus, aut sicut amico amicus, sed sicut luce oculus.*

Sed veritatem hanc ex Divinis Scripturis in Philosophiam transtulit Plato ; atque idipsum naturali

lumine plurimum probabile esse cognoscimus , quemadmodum de Animæ immortalitate in Metaphysica diximus, si tamen de sola cognitione abstractiva Dei accipiatur, nam visio intuitiva , & beatifica Dei captum naturæ transcendent, indebita nobis est , ac donum Dei omnino gratuitum.

Quamvis autem Aristoteles homonymia vocis, seu nominis similitudine deceptus, putaverit , universale aliquod per prædicationem à Platone propositum fuisse, ut objectum felicitatis , proindeque lib. 1. Ethicorum multis argumentis sententiam Platonis, qualis sibi apparebat, exagitaverit: etsi revera Plato Deum ipsum intellexerit, qui omne bonum, & bonum universale est : Nihilominus, si rem spectemus , ab ea probabili Magistri sui sententia Aristoteles ipse non dissentitur. Cum primit eum fatetur, neminem in præsentivita assequi posse plenam perfectamque felicitatem , nam cap. 10. lib. 1. quosdam ait in hac vita beatos quidem dici , sed non absolute: *Beatos autem ut homines: & cap. 11. animas hominum post suam à corpore solutionem superstites esse docet.* Beatitudinem vero c. 7. definit operationem anime secundum virtutem in vita undique perfecta; sed cap. 10. ait, vitam beatam meliorem esse, quam hominis natura ferat. *Non enim, inquit, quia homo est, ita vivet: sed quia divinum quidam in eo est;* additique eam

eam esse præmium, quod Deus charissimis suis largitur. Sæpius etiam commendat ingenitum nobis Summi Boni appetitum, qui non nisi ab ente infinito expleri, satiarique potest.

Itaque Peripateticorum sententia naturalem hominis felicitatem in Veritatis contemplatione, & virtutum exercitatione constituit: ut inter bona honestum sit optimum, ac propter se se expetendum, sed & alia bona jucunda, & utilia, quæ honesto non adversantur, expeti possint per se se, & virtuti adsocianda sint. Id vero sic possumus declarare ad naturalis felicitatis explicationem. Homo enim intelligentia, & ratiocinatione sua ex rebus hisce creatis ad Deum assurgere debet, ejusdemque existentiam assequi. Tum rationem primæ caussæ, entisque perfectissimi in ipso pernoscere, quatenus rerum omnium Auctor, Conservator, ac beneficentissimus Provisor Natura ipsa duce demonstratur; unde fit, ut homo intimo conscientiæ sensu se Deo totum debere pernoscat, eidemque amorem, & venerationem ab omnibus exhibendam esse, atque subinde ipsius legem esse adimplendam, quam ille in cordibus nostris impressit. Hinc primæ Veritatis contemplatio hominum animos maxima delectatione perfundit, atque ad honestatis, virtutumque exercitationem accedit, ut Auctori suo debitas grates, obe-

dientiam, & cultum exhibeant, moresque suos ad rectæ rationis, ac legis naturalis normam rite componant, aliisque etiam Deo præstante fruantur bonis, quæ honestati aduersa non sunt. Denique momentis illis plurimum probabilibus, quibus animæ rationalis suadetur immortalitas, sperare etiam potest homo præstantiora bona post mortem, & si mavis, atiam abstractivam Dei notitiam in effectis præstantioribus, atque adeo felicitatis suæ majorem perfectionem, quam in hac vita nemo potest obtinere: in qua profecto tot tantisque ignorantiae tenebris occupamur, adversaque fortuna, pravis affectibus, metuque ipso mortis vexamur.

Hæc diximus de naturali felicitate, quam rudem omnino, imperfectamque ultro fatemur. Divinæ autem Fidei luce oculos mentis nostræ illustrante, veram, perfectamque hominis felicitatem *in eo sit am esse tenemus, ut Deum videamus, ejusque pulchritudine perfruamur*: quemadmodum ait Cathachismus Romanus part. I. cap. 13. quam quidem in vita ista mortali nullatenus assequi possumus. Nimirum ea est vera hominis felicitas, ac beatitudo, in qua una conquiescere animus noster potest, quæ Sanctis in altera vita servatur: visio scilicet clara, distincta, & intuitiva Dei, tum perfectus amor illius, ut anima nostra potentis suis, intellectu, & volun-

tate, Summam Veritatem, & Summam Bonitatem immediate, ac in se se attingat, illiusque cognitione, ac fruitione expleatur.

Verum præcellens adeo hominis felicitas abscondita est, & abdita humana rationi, adeo ut homo naturalibus mentis suæ veribus tantam beatitudinem ne quidem sibi possibilem esse percipiat. Unum enim illa est ex Christianæ Fidei mysteriis, quæ captum nostrum superexcedunt, unde licet à naturali ratione reprobari nullatenus possint, nec tamen illius ope demonstrari queunt possibilia: cum sint dona supernaturalia, nec ullam habeant connexionem cum rebus naturalibus. Ita communi calculo Theologi docent, & sape tradit Scotus, præsertim in t. quæstione Prologi, ubi nonnulla parvi momenti in speciem hic adversantia dissolvit. Quamobrem si Philosophi, qui in præsenti disputatione illam hominis felicitatem, ac beatitudinem proponunt, atque tuentur, rem profecto exponunt, qua nihil verius, nihil certius est. Sed in hoc ipso Theologi porsonam agunt, nec solum rationis naturale lumen consulunt; fidei vero divinæ principiis innituntur: quod quidem, nostra sententia, ad præsentem Tractatum non pertinet.

Dicimus, naturalem hominis felicitatem, qualiscumque tamdem ea sit, imperfecta licet, si tam nullatenus esse in voluptate

corporis aut bonis fortunæ, nec in sola virtute consistere, sed in veritatis contemplatione, virtutumque exercitatione, quatenus id supra declaravimus.

Probatur prima pars. Homo natura duce occultat, & dissimulat appetitum voluptatis propter vercundiam. Ergo corporis voluptas indigna est homine; atque tantum abest, ut illa haberi possit veluti summum bonum, quin potius oporteat eamdem contemnere, & rejicere. Tum illa Epicuri sententia virtutes omnes de medio tollit, flagitiisque januam aperit. *Vox itaque pecudum videtur esse, non hominum:* ut optime notat Tullius paradoxo i. ad M. Brutum. Immo vero nec cetera bona fortunæ felicitatem hominis efficiunt. Sunt enim bonis æque ac malis communia; facta sunt, & caduca; nobisque invitis eripiuntur, atque appetitum animi explere nullatenus possunt. Igitur &c.

Opponunt Epicurei. Omne animal suapte sponte, & à primo ortu voluptatem appetit, eaque, ut summo bono, gaudet: quemadmodum aspernatur dolorem, & illum à se repelit, veluti summum malum. Sed & voluptas per se expetenda est, dolor per se fugiendus. Atque adeo quemadmodum summum malum in doloribus positum est, ita summum bonum voluptate continetur. Adducent, sapientiam, temperantiam,

ceterasque virtutes non propter se expetendas esse, sed quia velut artifices sunt conquirendæ, & comparandæ voluptatis: quo modo artem medicam, & artem nauticam, non propter se, sed propter utilitatem probamus.

Contra est. Etenim summi boni origo, & designatio petenda non est profecto à primo animantium ortu, qui imperfectiorem eorumdem statum præ se fert. Ceterum natura movet infantem, non ut voluptatem expetat, sed ut se integrum, salvumque conservet. Crescente vero ætate, & accedente intelligentia, ex naturali ipsa ratione colligit homo, felicitatem nullatenus sitam esse in voluptate corporea. *Voluptas enim corporis*, ait optime Seneca, cap. 7. libri de Vita beata, cum maxime delectet, extinguitur; itaque cito implet, & tedium est: post prium impetum marcat, nec id unquam certum est, cuius in motu natura est. Inficiamus etiam, voluptatem corporis per se expetendam esse, nisi quis velit hominem penitus exuere. *Quid de corporis voluptatibus loquar*, inquit Boëtius, lib. 4. de Consolatione Philosophiae, prosa 7. quarum appetentia quidem plena est anxietatis, satietas vero paenitentia? Ita nec summum malum in doloribus corporis positum est, sed præcipue in doloribus animi; quamobrem & naturalis felicitas ex animi perfectione, & virtute potissimum

ducitur, tumque ex aliis, quæ jucunda, & utilia cum sint, non pugnant honestati. Artes autem in nostram utilitatem adinventæ, eamdem ut finem respiciunt. At virtutes tum in se se optimæ sunt, tum ad animi voluptatem referuntur, eamdemque pariunt.

Probatur secunda pars. Felicitas haberi non potest in eo statu, qui perturbatus est, atque natura duce fugiendus. Atqui vera virtus longe sane diversa à superba Stoïcorum ostentatione, interturbatur morbis, egestate, doloribus, aliisque vitæ incommodis, ubi hac hominem urgeant; atque natura duce ejusmodi mala fugienda esse edocemur. Igitur naturalis felicitas non continetur solo virtutis splendore, sed animi simul, & corporis quietem, ac tranquilitatem complectitur. Quod autem Stoici vitæ incommoda dicunt non esse mala, sed rejectanca; id vox est, prætereaque nihil: ut jam diximus in q. 1. Hoc argumento Stoicos refellit S. Augustinus in epistola 155.

Probatur tertia pars. Ex iis omnibus, quæ nos secundum naturam capere possumus, nihil melius, nihil optabilius, nihil homine dignius intelligere fas est, quam si præcipue animi nostri operationes ordinata sint, ut intellectus in verum nitatur, quod est naturale ipsius objectum, & voluntas in bonum feratur: rectæque rationi omnia respondeant

deant ; sed & cetera bona jucunda , & utilia , quæ honestati congruunt , præsto sint homini . Id ipsum suadet innatus hominis appetitus , quo in veritatis acquisitionem contendit .

At cum prima Veritas sit Deus ipse optimus , maximus , infiniteque perfectus , ex hisce creatis rebus assurgit homo ad illius existentiam cognoscendam , cumdemque primam omnium causam , ultimumque subinde omnium finem esse certo evidenterque intelligit : tum illius essentiam , & perfectiones quoquo modo assequitur : quemadmodum ostendimus in 2. parte Metaphysicæ . Hinc vero recta ratione colligit , totum se Deo debere , eumdemque dignum esse , cui homo amorem , & grates perpetuo rependat , summamque venerationem exhibeat , ejusdemque præcepta cordibus nostris insculpta observet , & adimpleat , unde virtutum omnium exercitatio ad hominis naturam maxime pertinere intelligitur .

Cum autem experientia cuique compertum sit , animum nostrum in nullo creato bono conquiescere , posse , siccirco intelligimus solum Deum esse ultimum finem , summumque bonum , ex quo felicitas nostra oriri potest , & in quod contendere natura ipsa duce debemus . Et quia multis argumentis plurimum probabile est , animam hominis esse immorta-

lem , iisdem sane ducimur , ut post hanc vitam caducam spemus majorem Dei notitiam , ac felicitatem illam , quam in praesenti statu nemo consequi potest .

Hucusque naturalis ratio pertingit . Nam vera felicitas , & beatitudo , quæ in visione Dei intuitiva , & ejusdem perfecto amore , ac fruitione sita est , nobis non innotescit , nisi per divinæ fidei lumen : ut jam pridem diximus . Quamobrem quantulacumque naturali felicitate , quam supra declaravimus , Philosophus debet in hac vita esse contentus .

Postremo animadvertisimus , sapientissimam Dei Providentiam constituisse fines rerum omnium , etsi illi magna ex parte nos lateant . Omnia utique ut à Deo originem suam habent , ita ad ipsum , re ipsa , & physice , ultimo referuntur . Sed & peculiares plurium rerum fines in omnium conspectu versantur : sic novimus concessos animalibus pedes , ut ambulent ; aures , ut audiант ; oculos , ut videant ; contra ac inepte senserunt Epicurei , & ex eorum numero Lucretius lib . 4. de rerum natura .

DISPUTATIO SECUNDA.

De Actibus humanis.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum voluntas nostra gaudeat libertate, & quomodo?

ACtus humanos ut boni sint, vel mali in genere moris, necessario postulare principium liberum, à quo procedant, una pene omnium vox est. Quocirca de Voluntatis nostræ libertate cumprimis disserimus. Libertas porro quoad institutum nostrum rite dicitur *potes* *tas vivendi*, *ut velis*. Ut autem distincta ipsius notio exhibeat, & elucescat principium illud, quo liberi homines, liberum arbitrium, liberaque voluntas appellatur, & in quo meriti omnis, & honestatis, vel turpitudinis; virtutum, vel vitiorum; laudis denique, vel vittuperationis summa consistit: Oportet ea discernere, quæ libertati adversantur.

Itaque animadvertisimus, *Spontaneum esse id, cuius principium est in eo, qui quidem singula cognoscit, in quibus est actio: ut ait Aristoteles lib. 3. c. 1.* Etsi vero hæc descriptio iis tantum convenire videatur, qui ratione utuntur in agendo; tamen *Spontaneum*, quod interdum etiam *Voluntarium* dicitur, late sumpto

vocabulo, brutis quoque animantibus inest, in quibus naturalis boni, finisque nonnulla cognitio est: quippe in illis appetitus extat, naturalis nimirum facultas, quæ sponte id, quod bonum, & conveniens est, appetit: ut docet idem Aristoteles c. 2.

Violentum (addit Philosophus) Spontaneo contrarium est. Definitur autem *id, cuius principium est extrinsecus, nihil ut is conferat qui agit, aut patitur*. Illud etiam Spontaneo opponitur, quod per ignorantiam fit, cum est molestum, & afert pœnitentiam fit: enim ab invito; & *Involuntarium* appellatur.

Spontaneum, & Voluntarium quandoque conjungi possunt cum necessitate: etsi violenta careant, quæ utrique contraria est. Nam illud dicit principium intrinsecum, violentia vero, seu coactio extrinsecum principium connotat. Hinc parvuli nondum ratione utentes, & pecudes ipse sponte multa faciunt, ad quæ impetu quodam feruntur, quem in potestate non habent. Quamobrem id, quod Spontaneum, & Voluntarium est, dici potest liberum à coactione, seu violentia, nam hanc ut sibi omnino repugnantem excludit.

Quia vero Spontaneum cum necessitate componitur, hoc ipso libertas à spontaneo differt, quia quod liberum est, nullatenus potest esse necessarium. Spontaneo ita-

itaque contrarium est violentum, non tamen illi opponitur necessarium. At libertati adversatur utrumque, violentum, & necessarium; unde libertas & coactio-nem, & necessitatem excludit. Quamobrem omne liberum est equidem voluntarium, non tamen vicissim omne voluntarium est li-berum; nam liberum indifferens est, necessitatemque omnem exclu-dit non sic voluntarium.

Attamen duplex distinguitur genus libertatis. Nam alia libertas essentialis est, altera accidentalis appellatur. Et prior quidem posita est in quadam indeterminatio-ne dominii, qua voluntas, etsi actum quandoque cohibere non possit, se ipsa tamen determinat ad illum, & cum delectatione o-peratur, unde à naturalibus secer-pit caussis, quæ intrinsecam præ se ferunt determinationem: vi cu-jus moventur quidem ad finem, sed in illum ab alio diriguntur; cum caussa libera se ipsam dirigat. Po-sterior vero libertatis notio, quæ ad mores pertinet, indifferentiam præ se fert cum Contradictionis, tum Contrarietatis. Prima indiffe-rentia in eo posita est, ut qui illa gaudet, possit agere, aut non age-re, rebus ad agendum instructus necessariis. Per secundam autem talis habetur potestas, ut caussa libera, ex oppositis, & contrariis, uno rejecto, alterum asciscat suapte spö-te ac nutu: cum etiam illud ipsum, quod rejectum est, pari optare ju-

re, amplectique possit. Huic proin-de libertati necessitas quælibet omnino contraria est. Appellatur porro accidentalis ista libertas, quoniam circa contingentia versa-tur, & hominis operationes non semper hoc ipso libertatis modo contingit fieri, unde tunc minime sunt liberae.

Hanc homini libertatem ade-mere Democritus, Epicurus, & re ipsa quoque Stoici, ac Platonici, etsi verbo aliter ferebant, & quot-quot Fati neccessitatem posuere. Nec desunt inter eos, qui Chri-stiano nomine gloriantur, multi in-differentiam, humanæ libertatis evertentes. Adversus hos Theolo-gi disputant, atque tum ex Divi-nis Litteris, tum ex SS. Patrum, & Ecclesiæ auctoritate hanc liber-tatis notionem invicte propugnant. Nos impræsentiarum ratione natu-rali disserimus.

Dicimus, voluntatem nostram pollere libertate tum contrarietatis, tum contradictionis.

Probatur. Si homo non pollet hac indifferenti libertate, non po-terit laudem in bonis actibus pro-mereri, aut vituperium in malis. Neque enim quis præmio dignus intelli-gi potest, aut poena, nisi potestate sua unum præ altero u-surpaverit. Injustitia proinde nul-la, ut nulla virtus consistere po-test, si homo necessitate adstrictus est, licet liber dicatur à violentia, & coactione. Hinc nemo caussas naturales necessario operantes lau-dat,

dat, vel vituperat, nec iisdem virtutes, aut vitia attribuit. Ergo dicendum est, voluntatem nostram pollere libertate tum contrarietas, tum contradictionis. Hoc porro argumentum adeo evidens est, ut ejusdem vim probaverint illi etiam Veteres, qui fabulosa Minois supplicia perditis hominibus infligi coinxerunt. Unde optima est illa ratiocinatio apud Lucianum in Jove: *Si Parca omnium rerum est caussa; ergo si quis partem occiderit, Parca in culpa est. Si Minos recte velit uti iudicio, multo equius Fatum pro Sisypho, & Tantalo puniet. Quid enim illi injuste agerunt, quando Diis obtemperarunt?*

Deinde actio voluntatis nostræ libera non est sine electione. Porro electio haberi non potest sine consultatione, ac deliberatione. Atqui consultatio, ac deliberatio locum non obtinent, ubi ad unum voluntas est necessario affixa, & constricta, quamvis id ipsum sponte persequatur, immo ardenter expectat, & avide complectatur. Hoc ipso enim quod consultatio, & deliberatio est, notione sua liberam plurium optionem præ se fert. Igitur voluntas nostra non solum libera est à coactione, verum etiam est indifferens, ut diximus.

Denique hanc nobis inesse indifferentem potestatem ex interiore conscientia sensu evincimus. Ut enim nemo dubius ancepsque esse potest cogitationis suæ, quamdiu

Tom. I.

cogitat, quoniam interno conscientiae sensu cogitare se experitur; Ita nec quis sane mentis, ac re ipsa liber libertatis istius extantiam poterit inficiari, cum certo certius quique ex propria conscientia compertum sit, in plerisque se rebus ita versari, ut non necessario determinatus sit, sed suspensus, & ad utrumque contrariorum, oppositorumque potestatem habeat. Igitur &c.

Respondent, libertati repugnare eam solam necessitatem, quæ violenta est, & coactio dicitur: non autem necessitatem illam, quæ simplex nominatur, & unius tantummodo amplectendi potestatem relinquit, nec tamen vim ullam affert arbitrio libero, nec velle cogit.

Contra. Duo extant in nobis actionum genera. Etenim aliæ sunt actiones à voluntate nostra elicite, quæ nempe ipsiusmet, voluntatis sunt propriæ, & ab ipsa fiunt; aliæ actiones sunt à voluntate nostra imperata quæ videlicet ex voluntatis imperio ab aliis potentiis exhibentur. Atqui in utroque actionum genere necessitas illa, quæ vere proprieque cogens, & violenta dicitur, est omnino impossibilis: in actionibus elicitis, absolute; in imperatis vero, si supponas voluntatem non esse indifferentem. Ergo necessitas quæ nostræ libertati adversatur, est necessitas simplex, nō vero necessitas cogens. Hæc cœquentia probatur. Nam voluntas potest ita à virtute sibi superiori aliquando

ad unum determinari, ut libertatis usu non gaudeat; igitur si id fieri non potest necessitate cogente, sequitur id præstari simplici necessitate, adeoque hanc esse necessitatem illam, quæ libertati opponitur. Minor quoad primam partem ostenditur. Si in actionibus à voluntate elicitis supponas necessitatem cogentem, idem simul erit, & non erit: nempe actio voluntatis, seu volitio erit, & non erit; erit, quia supponitur extare; non erit, quia volitio ex notione sua ab interno principio proficiendi debet: quod autem coactione fit non oritur à principio intrinseco; violentum enim est id, quod ab externo principio procedit, nihil eo, quod patitur, ex se se conferente. Igitur nulla volitio, seu nulla actio voluntatis *elicta*, exprimi potest coactione absoluta.

Dixi *absoluta coactione*, nam diversa est ratio de coactione illa, quæ appellatur *secundum quid*: ut cum oppressi externa quapiam, ac majore vi, sive impetu impendentis mali, velle aliquid, ac facere compellimur, velut evitandæ mortis caussa cariosum aliquod membrum præcidere, aut mereas in naufragio projicere, & hujus generis alia, quæ ita libere agimus, ut non sponte, sed mœrentes agamus, & inviti. Hæc autem necessitas non libertati est prorsus opposita, sed spontaneo.

Probatur minor quoad secundam partem de actionibus à voluntate

imperatis. Ut actiones iste ad voluntatem ipsam comparatae, coacte dici queant, ac violentæ, necesse est voluntatem indifferentiam sua illis reluctari. Ergo si supponas voluntatem non esse indifferentem, non potest locum habere coactio in actionibus ab ipsa voluntate imperatis. Antecedens probatur. Si voluntas sponte ac libens tolleret violentam, ex. gr. corporis alligationem, vel tractionem, aut etiam eamdem sibi arcessat, hæc sicuti tunc non accedit nolenti, ita nec violenta voluntati est, quia voluntas pro libito non reluctatur. Ergo necessitas ista coactionis vim suam exercere omnino non potest, nisi voluntas ipsa suam exerceat indifferentiam.

Quod autem inquietunt, posse voluntatem illis refragari, id ostendit utique, ea dici debere, & futura esse violenta, quando voluntas renitetur; sed probat etiam, illa dici non posse violenta, quamdiu voluntas non repugnet. Alioquin si posse voluntatem reluctari, actionem redderet violentam, nihil non violentum, & coactum erit. Violentum erit esse nobis, ac vivere, quia nobis id ipsum displicere potest. Deus ipse justis hominibus erit violentus, quia possunt illum odisse.

Quamobrem dicendum superest, necessitatem coactionis opponi quidem libero, non est eo præcise quod libertum est, sed quantum est voluntarium: quo modo ho-

homini opponitur nihil oppositione laxa, & generica non propria, atque præcisa; At necessitatem eam simplicem, quæ ad unum determinat, directe, proprieque, ac stricto sensu adversariliberati. Unde falatis illa Stoicorum, & Genethliacorum necessitas, etsi non cogeret, nec violenta esset perimere tamen libertatem dicebatur, quoniam ad unum determinabat voluntatem nostram.

Facile ex dictis est Joannis Collinsii paradoxa refellere ajentis legem iis tantummodo præscribi posse, qui necessitati subjacent, & præmia, ac poenas inepte proponi agentibus liberis cum illæ hæc sibi subjicere non valeant. Immo vero res contra se habet. Solum quippe agens liberum potest ita per Legis edicta moveri, ut semet ipsum determinet ad operandum; proindeque ad meritum, vel ad culpam actio eidem reputetur, si legi dirigendi vel obsequatur, vel abniuat. In agente autem necessario omnia profiscuntur à caussa illud determinante, unde effectus huic caussæ adscribendus est, nec agentis erit culpa, sed determinantis, ubi Lex minime adimpleatur. Præmium porro, aut poena non proponuntur agentibus liberis, ut sibi eorum voluntatem subjiciant, & arbitrium evertant, sed unice ut illorum voluntatem permovereant, allicantque ad rectum libertatis usum. Atque hinc præmio, vel poena dignæ sunt actiones, si ex

libertate procedant; & quæ necessario sunt, nec laudari, nec vituperari queunt. Collinsius moralem tantummodo necessitatem statuit; sed verbis re ipsa ludit, cum talem velit esse necessitatem, quæ indifferentiam agendi perimat.

Ut vero quæ ex naturali lumine proponi possint objecta facile dissolvantur, animadvertisimus anticipitem esse vocabuli *Indifferentia* significationem. Et primo quidem *indifferentia* alia est *activa*, quæ ad efficiendum, seu operandum pertinet; alia *passiva*, quæ meram recipiendi capacitatem dicit respectu diversarum formarum, seu affectionum; & hæc libertatem non facit. Voluntas autem nostra indifferens est *active*, quatenus medium quemdam statum in ipsa intelligimus, quo pro nutu ferri potest in objecta contraria, aut in alterutram contradictionis partem. Duobus autem modis potest voluntas esse indifferens: & est subinde *Indifferentia* duplex. Una est à natura insita, in qua libertatis essentia posita est, ut diximus. Altera est adventitia, & quædam prioris absolutio. Sic se habet indifferentiæ genus illud, quod *equilibrium* appellatur, dum voluntas ita habet utriusque optandi potestatem, ut neutram in partem sit affecta, sed paribus momentis in utrumque propendeat. Hæc autem indifferentia vel adimi ex toto potest, vel ab ea plus, minusve rece-

di , integra manente priori , quæ est libertatis essentia. Nam & naturales affectus ab ortu ipso inditi , & habitus usu , atque actionum assiduitate roborati , & morbi , ac perturbationes , sæpe impellunt voluntatem , ac velut pondere quodam alteram in partem deprimunt. Ita qui ex habitu mala faciunt , peccant , etsi indifferentiam æquilibri non habeant. Demum *Indifferentia* nomen quandoque sic usurpatur , ut mutabilitatem voluntatis significet : qua sit ut voluntas ad unum aliquid , quod semel arripuit , & jam obtinet , non constanter adhæreat : sed ut fastidiosa est , ac volatilis , ab uno ad alterum desciscat. Sic cum virtuti se , officio que dedit , postea ad vitium , ac voluptatem applicat. Sed mutabilitas ista , nisi quatenus indifferentiam annexam habet , pertinere non potest ad nostræ libertatis essentiam ; cum sit illa brutis etiam animantibus communis , quorum appetitiones habent suas vicissitudines , nec in eadem re perpetuo consistunt.

Contingit autem , multas operationes ab hominibus metu fieri. Sed metus minuit quidem voluntarium , non tamen tollit. Hinc metus levis , qui nimirum parvi momenti damnum respicit , in excusationem adferri non potest. Metus vero ille , qui gravis est , & in virum alioquin constantem posse cadere dicitur , ut metus mortis , mutilationis , cruciatus atrocis , lon-

gi carceris , jacturæ bonorum , ignominia , facit quidem operantem ex eo habere semper affectum non operandi , tamen sinit absolute , & simpliciter voluntarium esse actionem , quia efficaci affectu eligitur , etsi renitus aliquis inficax tunc habeatur : quemadmodum in eo contingit , qui naufragii metu merces in mare proicit.

Quares
Quandonam voluntas nostra habeat usum suæ libertatis?

Dico , voluntatem habere ejusmodi usum pro eo instanti , quo libere operatur: non quidem quatenus operatur , sed quatenus sic operatur , ut possit non operari; sive , ut ajunt , non *reduplicative* , sed *speculative*. Ita docet Scotus in 1. d. 39. art. 2. & alibi sæpe. Et sane voluntas non gaudet usu libertatis suæ , antequam operetur; tunc enim plena adhuc intelligitur voluntatis indifferentia , nec voluntas exit in actum secundum. Postquam vero voluntas operata est , jam præteriit actio , & libertatis usus , nec amplius extat. Ergo vel voluntas numquam habet suæ libertatis exercitium , vel eo gaudet , dum ipsa operatur. Quemadmodum enim caussa non est actu caussa , nisi quando re ipsa effectum producit; ita caussa libera non est actu libera , nisi quandore ipsa libere operatur : & actus ipse non appellatur *reapse* liber , nisi quando

re-

re ipsa à sua caussa libere præmanat. Unde optime dicebat S. Augustinus, *Nemo peccat in eo, quod fecit; nec in eo, quod facturus est; sed in eo quod fuit.*

Ex iis porro, quæ diximus in 2. part. Logices, disp. 5. facile est intelligere exercitium libertatis, et si voluntatis, quamdiu operatur, necessario operetur. Propriam enim indifferentiam in actu primo semper conservat, quamobrem suspensa hærere potest, vel in oppositum actum erumpere: non équidem *re-duplicative*: ut re ipsa operatur, sed *specificative*: non in sensu composito operationis, sed in sensu divisorio; ita tamen ut in illius sit etiam potestate facere sensum compositum, vel divisum. Quo fit, ut licet necessario operetur, quando re ipsa suam exerceat operationem, tamen ejusmodi necessitas non sit antecedens, & absoluta, sed consequens, & conditionata.

Cartesius etsi professus fuerit nihil se constituere nisi perfectum suis illis claris, distinctisque ideis, falli, & fallere nesciis, tamen aliquando docuit, ad nostram libertatem minime pertinere indifferentiam ad utramque partem contradictionis, aut contrarietatis. Ita enim diserte scribit in meditato-nes 4. *Opus non est, me in utramque partem ferri posse, ut sim liber, addit vero, indifferentiam esse insimum gradum libertatis, & nullam in ea perfectionem, sed tam-tummodo in cognitione defectum re-*

stari. Ubi non loquitur de sola indifferentia æquilibrii, ut perperam contendit Constantinus Grimaldi. Hinc ep. 54. partis 2. ad Mersennum scribit: *Ex eo quod scripsi indifferentiam in nobis potius esse defectum, quam libertatis perfectionem, non sequitur rem eodem modo in Deo se habere; neque tamen novi esse fide, quod Deus sit indifferens.* Spero autem Patrem Gibieuf mihi hac in re a pprime patrocinaturum; nihil enim scripsi; quod cum ejus libro, de Libertate, non congruat. Quibus verbis Cartesius sententiam approbat Patris Gibieuf, qui dubio procul veram à nobis indifferentiam tollit, & viam libro suo paravit Janseniano errori. Tum ostendit Cartesius, sibi dubiam, & incertam esse eam indifferentiam Dei ad extra operantis, quam Divinæ Litteræ, & evidens naturæ lumen demonstrans. Laudandus tamen Cartesius est, quod opinionem suam ep. 112. secundæ partis retractaverit. Sed inde Catholici Philosophi intelligent, quæ fides præstanda sit Cartesianis ideis claris, & distinctis.

QUÆSTIO SECUNDA.

*Quenam sit radix nostra libertatis?
Et an voluntas determinationem accipiat ab ultimo judicio practico intellectus?*

EST hæc Quæstio cum antecedenti apprime connexa , ut ex illa necessario profluat ; immo vero nec illa quidem plena sit , ac perfecta , nisi eorum obsfmetur notitia , quæ non sumus exposituri . Nam si voluntas nostra libera est , hujus sane perfectionis radix , & origo est investiganda . Extrinsecam nostræ libertatis radicem , seu caussam faciunt plerique Omnipotentiam Divinam ; aliis est ipsa Dei Libertas . Intrinsecam vero radicem nostræ libertatis , seu internum in nobis principium libertatis ab indifferentia ultimi judicii practici intellectus repetunt Thomistæ , quo videlicet res objecta percipiatur , velut omnibus suis circumstantiis peculiaribus vestita ; Tale enim est ultimum judicium practicum , nam si à circumstantiis abstracta , speculativam erit . De his igitur opinionibus impræsentiarum disserimus .

Dicimus , extrinsecam nostræ libertatis radicem non esse Divinam Omnipotentiam , sed Dei Libertatem : intrinsecam vero sitam esse in ipsa voluntatis nostræ natura , seu indifferentia , non autem in indifferentia ultimi judicii practici ,

quod à nostro intellectu efficitur . Unde consequens est , voluntatem nostram non determinari ad hoc ultimo judicio practico intellectus .

Et prior quidem pars : si rem ipsam intimius spectare velimus , parvi erit momenti , adeo ut lis omnis componi facile queat , cum & Divina Omnipotentia , & Divina libertas , omnino debeat nostram voluntatem , libertatemque operari , & impossibile sit non utramque Dei perfectionem in id confluere . Sed Scholæ morem gerimus , & Scholasticis , quibus placet ista subtilioribus metiri notiōnibus .

Probatur itaque prima pars ex Subili Doctore in 1. d. 8. q. 5. Si ad unam aliquam ex divinis perfectionibus referre oportet nostram libertatem , ut istius extrinsecum principium potiori jure in illa constituantur , talis debet esse perfectio , qua posita principium intelligatur nostræ libertatis , & qua sublata libertas nostra corruat . Atqui si mente nostra Deum concipiamus Omnipotentem , seclusa libertate , principium non intelligeretur libertatis nostræ : sublata autem per conceptum nostrum Dei omnipotentia , non hoc ipso corruit nostra libertas . Ergo si nostra libertas ad unum Dei attributum præ alio potius est referenda , ut ad principium extrinsecum , radix extrinseca nostræ libertatis non est Divina Omnipotentia . Minor probatur . Si Deus Omnipotens intel-

ligatur , nec tamen liber , tunc necessario ageret , nec attemperare posset concursum suum. Ergo cum non sine illo agere non valeamus , infinita ipsius omnipotente virtute necessario ad actionem traheremur , nec reluctari nostra voluntas posset , adeoque &c. Si autem mente infinitam Dei , omnipotentemque virtutem non recogites , nihilominus adhuc libertas nostra intelligi posset ; adeoque &c.

Res è converso contingit , si libertatem nostram ad Dei libertatem referamus. Nam ut ille liber esset , nec ageret necessario , ita posset nos efficere liberos , nosque ipsi libere possemus operari. Igitur extrinseca radix nostræ libertatis in Dei libertate constitui debet. Et quemadmodum nos extare non possemus , nisi existeret à se Deus ; ita libertatem accipere nemo posset , & habere , nisi Deus libertate polleret. Adeoque &c.

Quocirca Omnipotentia quidem Dei est rerum omnium caussa : ita tamen ut à divina libertate modus quidam intelligatur adhiberi ipsimet omnipotenti virtute. Hoc autem sensu considerata Omnipotentia , modus ipse agendi liber , quo nos operamur , in illa rite dicuntur contineri. Ex dictis autem facile intelligimus , laborare contradictione eorum opinionem , (è quorum numero habetur Aristoteles) qui cum nos libere operari concederent , Deum necessario agéntem constituebant. Libertas

igitur nostra ab intrinseco oritur nostræ voluntatis , sed divinam libertatem necessario præsupponit. Et quibus adæquata resultat contingentiae caussa; Unde dicebat Doctor in 2. d. 14. q. 3. circumscripto omni libero arbitrio , humano , angelico , & divino , omnia evenient de necessitate , & nihil contingenter eveniret.

Probatur secunda pars. Indifferentia nostræ voluntatis nobilior est indifferentia judicii. Prior enim perfectionem dicit , ac propterea Deo etiam convenit ; non item posterior , quæ imperfectionem sapit mentis nostræ objecta non sat perfecte attingentis , & probabiliter , in utramque opositam partem ratiocinantis : unde nullum in Deo locum habere potest : Ergo indifferentia judicij non potest esse radix extrinseca nostræ libertatis , sive indifferentiae illius , quæ propria est voluntatis nostræ. Principium enim non potest esse imperfectius effectu suo. Et sane intellectio quidem est conditio ad volendum necessario prærequisita , non tamen est illius caussa. Nam cognitio naturaliter profuit , voluntio libere. Hinc posito ultimo judicio practico intellectus ad unam partem determinato , voluntas semper pollet indifferentia sua , alioquin non esset ipsa formaliter & per se libera. Notio enim libertatis vim dicit agendi , & non agendi , positis etiam omnibus necessariis ad agendum , inter quæ profecto
re

recensetur etiam ultimum judicium practicum intellectus, quo objectum voluntati proponitur; & anima nostra cognoscit, quid facere possit, quid agendum sit, quod hic, & nunc expediat. Ergo radix intrinseca nostræ libertatis in natura, & indifferentia voluntatis nostra constituenda est.

Quod ipsum alia rationes ostendunt. Etenim homo s̄apē contra proprium judicium operatur. Hinc tritum illud: *Video meliora, proboque; Deteriora sequor; & verum est, quod ajebat Philosophus lib. 3. c. 2. Nonnulli opinantur quidem melius, sed propter pravitatem elidunt quæ non oportet; quemadmodum; & c. 14. Voluntas incontinentis appetit id, quod non putat esse faciendum.*

Reponunt plerique, cognitionem hic proponi speculativam, & universalem circa meliora, non particularem, & practicam. Sed id omnino falsum est. Quippe jam objecta spectantur, ut suis circumstantiis vestita, & sic à mente voluntati proposita, ut adversanti cupidinis illectui responderent. Nisi quispiam velit judicium practicum cum eo amore confundere, quo voluntas objectum sequitur, & amplectitur.

Deinde si posito etiam ultimo judicio pratico intellectus, voluntas non posset operari, & non operari, jam ab illo determinaretur. Sed intellectus est caussa naturalis, voluntas vero est caussa

libera. Ergo caussa libera determinaretur à caussa naturali; adeoque non esset amplius libera. Neque enim voluntas posset intellectum ab objecto retrahere, nam in illa, quam refellimus, opinione ad hoc ipsum necessaria dicitur altera cognitio practica.

Postremo ipsa indifferentia judicii aut determinatur ab objecto, aut ab intellectu, aut à voluntate? Si primum, indifferentia judicii non esset vera indifferentia activa, quæ passive tantum se habet, atque à caussa naturali determinatur; atque adeo determinatio ipsa voluntatis proficeretur à caussa naturali: quod libertatem omnem funditus evertit. Si secundum; cur ea virtus erit voluntati abroganda, quæ intellectui conceditur? cum una sit anima, quæ per intellectum dicitur cognoscere naturaliter, ac per voluntatem libere appetere, ac se se determinare, unde immixta libertas propria voluntatis adscriberetur intellectui. Si tertium; hæc determinatio judicii à voluntate profecta non-ne à voluntatis determinatione oritur? At à quoniam est ista determinatio, per quam judicium determinatur? Numquid ab altero judicio pratico intellectus? Videte, ne progressus in infinitum constituantur, aut ne ridiculus habeatur regressus, dum judicium determinari dicitur à voluntate, & voluntas à judicio determinari. Dicamus ergo, indifferentiam ju-

judicij non nihil conferre ad expeditiorem libertatis usum, quatenus si judicium sit omnino indifferens, in neutram partem voluntas inclinatur. At ubi extat determinatio judicij, voluntas ad unam præ alia partem alicitur, etsi ad illam non necessario trahatur: cum ipsa cognitio præcedere quidem debeat rationalem voluntatis operationem, nec tamen istam invicte trahat, sed voluntas potius & se, & alias omnes potentias ad operandum applicet, ac determinet.

Contra Thomistas autem specialiter confirmare possumus assertiōnē nostrā, tum ex illo testimonio Lucæ cap. 12. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini, & non fecit*, tum ex auctoritate SS. Patrum. Nam Augustinus in Psalmos inquit: *Sæpe quid sit agendum videmus, nec agimus, quia non delectat*; Et ecce videmus quid agendum, & tamen nolumus agere. Et Bernardus, lib. de Gratia, & libero arbitrio ait: *Voluntas, licet non sine ratione, tamen contra rationem potest eligere minus bonum*. Igitur &c.

Objicies 1. Pro majori, aut minori intellectus consideratione, varius itidem est actus libertatis, eaque vel augetur, vel minuitur. Ergo ipsa intellectus consideratio, seu judicium, sive advertentia est intrinseca nostræ libertatis caussa. Quippe, ut ajunt, *sicuti se habet magis ad magis, ita simpliciter ad simpliciter*.

Tom I.

Respondetur. Nego consequentiam. Evidem necessarium est virtutis, & vitii notitiam debere præcedere, ut operatio reputari valeat ad laudem, aut vituperium. Oportet etiam, ut objectum præstendatur menti nostræ, & intellectus percipiat, quæ sit illius conditio, bona-ne, an mala. Id enim electio præxigit. Sed non jam hinc electio determinata est; immo vero ne quidem electio subsisteret. Nam notitiae illæ sunt conditiones præviae ad libertatem exercendam, non tamen libertatis caussæ: quemadmodum & ipsa sensuum operatio præcedit necessario amorem sensibilis boni, nec tamen ipsa determinat voluntatem ad amorem. Porro expositum axioma in caussis quidem obtinet veritatem, non item in aliis, quæ conditions sunt, non caussæ.

Objicies 2. Nemo operationis suæ cujuscumque aliam reddit rationem, nisi quia id sibi bonum visum est, quod elegit. Alioquin enim si objectum præstendatur, non ut bonum, sed ut indifferens, voluntas non poterit illud amare, ne in incognitum feratur. Hinc S. Bernardus in lib. de gratia, & libero arbitrio, c. ait: *habet voluntas, quocumque se volvat, semper comitem rationem, non quod semper ex ratione, sed quod numquam sine ratione moveatur*. Ergo voluntas determinatur ab ultimo judicio practico intellectus; adeoque indifferentia judicij est radix

Ecc in-

intrinseca nostræ libertatis.

Respondeatur, antecedens plerumque veritatem obtinere. Attamen voluntas nostra non tenetur semper rationem illam reddere, sed potest etiam in eo consistere, quod Juvenalis expressit, Satyra 6. *Hoc volo, sic jubeo: Sit pro ratione voluntas.* Consueverunt tamen homines in peccatis præsertim caussari judicium mentis, ut suas excusent actiones, & minorem in operando malitiam fuisse tueantur. Quoties autem nulla eluescit in objecto bonitas, nullus itidem erit actus amoris. Quippe, ut in 1. disp. diximus, voluntas amore non fertur, nisi in bonum. Sed voluntas, ut diximus in 1. p. Metaphysicæ, disp. 1. in fine quæst. i., vi sua præfigere potest objecto bonitatem, quam in aliis apprehendit. Potest enim voluntas pro arbitrio determinare intellectum ad considerationem unius potius, quam alterius objecti, unde voluntas ipsa sibimet rationem facit, propter quam operetur, nec movetur semper ratione ab objectis derivata, aut sibi simpliciter ab intellectu proposita, sed dum applicat intellectum, ut sibi placuerit, rationem in se ipsa habere dicitur, quoniam ipsa sibi rationem constituit agendi. Id vero sat est, ne in incognitum feratur. S. Bernardus citato in loco non aliud intendit, nisi voluntatem necessario præsupponere cognitionem objecti: quod ultro fatemur: Ibidem autem, ut diximus, docet, aliquando

voluntatem operari contra ipsam rationem: quod nunc tuemur.

Objicies 3. Nullum peccatum patratur sine errore, & defectu intellectus. Proverbiorum enim, c. 14. legimus: *Errant, qui operantur malum.* Quod ipsum alia Divinarum Litterarum testimonia confirmant. Quin & Aristoteles, lib. 3. cap. 1. ait: *Unusquisque pravus quid agendum sit ignorat.* Atqui si voluntas non determinaretur ab ulmo judicio practico intellectus, posset fieri peccatum sine errore intellectus ex sola voluntatis malitia. Ergo &c. Secundo quemadmodum appetitus brutorum determinatus est ad operandum, quia illi appareat objectum sub determinata ratione, ita dicendum est, ex objecti propositione determinari voluntatem, ut quæ mente fluctuante nutat, & eadem laborat inconstantia, mente postmodum per judicium practicum determinata, & ipsa determinetur. Alioquin temere, & inconsulto ageret, non ut potentia rationalis, quæ induisse cohæret rationi. Ponamus enim ultimum rationis judicium esse consentaneum prudentiæ, & voluntatem agere contra justitiæ; tunc sane homo erit prudenter injustus: quod omnino absurdum videtur.

Respondeatur. Nego majorem ex dictis. Evidem peccantes errore morum semper labuntur, quia deflectunt à rectitudine justitiæ: ut Lyranus noster exponit locum citatum Proverbiorum. Defectus etiam

tiam habetur aliquis in intellectu male agentis, quoniam peccati malitiam, & pessimos effectus non animadvertis, quorum attenta consideratione à peccatis retraheretur: quo sensu accipimus Philosophi sententiam, aliasque consimiles. Neque tamen talis in peccante admitti debet semper error intellectus, ut pravæ voluntatis electioni falsa præcedat cognitio, aut à judicij determinatione voluntas ipsa determinetur.

Ad secundum. Dicimus, appetitum brutorum non jam determinari à perceptione objecti; nam quia caussa naturalis est, à natura determinationem habet. Atque hinc latum est discrimen de voluntate nostra, quæ caussa est libera, & se ipsam determinat. Semper tamen voluntas rationalis est, & coheret rationi, quia præsupponit rationis, seu intellectus operationem, etsi quandoque contra rationem, seu contra judicium rationis operetur: ut diximus. Sed fieri non potest, ut rectum judicium, quod ad regulas prudentiae componitur, sit contra justitiam; unde quando voluntas contra justitiam operatur, contendit etiam contra illud practicum judicium, & imprudenter agit.

Colligite, Cartesianos Philosophos sententiam Thomistarum verbo tenuis adoptasse, dum & ipsi docent, voluntatem nostram determinari ab ultimo judicio practico intellectus. Sed re ipsa verbis ludunt, & quæstionem ridiculam faciunt,

Nam judicium, affirmationem nimurum, & negationem, non intellectui, sed voluntati proprium faciunt: dicente eorum Magistro, parte prima principiorum, num. 32. *Sentire, imaginari, & pure intelligere, sunt tantum diversi modi percipiendi: ut est cupere, adversari, affirmare, negare, dubitare, sunt diversi modi volendi.* Hæc tamen opinio pro libito confusa est, & omnia confundit.

QUÆSTIO TERTIA.

De Objecto nostræ voluntatis, variis que ejusdem actibus.

DE actibus nostræ voluntatis, seu de ejusdem variis operationibus nonnulla adjicere præstat. Omnem porro nostræ voluntatis operationem esse amorem, in confessio est apud omnes: sic tamen ut amor aliquando delectationis, aliquando timoris, vel tristitia sensum adjunctum habeat. *Recta voluntas* (inquit optime S. August. lib. 14. de Civitate Dei, cap. 7.) est bonus amor, & voluntas perverse malus amor. Amor ergo inibiens habere quod amat, cupiditas est: id autem habens, eoque fruens, latitia est: fugiens, quod ei adversatur, timor est: idque, si acciderit, sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor; bona, si bonus.

Delectatio porro bifariam distinguitur. Quippe altera præveniens

est, ac inde liberata; altera cōsequēs dicitur, & deliberata. Prior illa ab objecto nascitur, omnemque præcedit rationis advertentiam, & voluntatis libertatem; eaque est, quā objectum ad se se lenocinio quodam voluntatem nostram allicit, & trahit. Posterior ortum dicit ex libera voluntatis electione, & delibera-
tione, quando nimur voluntas in objecto proposito sibi complacet, in eo delectatur, eique adhærescit. Quamquam autem voluntas nostra amore feratur in objectum suum, & ex amore; quo se ipsam, vel quidpiam aliud prosequitur, ab altero retrahatur objecto; tamen non sola objectiva delectatione movetur voluntas. Quippe objectum voluntatis equidem bonum est; sed bonum trifariam patet, nam aliud honestum est, aliud utile; aliud jucundum, seu delectabile. Quapropter amore semper operatur hominum voluntas, & amor habet semper pro suo objecto bonum: sed non omne bonum annexam habet rationem delectabilis; etsi quando voluntas amat, & ex amore ad operandum procedit, complacentiam, & delectationem experiatur deliberatam. Nihilominus hoc etiam satis constare credimus, nostram voluntatem plerumque objectiva delectatione ad operandum invitari.

Nunc ergo quæstio se nobis offerscitu necessaria, quæ ex altera præcedenti profluit: Utrum nempe voluntas nostra *ex sui natura* ita sit affecta, ut si ei occurrant

duo jucunda bona, quorum alterum appareat majus, & magis delectet, alterum vero minus bonum videatur, minorique delectatione alliciat; voluntas possit quidem physice, & absolute loquendo, amplecti bonum minus, majori relicto; id ipsum tamen numquam sit præstitura. An vero sic pro nutu suo queat operari, ut alterum eligit quod sibi placet, nec *ex sui natura* sit determinata ad majus illud minori præponendum.

Qua in re posteriore hanc partem tenemus; etsi fateamur, voluntatem nostram plerumque amplecti bonum majus præ bono minori.

Id vero ex dictis descendit. Etenim si voluntas nostra *ita ex sui natura* affecta est, & determinata, ut duobus bonis, majori, & minori propositis, semper amplectatur bonum majus, jam determinaretur ab ultimo judicio pratico intellectus judicantis bonum unum esse præstantius altero, illudque alteri præponentis. Hoc porro falsum esse diximus. Hinc Scotus in 1. d. 1. q. 4. optime scribit, nullam bonitatem objecti caussare necessario assensum voluntatis, quem veritas in intellectu caussat, & in 3. d. 36. ait, posse defectum reperiri in voluntate sine defectu intellectus. Quæ quidem omnia falsa sunt in ea, quam refellimus, sententia.

Libertatis autem nostræ notio, ut diximus, in eo sita est, ut voluntas omnibus instructa necessariis ad

ope-

operandum, possit pro nutu suo operari, & non operari; amare, & non amare. Atqui objecti proposicio sub bonitatis ratione, sive majori, sive minori, unum est ex necessariis voluntati ad operandum. Ergo propositis duobus bonis, majori, & minori, poterit voluntas non operari, & non amplecti bonum majus, sive illud non amare. Igitur poterit etiam amplecti bonum minus, relictio majori. Nam vero bonum majus non determinat voluntatem ad amorem; ipsum autem bonum minus est sufficiens objectum amoris, quia bonum est: nec desinit bonum esse, etsi in conspectu boni majoris constituantur, quippe semper habet propriam rationem convenientiae, & bonitatis, quæ menti nostræ proponitur.

Neque dicas, hinc quidem evinci, voluntatem posse physice & absolute loquendo, amplecti bonum minus, derelicto majori; non tamen à voluntate amovere necessitatem moralem amplectendi semper bonum majus, relictio minori.

Enim vero non facile his possumus assentiri. Bifariam sane intelligere possumus, potentiam aliquam semper carere actu secundo; vel quia Deus prævidit liberam hominis voluntatem nunquam ita esse operaturam; vel quia potentia ita constituta est, ac determinata ex sui natura, ut nunquam actum illum eliciat. Primo sensu concedimus extare in nobis posse facultatem operandi, quæ nun-

quam re ipsa operetur; neque hoc officere arbitramur potentiae agendi, aut libertati, quippe etsi necessario ita contingat, omnis tamen ista necessitas præscientiae est, & immutabilitatis; hæc autem subsequitur liberam arbitrii nostri electionem, in cuius potestate est facere sensum compositum, vel divi- sum præscientiae: ut docuimus in 2. parte Logices, disp. 5. At si dicas, potentiam ita constitutam, determinatamque esse ex sui natura, ut nunquam, positis iis circunstan- tiis, actum illum eliciat; hoc est, quod candide fatemur nos mente assequi non posse. Si ita se habet voluntas nostra, propositis bono majori, & minori, ut ex sui natura determinata sit ad majus semper amplectendum, & nunquam minus, necessario id eveniret necessitate originem trahente ab ipsa natura voluntatis nostræ, quæ necessitas est naturæ, atque inevitabilitatis. Nos igitur potentiam amplectendi minus bonum in conspectu majoris boni sibi propositi in voluntate non agnoscimus, nec velut physicam, & realem admittere possumus, siquidem nominis est potentia, non rei: quæ ex intrinseca voluntatis natura nunquam obtinet effectum suum, nunquam exit in actum secundum. Non ulla hic moralis tantum necessitas haberetur, sed physica quippe ne- cessitas non amplectendi minus bonum in conspectu majoris ori- di- citur ab ipsa voluntatis natura.

Hinc

Hinc animadvertisimus longe diversam esse opinionem illorum Theologorum, qui affirmant, re ipsa extare gratiam sufficientem, quæ nunquam effectum suum obtinet. Id enim declarant necessario evenire necessitate orta à divina præscientia, & immutabilitate, non autem ab ipsa natura gratiæ, aut necessitate inevitabilitatis.

Dices r. Qui delectatione aliquujus objecti capit, posset quidem, si vellet, illud relinquere, ac repudiare; verum infallibiliter, prævalente majori delectatione, nunquam relinquet, nunquam repudiabit. Voluptas enim sine necessitate quidem, sed indeclinabiliter voluntatem rapit; unde tritum illud: *Trahit sua quemque voluptas.* Neque vero inanis est, aut solius nominis potentia repudiandi majorem propositam delectationem, tametsi nunquam re ipsa obtineat actum secundum, & nemo bonum maius relinquat, & minori adhaerescat. Id enim plurima ostendunt exempla. Nam si quis ab homine judicii compote peteret, ut ille se deorsum è fenestra præcipitem daret, vel ut sibi nasum amputaret, vel oculos effoderet, manus truncaret, linguam abscederet, ad suam exercendam, quam habet veram, physicam, & realem potentiam ea faciendi, & ad præbendum istud libertatis suæ experimentum; Sic rogatus responderet, se postulata efficere utique posse, sed nolle, nec velle se ita experiri libertatem

suam; adderetque potentiam ea faciendi nunquam obtenturam effectum suum, nullumque hominem in toto Orbe inveniri posse, qui ut nuganti amico obsequatur, oculos sibi yellit eruere: nisi forte iis in locis; ubi concluduntur furiosi. Omnes quidem homines & possunt, & potuerunt, & poterunt; sed nullus facit, nullus fecit, nullus faciet: quia nemo vult, nemo voluit, nemo volet. Affert etiam consuetudo certum, & infallibilem modum in plerisque rebus affert cupiditas, affert turpitudinis fuga. Quis enim persuadeat viro cordato, ut nudus obambulet per vicos, & plateas? Quis Episcopo, vel Senatori, ut histrionico habitu incedat? Quis avaro, ut omnia pauperibus eroget? Timor mortis temporalis, & amor vitæ corporalis nobis à natura impressus illæsa libertate, nos moraliter, & invincibiliter determinat ad ea rejicienda, quæ certo, & evidenter mortem inferrent; & ad ea usurpanda, in quibus vitam positam esse constat. Si quispiam summa amicitia Petro junctus, rem ab eo expostulet aliquam, in cuius concessione ratio difficultatis pene nulla occurrat, certissime ille, & infallibiliter assequetur optatum; etsi aliter possit physice, & absolute contingere. Nobilis Matrona potest equidem pedibus iter Romanum usque conficere: nec tamen id unquam præstabat. Sexcenta in idipsum alia occurrunt exempla. Igitur

tur optimo iure voluntatem nostram ita natura sua affectam dicere licet, ut licet vere possit repudiare bonum majus, & minus amplecti, tamen semper sequatur majus bonum, minori relicto.

Respondetur, argumentum duo quidem evincere, videlicet primo nos delectatione deliberata operari, quæ electionem nostram consequitur: secundo voluntatem nostram plerumque amplecti bonum majus, minori posthabito. At non satis probatur, rem ita semper evenire, & quidem infallibiliter, aut voluntatem ipsam ita affectam esse ex sui natura. Obstant enim ea, quæ diximus. Quamobrem etsi pro libito concederemus, voluntatem nostram semper moveri à proposita sibi voluptate, tamen affirmari etiam oportet, voluntatem nostram pro nutu suo minori voluptati præostensæ adhærere aliquando, etsi major simul ei proponatur.

Quæ vero allata sunt exempla nihil nos commovent, nec Adversantium sententiae confirmandæ sati idonea sunt. Etenim in iis, quæ ad virtutem, aut vitium attinent, sic homo es constitutus, ut hinc virtutis pulchritudine alliciatur, inde concupiscentiæ stimulis irretitus ad sensibile bonum trahatur. Duo bus nimirum bonis invitatur, quoram alterum altero præstantius apparet. Non ita res contingit in aliatis exemplis. Quæso enim, qui sana mente viget, nec ullis cala-

mitibus in vita odium urgetur, non he sola ratione movetur, & trahitur, quæ sensibile mortis malum ostendit, atque præcipitatio- nis funesta effecta demonstrat? At potius anima naturaliter ab istis objectis abhorret: cujusmodi sunt, præcipitem se dare è fenestra, ocu los sibi effodere, & cetera similia. Nullum sane sensibile bonum tunc voluntati proponitur. Nam exercitium libertatis, ubi omni bono sensibili destituitur, & tam gravia sensibilia mala secum adjuncta necessaria præ se fert, boni ne ullam quidem specie habere potest, nec ut bonum apparet, sed ut maxime malū.

In eo itidem, qui nudus deambularet, aut histrionico habitu incederet, res eodem modo se habet. Nullum enim ex iis sensibile emolumen- tum promanat; sed dedecus tantum, & irrisio, quæ mala sunt, prævidentur futura. Ita & in Avaro contingit, nisi ille supra humana omnia erigat se se. Jam de vita amore, & mortis timore idem dicendum est. Amicus ille, qui supponitur semper obsequi amico roganti, ad contrarium minime allici itidem supponitur. Nullum quoque commodum, aut bonum sensibile nobili illi Matronæ proponitur, sed potius tantummodo sensibile maximum incommodum.

Verum, ut diximus, in iis, quæ ad mores pertinent, hinc homo trahitur à virtute, inde à vitio, & sensibile bonum ab ipso vitio proponitur. Quamobrem exempla in-

ver-

verti possumus. Nam ubi calamitates animum vexarunt, non defuerre, qui posthabita ratione, se præcipites dederint; etsi mente non essent capti, siquidem in hoc ipso peccaverunt. Ita ubi sensibilia bona proposita fuerunt, Viri etiam dignitate præstantes enormia facinora patrarunt, ut prorsus fidem omnem res ipsa excedat: quemadmodum historias evolenti satis notum est. Difficultas etiam levis, si tamen sensibile commodum promittat, vel sensibile damnum amovere videatur, quandoque in causa est, ut amicus ab amico obtinere non possit illud, quod ex amicitiae legibus debitum prudenter judicatur. Nec sine ratione quis asseveraret, plurimas nobiles Matronas arduum illud Romam usque iter pedibus suscepturas, si boni sensibilis spes easdem invitaret.

Non me latet, Adversarios respondere solitos, quando quidpiam præter communem morem contingit, id ipsum sub specie majoris boni proponi. Sed viderint illi regressum istum, aliaque interim exempla studeant proponere, quibus appareat talem aliquando concedendam fore potestatem, quæ ex sua interna affectione nusquam sit effectum illum præstitura, quem potest efficere.

Dices 2. In conflictu duplicis delectationis præviae, & indeliberae, quæ videlicet ab objecto oriatur, minor non potest superare

majorem. Alioquin ista hoc ipso major esse desineret: quemadmodum minus pondus non potest ad se trahere majus. Voluntas vero nostra, sicuti moveri non potest, nisi à bono, ita in concursu duarum delectationum, quarum una sit minor, altera major, non nisi à majori moveri potest. Nam & minus bonum in conspectu majoris præ se fert privationem istius; adeoque ut malum, non ut bonum apparet. Igitur &c.

Respondetur, falsum esse, quod supponitur, nempe minorem delectationem superare majorem: quasi vero voluntas nostra passive se habeat, & ab objecto determinetur. Ergo voluntas est, quæ pro libito, & nutu suo unam præ alia propositam partem complectitur. Dum autem nullum bonum voluntati propositum est, nullum est etiam amoris objectum; & ideo voluntas moveri non potest. At minus bonum, etiam in conspectu majoris boni constitutum, minime deperdit rationem objecti, nimirum suam bonitatem; quamquam per accidens annexam habeat privationem majoris boni. Etenim bonitas quidpiam est absolutum; & licet à nobis explicetur por modum relativorum, tamen non refertur ad alia objecta, sed ad solam voluntatem, seu ad appetitum: & ideo bonum minus, comparatum etiam ad alia objecta, habet semper naturam suam, & bonitatem. Poterit ergo voluntas illud amare, non qui-

quidem ut privationem boni majoris præ se fert, sed ut propriam habet bonitatem.

Infertur ex dictis, voluntatem nostram non semper præsupponere efficaciorem propositionem unius boni, quam alterius, ut illud complectatur. Quamobrem si duo bona æqualia probantur, voluntas amplecti potest pro libito alterutrum eorum: ut rationes in superioribus expositæ evincunt.

Inter actus nostræ voluntatis notissimi sunt Volitio, & Nolitio, sive efficax, qua finem volumus, & media apta applicamus; sive inefficax, qua finem optamus quidem, sed media non assumimus, unde *Velleitas* dicitur; Consensus quoque, & Dissensus; Usus itidem, quo media applicamus; & Fruitione, qua delectamur in boni assecutione. Præcipui tamen voluntatis nostræ actus sunt Intentio, Elec̄tio, & Imperium.

Intentio itaque ea est, qua voluntas finem assequendum intendit, unde & determinatur ad volitionem mediorum, quæ fini obtinendo sunt idonea.

Elec̄tio actus est, quo voluntas media seligit, & fini assequendo ordinat. Intentio aliquando indistincta est ab electione, si nempe intentio media ipsa determinat; sed aliquando re ipsa distinguitur, cum vel solum finem respicit, vel mediate, indeterminate, ac generatim; & tunc ipsa intentio est causa electionis mediorum in parti-

Tom. I.

culari: licet intentio finis saltem virtute electionem mediorum contineat. Cum autem, posita intentione finis, possit voluntas se retractare, & media non eligere; siccirco elec̄tio est in se se libera. Neque tamen intentio efficax finis determinat electionem mediæ melioris: Sat enim est, si media sufficientia, & necessaria eligantur. Quandoque autem *Elec̄tio* generatim omnino pro quacumque voluntatis libera unius, vel alterius objecti appetitione sumitur: quo sensu optime Aristoteles electionem lib. 3. cap. 2. definit, *eorum, qua in nostra potestate sita sunt, ex deliberatione constantem appetitionem.*

Imperium actus ille dicitur, quo potentia dominatur alteri, & illi præcipit. Hic autem lis est Thomistas inter ac Scotistas; Intellectui ne Imperium sit adscriendum, ut Thomistis placet: an vero voluntati, ut Scotistæ docent? Qua in re parvi sane momenti, verbo tenus controversia continetur. Etenim nemo inficiatur, Voluntatem decernere, ac determinare actus suos, & aliarum etiam potentiarum. Intellectum vero per modum judicii; & consilii dirigere voluntatem, & actus illius. Hinc autem emergit quæstio, num Imperiū priores illos voluntatis actus significet, an vero posteriores actus intellectus? Nos autem arbitramur, potiore jure Imperium aptari actibus voluntatis, quam

Fff

in-

intellectus. Sane voluntas imperat in regno animæ, ut notat S. Augustinus, lib. 8. de Civitate Dei c. 9. Porro imperare est dominari, & cogere ad actum imperatum; Unde ille, qui imperio subjectus est, obedientiam præstare debet, & vi imperii ad exequenda mandata determinatur: quo modo sola Principis voluntas Subditos cogit. At munera ejusmodi voluntas sola præstat; ipsa sola dominatur potentissimis omnibus, & illas determinat: sed nec ab alio determinatur, ut appetitus sensitivus movetur ab objecto, nam voluntas se ipsam pro nutu movet, ac determinat. Intellectus vero, licet ordinat, ostendendo objecta, & dirigendo, non tamen determinando. Igitur Imperium potiori ratione voluntati attribuitur.

Quod ut firmius teneas, aequationesque devites, animadverte cum S. Bonaventura, in 1. d. 40. art. 1. quæst. 2. ordinationem bifariam accipi posse. Aliquando enim significat, unum cum alio conferre theoretice, & objectum ostendere; quandoque autem, & proprio magis sensu, denotat suadere, præcipere, velle, aut decernere, vel practice unum conferre cum altero. Ita & Prudentia prævisionem præ se fert rei futuræ, ac ordinandæ; vel studium dicit, & curam rerum efficiendarum. Priore sensu Ordinatio, & Prudentia ad intellectum pertinent. At sensu posteriori ad voluntatem

attinent, Imperium ipsum constituant. Ita & Lex, ut regula est ad intellectum spectat: per modum autem imperii ad voluntatem. Imperat etiam voluntas intellectui, saltem quod exercitium suarum operationum; neque tunc fertur in incognitum, quippe aliqua saltem confusa eorum objectorum cognitio præcedit, quorum contemplatio à voluntate præcipitur.

Ex dictis colligitur, voluntatem esse perfectiorem intellectu, quia voluntas est libera, non intellectus, & illa dominatur huic, & imperat; per voluntatem etiam homo maxime distinguitur à brutis: & beatitudo ipsa in actibus quoque voluntatis sita est.

QUÆSTIO QUARTA.

An sit possibilis pura Omissione libera?

Inquirimus nunc, utrum voluntas nostra, vi suæ libertatis non solum possit abstinere se se à prosecutione alicujus objecti, semet ipsam per alterum actum positivum alio convertendo, quia actus ita se habeat, ut vel directe, vel indirecte sit causa prioris illius omissionis; an vero queat etiam sic libere omittere, ut objectum non amplectatur, nec tamen actum positivum eliciat, qui sit quoquo modo causa illius omissionis, quam iecirco puram nominant.

Di-

Dicimus, possibilem esse puram Omissionem liberam.

Ita fert communis Scotistarum sententia, ut animadvertisit Mastrius, disp. 7. de Anima q. 4. art. 2. Quamvis autem Subtilis Doctor noster quæstionem hanc ex professo minime pertractaverit, haud obscure tamen puram Omissionem liberam esse possibilem pluribus in locis indicavit. Sane in 3. d. 15. non solum scribit, velle ipsum, & nolle in potestate nostræ voluntatis reperiri immediate, verum etiam ait: *immediate in potestate voluntatis est non nolle.* Quod repetit quæstionem. 18. Quolibet ubi illud animadversione dignum est, quod eam particulam, *immediate*, ita assumit, ut illam ex adverso respondere faciat huic particulæ, *mediate*; unde actus potentiae inferioris *mediate* tantum sunt in potestate voluntatis. Porro si voluntas non omittaret nisi per actum positivum, qui sit aliquomodo caussa omissionis, jam ipsum, *non nolle*, *mediate* solum esset in illius potestate, non vero *immediate*. Quod quidem sententiæ Scotti adversatur.

Probatur 1. Illud liberum est, quod est in potestate voluntatis, ut sit, & non sit: quemadmodum notat Scottus in 2. d. 32. §. *Ad argumenta quæstionum;* & quæst. cit. Quol. Porro non solus actus, sed illius quoque suspensio est hoc modo in potestate voluntatis. Voluntas enim vi suæ libertatis, propo-

sito sibi objecto, potest illud velle, & non velle. Et sane libertas contradictionis respicit extrema contradicentia, ut sunt velle, & non velle: non vero contraria, cuiusmodi sunt velle, & nolle. Ergo voluntas poterit actum omittere, etiam immediate, quin velit contrarium objectum, aut eliciat contrarium actum nolitionis.

Respondent, hinc solum evinci. Omissionem esse in potestate voluntatis, mediante volitione, qua actum velit omittere. Addunt autem, libertatem contradictionis non in eo discriminari à libertate contrarietatis, quod illa respiciat extrema contradicentia, sed quantum illa exercetur per ordinem ad duo objecta contradictionis: quod non convenit libertati contrarietatis.

Contra est 1. Ut tradit etiam Scottus, quæst. cit. 18. Quol. suspensio sui interioris actus à libertate proveniens in eo differt à suspensione actus aliarum potentiarum facta per voluntatis imperium, quod illa immediate sit libera, ista vero mediate. At id falsum omnino esset, si prædicta responsio vim habet. Utraque enim suspensio eodem modo libera erit nostræ voluntati. Igitur Omissione est immediate in potestate voluntatis.

Contra 2. Voluntas eamdem habet potestatem in actum suum, & in omissionem illius. Ergo potestas voluntatis debet esse immediata

respectu utriusque : quemadmodum ipsa libertas contrarietatis est immediata respectu omnium suorum objectorum.

Contra 3. Secunda illa responsionis pars utramque libertatem confundit. Libertas autem contradictionis est indifferentia ad velle, & non velle ; ad operari, & non operari : non vero ad velle, & nolle , cuiusmodi se habet libertas contrarietatis. Sane utraque voluntatis libertas maxime elucescit respectu ejusdem objecti; quatenus voluntas potest illud amare, vel odisse: amare vel non amare. Non satis ergo subsistit plena voluntatis libertas per ordinem ad diversa objecta, vel contraria, vel contradictionia. Tum si voluntas non potest libere cessare ab amore alicujus objecti nisi per novum actum constituat, se nolle amare, jam actum amori oppositum deberet semper elicere, ut ab amore cessaret. Atque adeo libertas contradictionis non satis subsisteret. Atque hinc.

Probatur 2. Conclusio ex doctrina Scoti in 1. d. 10. & in 2. d. 42. Objectum actus voluntatis utique debet semper præcognosci, ut ipsa possit in illud operari : non tamen præcognosci debet actus ipse. Atqui hoc falsum esset, si voluntas non dicitur posse libere amare eatenus tantum quia potest immediate non amare. Ergo dicendum est, voluntatem posse immediate non amare, sed pure omittere amorem. Minor probatur. Nolitio

positiva amoris haberi non potest sine cognitione reflexa amoris, & carentiae , seu privationis ipsius amoris , quippe nolitio hæc habet pro suo objecto amorem , ad quem nequit terminari , nisi ille præcognoscatur. Ergo actus ipsæ voluntatis deberet præcognosci. Ergo voluntas dicenda est libere amare, quia potest immediate actum suum suspendere, seu non amare. Alioquin enim quando libere amat , deberet ipsum etiam amorem suum præcognoscere , ut posset illum nolle ; seu ab amore cessare. Possibilis adeo est pura Omissio libera.

Neque dicant Adversarii , utique directum illum amoris actum debere constitui objectum istius nolitionis , quæ est actum reflexus. Etenim nos hoc ipsum minime necessarium esse arbitramur ; alioquin in infinitum progredi oporteret. Nam si voluntas mea , ut libere amet Petrum , præsupponit notitiam amoris, quo amat, & privationis ejusdem, quoniam ita amat , ut possit non amare; ex qua notitia voluntas dicatur posse reflexe nolle amorem, aut velle privationem amoris ; Jam consequens est etiam , actum illum reflexum , ut & ipse sit liber , & libere exercetur, debere præcognosci una cum illius privatione , quam voluntas potest velle , unde libere in amore permanet. Atque adeo , cum idem ferendum sit iudicium de aliis reflexis actibus , eorumque privationibus , actus reflexi in infinitum pe-

ne producerentur. Non ergo oportet, voluntatem semper habere actum positivum, quo omissionem determinet.

Objicies 1. Voluntarium illud est, quod à voluntate, velut à principio, procedit. Atqui omissione, cum sit carentia actus, non est hujusmodi. Ergo non nisi ratione actus positivi potest esse voluntaria. Secundo, omne voluntarium est exercitium potentiae vitalis liberæ, & actus secundus illius. Omissione est carentia exercitii, & privatio actus. Ergo quemadmodum carentia intellectio non est exercitium potentiae cognoscitivæ, ita nec omissione est per se voluntaria, seu libera. Unde voluntas respectu omissionis nullam intelligitur habere caussalitatem.

Confirmatur. Exercitium potentiae liberæ est exercitium potentiae vitalis. Porro per exercitium potentiae vitalis movet se se homo ab intrinseco, & vitaliter in objectum tendit. Hæc nullatenus conveniunt voluntati omittenti, quæ tunc non agit. Ergo &c.

Respondeatur. Omissionem utique, cum nihil sit, non procedere à voluntate, velut ab agente; quamquam intelligatur procedere à voluntate, quatenus ista non agit, quando potest operari. Prior ille procedendi modus causalitatem connotat, & voluntario positivo convenit, cujusmodi est actus. Alter modus privativo voluntario aptatur, qualis est omissione, quæ solum

intelligitur procedere ad instar simplicis negationis. Nec mirum est, negationem appellari provenientem à voluntate, quatenus hæc non agit. Universim enim negationes dicuntur esse à caussis, quatenus ab ipsis non efficiuntur entia illa positiva, quibus negationes opponuntur. Ita tenebræ dicuntur esse à Sole, quatenus Sol post occassum non illuminat.

Naturales autem potentiae, quæ vitales sunt, ut intellectus, tunc solum vitaliter operantur, quando actus suos efficiunt. At vero voluntas est potentia vitalis simul, & libera; & ideo exercet privative suam libertatem, etiam suspensione suorum actuum, quando posset eos efficere. Quamobrem omissione est exercitium potentiae vitalis liberæ, ut libera est. Ipsa autem potentia libera ex vi suæ libertatis ordinatur ad operandum vitaliter, & ad non operandum; nam licet nequeat operari non vitaliter, tamen potest non operari. Omissione, uti diximus, est exercitium potentiae vitalis, ut hæc libera est: ipsa autem omissione libera est, quatenus intelligitur esse tunc, quando voluntas poterat oppositum actum elicere. Neque voluntas debet operatione positiva exercere vim non operandi, sed per solam suspensionem actus idipsum præstat.

Objicies 2. Voluntas dum se exercet, libere omittendo, aliter se habet, in actu secundo, quam fuerit in actu primo, quando solum

modo poterat non omittere. Transiit etiam de contradictorio in contradictorium, quatenus de nō omitiente fit omittens. Ergo necessarius est actus positivus, qui eam mutationem causset. Nam carentia actus convenit etiam voluntati, quando voluntas intelligitur in actu primo, & adhuc indeterminata. Ergo ad omissionem necessarius est actus positivus ; adoque &c.

Respondetur, voluntatem libere omnitem aliter se habere *privative*, non *positive*, & transire de contradictorio positivo ad contradictorium privativum. Porro hoc ipsum optime intelligitur, quatenus voluntas habere dicitur privationem actus, quam prius non habebat. Etenim voluntas in actu primo abstrahebat ab ipso actu, vel omissione ejus : postea vero quando re ipsa omittit, intelligitur habere privationem illius actus, quem tunc poterat efficere.

Objicies 3. Voluntas non potest exercere suam libertatem, nisi moveatur à bono amabili, aut à malo odibili. Ergo non potest omittere sine actu positivo amoris, vel odii.

Respondetur in primis, argumentum plus probare, quam intendant Adversarii. Probat enim, voluntatem solummodo posse vim suam exercere per libertatem contrarietatis, quatenus exerceat illam vel per amorem, vel per odium, quae ad libertatem contrarietatis pertinent. Proinde corruit plane

libertas contradictionis, dum confunditur cum altera contrarietatis. Itaque antecedens illud est falsum, nam solam exprimit libertatem contrarietatis. Quamobrem voluntas exercere potest libertatem contradictionis, etiam si in objecto nulla malitia ratio appareat. Ad omissionem ergo sola sufficit voluntatis libertas.

Instabis. Assumptum illud saltem obtinet veritatem suam, ut voluntas humano modo exerceat suam libertatem. Debet enim tunc propter finem aliquem operari. Igitur quemadmodum qui humano modo agit, debet agere propter finem ; ita qui humano modo omittit, propter aliquem finem debet omittere. Ergo tunc voluntas omittens, re ipsa finem amat, cuius gratia omittit ; neque enim caussalitas finis exerceri potest in sola negatione.

Respondetur, ad agendum humano modo sèpe sufficere finem virtualem, id est, tale reperiri objectum, respectu cuius maneat in agente intentio virtualis, quæ scilicet primo operationem suam ad illud direxit, & quæ perseverare intelligitur in effectu suo. Ad voluntariam autem omissionem sat etiam est, si habeatur finis interpretatus, nec oportet, voluntatem aperte intendere finem aliquem; quamobrem ut voluntas humano more omittat, non debet necessario propositum sibi habere finem aliquem positiva operatione.

Ob-

Objicies 4. Ut voluntas libere omittat, debet semet ipsam determinare; alioquin maneret semper indifferens, nec diceretur omittens. Necessarius est adeo actus positivus, quo voluntas se ipsam determinet. Tum continua objectorum notitia fit præsens voluntati. Ergo voluntas semper trahitur ad actum positivum, etiam quando omittit. Atque adeo nunquam habetur omissione pura.

Respondet ex dictis, voluntatem determinare se se negative per suspensionem actus, quem haberet, si vellet: cum prius omnimoda gauderet indifferentia. Quamquam autem facile assentiamur, variam objectorum propositionem semper presto esse, tamen voluntas saltem aliquo brevissimo tempore abstinere potest ab omni actu, cum sit potentia libera, nec ab objecti propositione determinetur. Quod si ad actionem aliquam trahi deberet, nonne talem posset assumere, quæ non impediret actum illum, quem voluntas tunc omittit? Porro in hac hypothesi actio illa positiva non esset caussa, nec directa, nec indirecta omissionis, quia cum ea actio minime amoveat actum omissioni oppositum, non intelligitur omissionem ipsam caussare. Animadvertisimus autem, puram omissionem possibilem quidem esse, ut probavimus: ad plerumque eamdem non haberi, sed voluntatem positiva actione se determinare.

Colligate, Doctorem, in 1. dist.

47. & quæst 16. Quolib. exposere actum volendi, ut suspensio actionis voluntaria dicatur. Sed Expositores animadvertisunt, Scotum tunc accipere voluntarium pro *volito*, non autem pro *libero*. In 2. autem dist. 7. Scotus rem dubiam relinquit: ut legentibus appetat.

Quod attinet ad mores, hic de Omissione agentes dicimus, puram omissionem ad laudem reputari numquam posse subjectam tamen esse vituperationi.

Ratio primæ partis hæc est. Voluntas bona esse non potest, ac honesta, nisi ab objecti bonitate, & honestate moveatur, ut illi adhæreat. Porro nisi voluntas exerceat actum positivum, non potest objecto illi adhære, nec sane bonitas ad omissionem malicit, sed solum ad prosecutionem, & amorem: sicuti malum non movet ad odii omissionem, sed ad ipsum odium. Igitur cum id reputari ad laudem debeat, quo voluntas sit bona, & honesta, jam pura omissione ejusmodi non est, ut laudis subjectum esse queat.

Ex adverso cum ad vituperationem, & malitiā actionis quilibet defectus sufficiat, jam pura omissione talis esse potest, etiam sine positiva voluntatis actione, siquidem tunc omittat voluntas, quando deberet operari. Unde ad malitiā actionis sufficit quicunque affectus malus, etiam ineficax, etiam ille, quem interpretativum appellant. Quo in casu, etsi nullus habeatur actus, cui rectitudo in-

inesse debeat, nec insit, tamen voluntas ipsa deficit à rectitudine, quam deberet, ac posset habere per actum positivum eidem tunc præceptum.

QUÆSTIO QUINTA.

De Bonitate, vel Malitia Actus humani.
Ubi agimus.

De Legibus & præceptis agimus.

Actus humanus is est, qui ex deliberatione voluntatis procedit; nimurum ex cognitione, quam mens percipiat bonitatem, aut malitiam ejusdem actus, & ex electione, qua actum ipsum pro nostra libertate elicimus. Hinc cognitione, & electione sublata, actus non censemur humanus, nec proinde laudari potest, aut vituperio dignus reputari. Ita sane puerorum, & amentium operationes nec ad meritum, nec ad demeritum adscribuntur. Ita & motus primi appellantur quidem *actus hominis*, sed non sunt *actus humani*, quia indeliberate fiunt: ut cum ad primum iræ motum in vindictam prorrumpimus; unde & frequens excusatio est, quod primi motus non sint in nostra potestate.

Sunt adeo actiones iste involuntariae. Quippe ex ignorantia procedunt. Porro ignorantia duplex est. Una est mera inscitia, unde & ignorantia pura, ac invincibi-

lis dicitur: cum nempe adhibita ad verum assequendum diligentia quanta prudenti judicio necessaria est, veritatem minime cognoscimus. Altera ignorantia per incuriam, negligentiamve paritur: ut Aristoteles habet quando cum debet homo, & potest, studio veritatis non incumbit, sed illud negligit: ac ideo crassa, affectata, supina, plerumque vocatur. Prior illa ignorantia facit, ut actio ad bonum, aut malum reputari non debeat, quoniam tunc actio non procedit, ex electione, nec proprie est voluntaria. Posterior ex adverso non excusat; jam enim ex voluntario oritur defectu.

Actus itaque humanus bonus est, vel malus in genere moris; bonus, sit recte rationis regulis, ac præceptis congruit; si secus, malus. Jam vero ratio ostendit, bonitatem humanæ actionis ex multis duci oportere, ita ut si alterutrum eorum deficiat, & ipsa actio sit mala. Hujusmodi sunt, *Persona*, quæ operatur; *Objectum* actionis nostræ; *Locus*, in quo actio exercetur; *Auxilium*, quo operatio adjuvatur; *Finis*, cuius gratia actio fit; *Modus*, quo illa exhibetur; *Tempus*, quo agimus. Quæ omnia ad memoriam subsidium hoc versiculo comprehenduntur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Porro objectum ipsum, ceteraque

que cnumerata non sunt physice spectanda , ut ex illis actus huma-nus moraliter bonus , aut malus dici queat ; sed eadem accipere oportet, ut Legibus consona sunt, aut dissona : hinc enim moralitas ipsa profluit.

Lex autem est rationis ordinatio , homini quid agendum , quid ve non agendum est, ostendens, in commune bonum promulgata. Lex altera æterna est , quæ & naturalis dicitur : altera humana. Prior illa à Deo ducitur , posterior ab hominibus.

Naturalis Lex omnium animis à Deo Naturæ Auctore inscripta est, eamdemque vel solo conscientia testimonio cognoscimus. Unde Auctor Carminis de Providentia, inter opera S. Prosperi , sic omnes homines ad hujuscemodi Legis notitiam excitat.

*Ite ipsi in vestra penetralia mentis,
& intus
Incisos apices , ac scripta volumina cordis
Inspicite , & genitam vobiscum agnoscite legem.
Nam quis erit , modo non pecus agri,
aut bellua campi,
Qui vitius adeo stolidè oblectetur
apertis,
Ut quod agit , velit ipse pati? Mendacia falax,
Furta rapax furiosum atrox , homicida cruentum
Dannat , & in mæchum gladios
distringit adulter.*

Tom. I.

Hanc porro Legem æternam dicimus, quod eam primum in mente Dei constitutam intelligamus: naturalis autem appellatur , velut quædam impressio legis æternæ mentem nostram irradiantis. Eadem hoc ipso est omnino immutabilis. Ipsius autem præcepta ea sunt, quæ in duabus tabulis Decalogi descripta fuerunt ad ejus memoriam excitandam , pravis hominum affectibus pene deletam ; atque his versibus exprimi solent:

*Unum crede Deum , nec jures vanas per ipsum:
Sabbata sanctifices : habeas in honore parentes:
Ne sis occisor , mæchus , fur , testis iniquus:
Alterius nuptam , nec rem cupias alienam.*

Quoniam vero homines hoc evidentissimum lumen pessimis moribus videntur penè extinguere ; ideocirco necessaria fuit Lex humana, Deo ordinante constituta , & ab illius auctoritate descendens, quæ propositis peonis Legem naturalem substineret, errantes corrigeret, rebellēs comprimeret , omnes in officio contineret.

Lex adeo regula est nostrarum operationum, adeo ut harum moralitas non sit nisi coaptatio , aut commensuratio ipsarum cum ea regula , ad quam exigi debent. Quidquid ergo Lege præceptum est, aut minime vetitum, id effectum

Ggg est

est bonum : quod Lege prohibitum est , illud malum est , si efficiatur. Ita tamen ut , quemadmodum fert vulgare proloquium , *bonum sit ex integra causa : malum vero ex quocumque defectu*. Unde ut actus sit bonus in genere moris , & laude dignus , oportet , finem ipsum esse bonum , & circumstantias omnes esse consentaneas legibus , alioquin non recta ratione operaretur homo , cum recta ratio malas actionis circumstantias prohibeat ; atque hisce stantibus actionem fieri vetet. Ita nec licet malam rem assumere ob bonum finem , nec bona res esse potest , quando malo fine vitiatur.

Altera nostrarum operationum regula est Conscientia , quæ re ipsa est velut applicatio Legis , & interna cognitio ejus , quod egimus , vel acturi sumus , aut hic & nunc agendum est. Cum factum rectæ rationi consonum sensu quodam interiore judicamus : si quidem id sine culpa nostra , & invincibiliter contingat ; tunc ipsa Conscientia excusat. Si factum rationis luminis , aut Legibus adversum videatur , tunc Conscientia dicitur accusare. Hinc bene facta securitatem afferrunt Conscientiæ , qua nihil deletabilium ; at vero male acta eos laniatus , & angores Conscientiæ procreant , qui experientia magis & sensu , quam verbis explicantur. Unde Conscientia & testis , & judicis munere fungitur , cum nos de pravis actionibus reprehendit. Quo-

circa Conscientia à Lipsio , lib. 1. Politicorum cap. 5. dicitur : *Bonorum , malorumque facinorum Jūdex , & Index*. Itaque ut nostræ operationes bonæ sint in genere moris , in id homo debet incumbere , ut conscientiæ suæ judicium amplectatur : sic tamen ut seria diligentia eamdem ab erroribus præpurgaverit. Nec dubiæ adhærescat homo prudens conscientiæ ; neque tunc actioni suæ bonum esset propositum. Præcaveat etiam , ut in iis , in quibus certitudo abdita est , non commentiæ fidat se probabilitati , sed veræ , ne inanibus circumducator hominum verbis. Atque illud semper præ oculis habeat : *Non omne , quod videtur probabile , probabile est* , ut notat sapienter Philosophus , lib. 1. Topicorum , cap. 1. De Conscientia , de Legibus fuse disputant Theologi.

DISPUTATIO TERTIA.

De Virtutibus , & Vitiis.

QUÆSTIO PRIMA.

De natura Virtutum , earumque invicem connexione.

PROPRIA hominis discretio à ceteris animantibus in eo sita est , ut ille secundum virtutem vivat , & vitia devitet. Ethica proinde de virtutibus , vitiisque agit , atque nos de iis disputationem instituimus , quatenus naturalis ratio eorum

rum notitiam exponit; neque enim hic Thologi partes occupare volumus.

Virtus itaque Moralis, quam Natura inchoat, doctrina, & usus perficiunt, satis apte describitur à Tullio, lib. 4. Tuscul. Quæst. Affectio animi constans, conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, & ipsa per se sua sponte, separata etiam utilitate, laudabilis. Porro hæc ipsa virtus, animi sanitas, pulchritudo, & robur: ut vitium morbus est animi, turpitudo, & imbecillitas. Usus autem, & consuetudo merito reputatur potior virtutum caussa; Mos enim est velut summus vitæ humanæ moderator, qui majorem vim habet, cum à pueritia incipit. Ubi vero consuetudo in societatem coacta est, tum validissimam eamdem esse experimur, exemplo, pudore, æmulatione, amore gloriæ, & honestatis, stimulus, & vires addente.

Aristoteles lib. 2. Ethicorum, cap. 6. naturam Virtutis definit, dicendo: *Virtus est habitus in mediocritate consistens, quæ mediocritas ratione præfinita sit.* Permanens nimirum animæ affectio, qua homo propensus fit ad prompte, faciliter, & expedite operandum. At cum hæc affectio ratione regi debeat; hinc sequitur, habitum virtutis dici quidem posse per se, & essentialiter bonum, quia suapte natura bonum respicit, & ad bonum, velut sibi magis con-naturale, inclinat, sponteque sua

conformis petit esse rationi rectæ. Nihilo tamen minus quia homines bono etiam ad malum quandoque pessime abutuntur, iccirco evenire potest, ut quam quisque facilitatem bonæ alicujus operacionis exercendæ acquisivit, in malum convertat, seu malo fine eadem abutatur.

Quamobrem sapienter docet Scotus in 1. d. 17. quæst. 2. formallem virtutis notionem sitam esse in convenientia ipsius cum recta ratione; eumdem tamen habitum pro materiali acceptum posse ex accidenti inclinare ad malum, nam qui habitu temperantiae assuetus est moderate vivere propter honestatem, & finem bonum, potest malitia sua abuti temperantia ad finem pravum avaritiae, aut inanis gloriæ: quo in casu habitus ille suapte quidem natura in bonum inclinaret, sed abusu hominis in malum abstinentiam suam ordinantis, faciliorem nihilominus redderet vitæ moderationem, quæ tunc careret conformitate ad rectas prudentiæ regulas.

Virtutes aliæ sunt intellectuales, quæ nimirum pertinent ad intellectum; aliæ morales, quæ propriæ sunt voluntatis; atque de his potissimum impræsentiarum disserimus. Porro virtutes ejusmodi voluntati, velut subjecto, inhaerent: ut Scotus disserte probat in 3. d. 33. hæc enim est, quæ sola rationis est capax, & honestum respicit, & alias hominis facultates

tes movet; unde virtutum ope au-
fertur difficultas, quam voluntas
ipsa in bonis actibus exercendis ex-
peritur. Quamquam in parte ho-
minis animali, aut sentiente mi-
nus proprie dictas virtutes inesse
intelligamus cum Doctore citato,
quibus fit, actus ipsos sentientis
potentiae, ut subsunt voluntatis
imperio, & laude dignos esse, &
facilius exerceri.

Virtutum moralium divisio qua-
dripartita primum est in eas qua-
tuor Cardinales Virtutes omnibus
notissimas, quæ sunt Prudentia,
Justitia, Fortitudo, & Tempe-
rantia. Sed complures extant aliae,
quæ ad has quatuor, ut partes,
vel comites referuntur. Adeo ut
tot sint fere Virtutes, quot vitia.

Vitium autem cum in actione
sua aliud non sit, nisi defectus;
si consideretur ut est malus volun-
tatis habitus, rite describitur pra-
va quædam consuetudo, qua vol-
untas veluti vinculis constringitur,
adeo ut difficile admodum sit ca-
tenas, eas disrumpere, sed iisdem
potius homo præceps agatur in ma-
lum. Ergo & Vitium proprie lo-
quendo voluntati inest, etsi viti-
sitas quædam appetitui etiam sen-
sitive conveniat: quemadmodum
de Virtutibus diximus.

Quia vero adnotavimus ex Phi-
losopho, virtutem in mediocritate
consistere, medium nempe tenere
inter excessum, & defectum; iccir-
co quærimus primo, utrum id omni-
ni, & cuicunque virtuti morali

conveniat. Ejusmodi porro medium
non est rei, sed rationis, sive de-
finitum non est secundum rem ip-
sam, sed ex ratione, & prudentia:
quod Aristoteles optimo declarat
exemplo; temperantia enim non
respicit unum medium æque pro
omnibus hominibus ex natura rei
determinatum, nam pro diversa
hominis constitutione variam esse
debere cibi quantitatem manife-
stum est.

Dicimus primo, virtutem om-
nem moralem in medio consistere,
sed non eodem modo. Ita Doctor
in 1. d. 36. B.

Probatur prima pars. Omnis vir-
tus ad eos actus inclinat, in qui-
bus secundum prudentiae regulas
nulla desit circumstantia debita, nec
ulla redundet. Ergo omnes virtu-
tes morales respiciunt medium, &
in medio consistunt. Ita Pruden-
tia media est inter stultitiam, & ver-
sutiā; Fortitudo mediat inter
ignaviam, & audaciam; Tempe-
rantia inter insensibilitatem, & in-
temperantiam. Nulla autem virtus
extat, quæ medium non respiciat:
quemadmodum ex argumentorum
solutione patebit. Igitur &c.

Probatur secunda pars. Quælibet
virtus omnibus vitiis adver-
satur, quibus homo deflectere
potest à rectitudine in eo opera-
tionum genere, quod uniuscujus-
que virtus peculiare est. Virtus
enim per se se non inclinat, nisi
ad opus rectum in omni circum-
stantia. Atqui ex vitiis unum, ex.

gr.

gr. directe opponitur virtuti aliqui, aliud vero non adversatur eidem, nisi oblique. Ita excessus in cibo, & potu contrarius est temperantiae priore sensu: nimius autem defectus in cibo, & potu directe quidem opponitur charitati in se ipsum, quæ omnia prohibet vitæ sustentationi, & sanitati contraria, oblique vero etiam temperantiae adversatur, quæ moderationem prescribit justis limitibus circumscribat, ut actus revera sit bonus, & rectæ rationi conformis. E contra vero non solum ignavia, sed & audacia immoderata directe opponuntur fortitudini. Quæ omnia aliis etiam exemplis illustrari possunt. Ergo virtutes omnes, etsi medium fervent, non tamen eodem modo.

Objicies. Virtus Religionis, quæ cultum Dei præcipit, eidemque gratitudinem, & obedientiam exhibendam esse prescribit, nullum locum facit mediocritati. Neque enim quis peccare potest excessu in obsequiis illis Deo præstans; nam Deus plus semper meretur, ac possit homo operari. Humilitati quoque sola superbia opponitur. Potissimum vero Justitia non respicit objectum duabus vitiis circumscriptum per defectum, & excessum; nam si qui debet quatuor, solvat tria, utique injuste ageret, ubi vero quinque tribueret, non peccaret profecto contra justitiam, sed charitatis, vel liberalitatis actum ex-

hiberet. Igitur non omnis virtus in medio consistit.

Respondetur, virtutem Religionis mediare inter irreligiositatem, seu contemptum Dei, & superstitionem, qua indebito cultu Deus colitur. Hinc, ut animadvertisit Scotus in 3. d. 26. in sol. at 2. princ. virtus Religionis ita medium tenet, ut excessus esse possit ex parte actus, licet non ex parte objecti, dum homo, ex gr. plus æquo in eos actus intenderet, ac propriæ valetudinis ratio postulat, aut in debito tempore in illis exerceret se se, dum aliis incumbere oportet. Fatemur tamen tunc solum oblique actus illos opponi virtuti religionis. Humilitas quoque media est inter superbiam, & objectionem. Ita etiam solvens plus, quam debeat, excessu suo peccare potest tribuendo alteri, quod necessarium est propria, aut familiae sustentationi; id enim oblique opponitur justitiae.

Adnotare autem oportet, medium in ipsa etiam materia justitiae non esse medium rei, sed rationis. Nam neque præmia, nec pœna distribuenda sunt, nisi ex ratione, & prudentia; commutations quoque ex prudenti estimatione commensari debent, quæ rerum necessitatem, usum, abundantiam, tempora, & loca considerat. Hinc sequitur, medium virtutum moralium non esse quidpiam indivisibile, sed præse-

ferre latitudinem aliquam regulis prudentiæ definitam. Sequitur etiam, virtutem non opponi eodem modo vitiis hinc inde per excessum, & per defectum eidem contrariis; unde fortitudini, ex. gr. magis repugnat ignavia, quam audacia immoderata; idemque in aliis patet.

Alterum dubium, quod in hac quæstione proponimus, universim de virtutibus agentes, versatur circa earumdem virtutum moralium connexionem: Utrum nempe virtutes omni hominem statui convenientes, uti sunt quatuor cardinales, ita sint invicem connexæ, ut qui unam possidet, alias etiam necessario habere debeat? Ab ipsis enim virtutibus, quæ uni hominum statui peculiari convenient, manifestum est, alias posse separari, nam ex. gr. quæ virtutes viri religiosi sunt propriæ, non debent necessario omnibus hominibus virtute præditis convenire.

Porro virtutes in triplici gradu considerari possunt, ut Aristoteles tradit lib. 7. Ethic. c. 1. nempe in gradu continentia, in gradu temperantia, & in gradu heroico. Primus gradus habetur, cum perturbationes animi adhuc sunt vehementes, quibus tamen homo resistit, licet cum difficultate. Secundus gradus passiones paulo pacatores, immo fere sedatas supponit: ut contingit in ipsis hominibus, quos virtute præ-

ditos dicimus. Virtus tandem in gradu heroico tunc est, quando passiones ita cohibitæ sunt, & refranatae, ut raro admodum, & vix repugnant rationi.

Jam vero si virtutes priore sensu accipiuntur, experientia ipsa ostendit, eas non esse connexas. In gradu autem heroico, & summo omnem postulant excellentiam, & perfectionem possibilem, adeoque invicem connexæ sunt; nam omnes virtutes mutuum sibi præstant auxilium, & alia aliis perfectionem addunt. Hic ergo disserimus de virtutibus in secundo gradu temperantia consideratis.

Dicimus itaque secundo, virtutes morales in gradu perfecto ut plurimum esse connexas, posse tamen absolute loquendo existere separatas. Ita docet Scotus in 3. d. 36.

Probatur. Virtutes morales inter se sunt distinctæ, earumque una non pendet per se, & essentialiter ab altera, nec est illius intrinseca pars, aut proprietas. Ergo una virtus in gradu perfecto existere potest sine altera. Hinc potest quispiam exercere actus temperantia, ex. gr. aut fortitudinis, prius quam exerceat actus aliarum virtutum; proindeque comparare sibi potest habitum unius virtutis, priusquam alias acquirat. Igitur absolute loquendo potest una virtus in gradu perfecto existere sine altera. Loquimur enim hic de perfectione intrinseca & es-

sentiali virtutis, non vero de omni ejusdem perfectione possibili, etiam extrinseca, quæ virtutibus convenit in gradu heroico.

Neque dicas, virtutes omnes connecti invicem ratione prudentiæ, sine qua nulla virtus consistere potest: Ut enim optime animadvertisit Doctor loco cit. C. prudentia saltem existere potest sine virtute morali: sicuti potest haberi rectum rationis judicium, quin bona voluntatis electio illud consequatur. Deinde prudentia non est una, & indivisibilis virtus, sed vel plures habitus continet, vel saltem diversos modos extensionis habet ad varias virtutum materias, quin tamen extensio hæc necessario omnes simul respiciat.

Diximus autem, virtutes in gradu perfecto ut plurimum esse connexas; invicem enim fovent se se, atque ex coniunctione firmiores, diuturnioresque redduntur.

Objicies. Communis est. SS. Patrum assertio, virtutes omnes invicem connexas esse, unamque ex altera pendere. Quin, & Aristoteles ipse, lib. 6. Ethic. cap. 13. ajebat, simul cum prudentia virtutes omnes inesse. Et sane virtus, si perfecta est, affectum hominis exposcit ad omnes difficultates superandas, quæ ex omnibus vitiis oriri possunt. Tum virtus perfecta stabilitatem habet, hominemque moraliter bonum reddit; unde virtus illa resistere po-

test omnibus vitiis sibi contrariis etiam oblique. Igitur &c.

Respondetur ex Doctore cit. Sanctos Patres loqui de virtutibus in gradu heroico acceptis, & quatenus conferre possunt ad meritum ordinis supernaturalis. Deinde fatemur, ut plurimum virtutes esse connexas, hominemque prudentia universalis præditum, quæ eumdem dirigit in quacumque materia, aliis quoque instructum esse virtutibus: quod Aristoteles intendit. Itaque si virtutes spectentur secundum omnimodam perfectionem ipsis possibilem, extrinsecam etiam, & accidentariam, sibimet invicem conexæ sunt, atque talcm affectum inspirant, qui vitiis, & difficultatibus omnibus resistit, hominemque reddunt absolute perfectum in omni materia morali. At virtus considerata secundum suam intrinsecam, & essentialē perfectionem tantummodo, limitata est ad pugnandum contra vitia speciatim sibi contraria, & hominem bonum facit in suo ordine: tum semet ipsam tueri potest adversus oppositas sibi peculiares difficultates; id enim proprium est cuique virtuti, ut hominem dirigat in suo determinato operationum genere, ne virtutes omnes invicem confundantur, & unica potius statuantur virtus, quam plures.

QUÆSTIO SECUNDA.

*De prudentia, ejusque speciebus
& partibus.*

Prudentia, disfiniente Aristotele, lib. 6. cap. 5. est habitus vera cum ratione actius in iis, quæ sunt homini bona, vel mala moraliter. Instar enim aliarum virtutum velut habitus insidet animæ nostræ; quod intelligi, & explicari potest ex iis, quæ generatim de Habitibus diximus in fine quæstionis ultimæ Metaphysics.

Tria sunt munera Prudentiæ: nimirum bona consultatio de iis, quæ agenda sunt; rectum judicium, quo quidpiam agendum, vel fugiendum esse censemus; & sententia, seu imperium, quo res illa executioni tradi jubetur. Prudentis est ergo media ad finem utilia excutere, ut iis expensis intelligi possit, quod ex ipsis sit optimum. Prudentis est ex ratione bene instituta operari, bonis uti mediis, & contra improborum conatus se munire. Prudentis est ad praxim reducere, quæ bona visa sunt, & agenda: eademque constanter exerci.

Octo velut integrales Prudentiæ partes recensentur, *Memoria*, *Intelligentia*, *Providentia*, *Ratio*, *Docilitas*, *Solertia*, seu *Sagacitas*, *Circumspectio*, *Cautio*. Tot enim animi dispositiones requiruntur ad

recte consultandum, judicandum, & præcipiendum de rebus extensis, aut fugiendis. *Memoria* res præteritas recolimus. *Intelligentia* tenemus res præsentes, & principia moralia. *Providentia* prospici mus res futuras. *Ratione* colligimus ex variis præcognitis præteritorum, præsentium, & futurorum, quid factu sit optimum. *Docilitate*, bono mentis affectu ad aliorum monita, & consilia excipienda comparamus. *Solertia* faciliter exequitur, & applicat media ad finem ducentia, quæ *Sagacitas* facile invenit, & excogitat. *Circumspectio* adjunctas gerendæ rei circumstantias diligenter considerat. *Cautio* denique ea impedimenta, quæ obesse possunt, declinat, vel removet. Et iis quidem animi dotibus comparatur Vir Prudens, sed *Providentia* potissimum necessaria est, qualiscumque ea sit, quæ nobis conceditur; ne in illud labamur, *Non putaram*.

Species Prudentiæ tres sunt, quæ extrinsecus tantum, & ratione objecti distinguuntur; *Monastica*, qua quis se ipsum dirigit; *Oeconomica*, qua quis regit familiam; *Politica*, quæ dirit Rempublicam. Quo etiam pertinet *Nomothethica*, seu legem conditrix; & *Dicastica*, seu judicatrix. Docet autem Philosophus lib. 6. c. 8. præcipuum Prudentiæ speciem esse illam, qua sibi, suisque rebus quis prospicit.

Infinita porro principia in id plu-

plurimum conserunt, è quibus pauca juvat seligere. Primum igitur illud est omnium ore contritum. *Nosce te ipsum.* Quisque enim debet vires suas, facultates, defectus, & alia, quæ ad se pertinent, omnino perfecta habere, ut ea assumat peragenda, quibus explendis par esse queat. *Præcaveat etiam homo,* ne temere ad certum vitæ genus adjiciat se se; verum in id maxime intentus matura deliberatione contendat, & si quando etatis infirmitas difficultatem adauget, seniorum, & sapientium consilium adhibeat. Sit nobis rectus ad agendum si is propositus, circumstantiae omnes bona. Modus denique adhibetur, quo fiat, ut nec excessu, nec defectu peccemus, nam virtus inter utrumque est. Nihil temere aggrediatur homo; nihil, cuius caussam probabilem reddere non possit. Nihil ergo ex præcipitatione judicii, aut ex affectus perturbatione agendum. Discernere etiam oportet conditionem variam eorum, quæ agenda sunt, nam alia cito exequi postulant, in aliis procrastinatione opus est. Tendendi quoque sunt mores eorum, quibuscum agimus, nempe eorum iugentia, fines, actiones, studia oportet habere perspecta. Quod quidem ex vultu, ore, gestu, oculis, sermonibus, possumus colligere. Vix enim quisquam ita dissimulato est animo, quin aliquando se ex motibus oculorum, aut gestu, aut verbis prodat; unde

Tom. I.

illud celebre: *Loquere, ut te videam.*

Postremo de Vitiis agendum est, quæ speciatim Prudentiæ opponuntur, vel excessu, vel defectu. Quæ per excessum Prudentiæ adversantur sunt. I. *Prudentia carnis*, quæ nimirum finem in bonis corporis constituit, sive quæ in explendis naturæ corruptæ desideriis studiosus occupatur. II. *Nimia bonorum temporalium sollicitudo*, quæ ex immoderato habendi amore, vel amittendi timore exoritur; unde virtutes animi, & spiritualia bona negliguntur. III. *Astatia seu Calliditas*, aut *Versutia*, cum scilicet perversæ excogitantur rationes ad finem obtainendum, & maxime ad alios decipiendos. Quod quidem si dictis tantum fiat, *dolus* dicitur; si factis exhibeatur, *fraudis* nomen habet. Per defectum vero Prudentiæ opponitur *Imprudentia*: hoc est *Prudentia carentia*, quæ sèpius ex ignorantia profluit. Tunc autem, ut ipsa Ignoratio digna est vituperatione, aut *venia*, ita & *Imprudentia*. Multiplex porro est, nempe *Præcipitatio*, *Inconsideratio*, *Inconstantia*, *Negligentia*. *Præcipitatio* bonam consultationem lædit; opus enim tunc quis aggreditur sine sufficienti deliberatione. *Inconsideratio* vitium est, quo temere, & rebus non satis diligenter inspectis, ad finem consequendum media misus apta seliguntur; unde recto iudicio adversatur. *Inconstantia* est

Hhh sen-

sententia mutatio ob nullam , vel levem caussam. Hæc imperium offendit : quemadmodum & Negligentia , quæ est omissio diligentia in rei constitutæ executione urgenda. Hæc igitur vitare Prudentis est.

QUÆSTIO TERTIA.

De Justitia, & Virtutibus eidem annexis.

Justitia virtus est, quæ hominem perficit, ut ad alios comparatur; & rite dicitur *constans*, ac *perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*. Duo sunt, quibus omnis Justitiae actus continetur, *bonum facere*, & à malo deflectere; quæ quidem hic ita accipiuntur, ut actio ad eos referatur, quibuscum societate conjungimus, ne cui damnum inferamus, & illatum resarciamus.

Justitia duplex est, *Distributiva*, & *Commutativa*. Illa præmium, & pœnam pro meritis, & conditione personarum distribuit; unde cum reos punit, *Vindex nominatur*. Ista in commutationibus bonorum, in contrahibis, & conventis versatur. Utique æqualitatem servat. Sed prior *geometricam* exposcit proportionem, habitu nimirum personarum ratione, & juxta prudentem hominum existimationem. Posterior vero proportionem postulat *arithmetican*, sive æquili-

tatem ipsa dati, & accepti, semper tamen habita ratione loci & temporis, aliarumve circumstantiarum, ut in prima quæstione diximus. In distributiva proinde justitia comparandæ sunt res cum personis, ex qua comparatione oritur geometrica proportio; in commutativa vero justitia res inter se comparantur, nempe res accepta cum re debita, seu reddenda, unde nascitur arithmeticæ proportio.

Quærit Aristoteles lib. 5. *Utrum volenti fieri possit injuria*, & *Utrum gravius sit pati injuriam, an facere?* Quæ duo facile expenduntur. Et primum quidem negative dissolvimus: Quippe legitima potestas cujusque, aut jus, est illius voluntas, qua suum petit; Quapropter injuria non est, quando volens quis eam patitur; etsi injustitiam sponte quis pati possit. Alterius hæc est solutio: Qui injuriam patitur, vitiosus, & injustus non est; Qui injuriam facit, is vitiosus est, & injustus: Ergo iste deterior illo est in ordine morali.

Contra justitiam peccare potest homo, vel excessu, vel defectu: quorum utroque fit injustus. Nempe cum plus æquo uni tribuitur, quam meritum ejus exposcat; vel cum debitum minime redditur meritis. Quæ quidem per se se sunt apertissima. *Equum enim, quo justitia omnis continetur, quasi æquale nominatur.*

Plurimæ Virtutes adnectuntur Ju-

Justitiæ , ac partes potentiales illius habentur , ut iis veluti facultatibus, aut organis actus suos Justitia exerceat. Sunt autem , quæ sequuntur.

Religio in Deum , de quæ fuse ex Divino Fidei lumine Theologi disserunt , vel ipsa ratione naturali innotescit, ut actus justitiæ , quem Supremo Numini homo debet. Ea enim ratio , quæ Deum demonstrat , ut primam omnium causam, ostendit etiam, Deum esse à nobis diligendum , ut omnium, quæ habemus , Auctorem ; exhibendamque ei venerationem, tanquam Domino : & gratos nos illi esse debere, ut liberalissimo tot bonorum largitori ; nec interiori tantum affectu hæc à nobis esse præstata, verum siquid possumus, exteriore etiam cultu , ac Religione oportere nos eadem illa profiteri : legemque adeo illius impressam cordibus nostris omnino esse servadam.

At infirma , & imbecilla humanae mentis acies, etsi hæc ipsa amplectenda esse cognoscat, & fateatur , impar tamen est iis explendif, si Divino Fidei Lumine sit destituta ; & pene caligat , dum tot, ac tam varias Religionis species in universo Orbe contuetur. Quamobrem opera præmium est nonnihil exponere , quo compertum fiat, Christianam Religionem unam esse ex omnibus, quæ cum recta ratione , & vera sapientia consentiat.

In Christiana Religione proponitur Summa Dei Unitas , quam

ipsa evincit Ratio. Unde vel in ipsis Idolatriæ tenebris si qui paulo supra ceteros ratione prædicti fuerit, Deorum pluralitatem esse impossibilem agnoverunt , nec Idola Deos esse arbitrati sunt: ut Seneca , quemadmodum ait S. Augustinus lib. 6. de Civ. Dei , cap. 10. ut Cicero , sicuti scribit Lactantius lib. 2. Divinarum Institutionum, cap. 3. Perversissimum porro Idolatriæ tempore fuisse religionis cultum Seneca, aliquique commemorant , unde mirum non est, praxa adeo morum documenta ex illo defluxisse, ut omnia, quæ naturali legi adversantur , eadem illa Gentiles approbarent.

At è converso Christiana Religio purissima in suis tribus est, Deum unum prædicat , ac tales præ se fert morum regulam , qualiter suis insculptam cordibus facile perspiciunt omnes. In ea utique plurima mysteria proponuntur , quorum vis omnem mentis nostræ captum longissime superat. Sed hinc potius summa Dei dignitas apparet , ut cujusmodi ille sit , nobis maneat occultum , longeque sit præstantior natura sua, quam acies nostra possit contendere. Talem enim decet esse Deum, quem nos ideis nostris perscrutari nequaquam valeamus, ut subinde quæ inscrutabilia sunt , admirationem hoc ipso quod exprimunt nostram, Deo digna esse fateamur.

Cum vero Christiana Religio longe lateque per Orbem promul-

gata , & approbata tunc fuerit, quando & idololatriæ furor dominabatur, & sæculi Potestates eamdem rejiciebant, ipsiusque Sectatores acerrimis divexabant suppliciis , & vitiorum omnium illuvies Mundum occupabat; hinc liquido apparet ejusdem Religio-nis veritas , quam miracula demonstrarunt. Etenim , ut invicte ratiocinatur Subtilis Doctor , aut miracula Christianorum vera sunt, aut sunt falsa? Si vera; credant ergo homines , hanc unam esse veram fidem , quam Dei potestas mirabilibus commendat operibus. At si miracula falsa sunt; quomodo creditit Universus Orbis? Stupidus sane sit , oportet , quam ista ratiocinatio non commovet. Non jam armis, violentia , carnisque voluptate Religio ista originem , aut propagationem obtinuit suam: quemadmodum impia illa Secta Mahumetis , qui diu prædo , semper muliebrosus , à suis etiam prædicatur. Christianæ autem Religionis Promulgatores, ut naturali eloquentia , aliisque scientiis minime erant instructi, nec mundi hujus auctoritate pollebant , aut vi , ita omni erant animi virtute ornati , simplices , & humiles. Quæ omnia Deum illius Auctorem aperte demonstrant.

Pietas in Parentes est virtus, qua officium servamus erga Patriam , Parentes , & alios , quorum meritis paria referre non possumus. Nulla itaque , post debi-

tum Deo honorem , major urget nos obligatio , quam ea , quæ parentibus nos addicit : cum aliis quidem possimus debere alia , at nosmetipsos parentibus debeamus. Quo fit, ut maxime secundum na-turam sit , amare parentes , iisdem opitulari , eos venerari , ac revereri , tum eximio animi sen-su , quo illos maximi ducamus, quasi nostrum auctores , ac Dei vices in nos gerentes , tum ipso quoque cultu externo , quo tes-tatum faciamus , qua illos digni-tate eminere supra nos agnosca-mus. In istis tamen modus adhibendus est , ut nempe , etsi non debeant filii sinistram paterno imperio interpretationem adhibere , nihilominus si Parentes forte quid jubeant , quod adversus Deum , adversus Patriam , adver-sus fas , & æquum sit , parere ne-quaquam debeant filii , semper tamen ea , quæ maxime decet, utentes moderatione. Pietas autem in Patriam tanta esse debet, ut ipsa parentibus etiam charior habenda sit: ut sæpe ostendit Cice-ro , præsertim lib. 1. Officiorum.

Observantia in Majores his suc-cedit , per quam , ut ait Cicero l. 2. de Inventione , homines digni-tate , atate , sapientia anteceden-tes reveremur , & colimus. Primum itaque illis est habendus honor, qui in Republica principatum tenent, quorum est adeo cura generalis , & utilitati omnium destinata. Adole-stentis præsertim est (addit Tul-lius

lius lib. 1. Offic.) *majores natura vereri, exque iis diligere optimos, & probatissimos, quorum consilio, atque auctoritate nitatur. Inequalis enim etatis insitia. Senum constituenda, & regenda prudentia est.* Quibus in Senibus tum sapientia, tum senectus ipsa venerationi est, quæ & consilio, prudentiaque pollet, & bænae actæ vitæ gloria commendatur.

— *Veritas, seu Veracitas, aut Sinceritas virtus est, qua damus operam, ne quid à nobis enuntietur aliter, quam sit, vel fuerit, vel futurum sit.* De hac sic loquitur idem Tullius loco cit. *Fundamentum est justitia, Fides, idest dictorum, conventionumque constans, & veritas.* Idque adeo necessarium putat, et etiam cum hoste servandam jure meritoque velit. Quamobrem in omnibus negotiis gerendis veritate, seu sinceritate uti nos oportet, tum quod infirmitatis est alios decipere, tum quod nihil sit homini indignius.

Gratia, seu Gratitudo, dicitur, quæ amicitarum, & officiorum alterius memoriam, & remunerandi voluntatem continet. Hæc hominibus omnino necessaria est, ne animantibus ipsis deteriores fiant, quæ & sentire beneficia, & reddere suo modo vindentur. Quod si ille, qui beneficium accepit, par reddere nequam possit, gratus tamen semper esse debet, ac potest, & animo æquare, quod facultatibus non

valet. Immo vero, ut animadvertis Cicero in oratione de Provinciis Consularibus, *non is solum gratus esse debet, qui accepit beneficium, verum etiam is, cui potestas accipiendi fuit.* Bona etenim voluntate oportet beneficium metiri. Nihilominus non raro contigit, homines usque ad eo à justitia desciscere, ut malum pro bono reddant, & qui grati ope- re, aut saltem bona voluntate esse debent, ingratissimos se ostendant: in quo deteriores sunt bellicos ipsis, quæ, quoad ipsis licet, simplicia edunt gratitudinis signa. Sed vitium hoc execrandum omnibus est, ut merito dixerit Quintilianus, declamatione 9. *Maximum omnium vitiorum signum est ingratitudo.*

Vindicatio est virtus propria Principibus, ac Magistratibus, qui pro cuiusque delicto penas constituant, ut quos virtutis amore malo non retrahit, subeunda periculum penæ ab illo patrando avertat. Virtus hæc privatis hominibus non convenit, unde in istis vindicatio injuriæ non virtus est, sed vitium. Et quidem nos Christiani maximè erudimur, etiam inimicos esse diligendos, ac bene facere oppondere iis etiam, qui oderunt nos. Qua in re Cartesium claris suis, distinctisque ideis crassius errasse, animadvertis Petrus Daniel Huetius, in Censura Philosophiae Cartesianæ, c. 8. dum nempe, ep. 105. partis 2. caussam hujuscemodi

ni præcepti hanc esse disseruit, ut natura hominum in vindictam propria, dum in contrariam trahitur partem facilius ad æquanimitatem, & bonitatem flectatur: quemadmodum curbum bacillum si quis vellit dirigere, in oppositam partem contorquet. Quasi vero bonitas illa, & beneficentia in maleficos, & inimicos, non per se, & propter se expetenda sit, sed tantum ne in exigenda vindicta modum justitiae transgrediamur.

Liberalitas est virtus, quæ circa pecunias dandas, & accipiens mediocritatem tuerit. Diferre dicitur à *Beneficentia*, quod hæc in quorumcumque bonorum, illa in pecunie tantum largitione sita. Et adeo *Liberalitas* medium inter avaritiam, seu parcitatem nimiam, & prodigalitatem, seu nimiam profusionem. Quamquam cum plerumque extremonum unum magis opponatur ipsi medio, quam alterum, avaritia majorem cum *Liberalitate* oppositionem, quam prodigalitas, habeat. Unde Aristoteles, l. 4. c. 3. deteriorem prodigo avarum arbitratur; & quia prodigus revocari facile satis ad sanitatem valet, seu illum maturior ætas corrigat, seu inopia cogat: avarus autem ætatis progressu avarior evadit, & divitiarum cumulatio ipsi quasi hydrops non illarum sitim extinguit, sed auget. Animadvertis autem Philosophus, c. 1. lib. 4. cit. *Liberalitatem* magis in lar-

giendo iis, quibus est largendum quam in accipiendo, à quibus est accipiendo, aut non accipiendo, à quibus accipendum non est, versari; quia *virtutis magis proprium est bene facere, quam beneficium accipere.*

Tres porro cautions ad *Beneficentiam*, seu *Liberalitatem* necessarias expendit Cicero l. 1. Offic. Earum prima est: *Ne ob sit benignitas, & iis ipsius, quibus benigne videbitur fieri, & ceteris.* Pernitiosi enim Assentatoris id potius est. Altera: *Ne major sit benignitas, quam facultas.* Alioquin qui largitur, aut aliena raperet, aut non sibi satis consuleret. Tertia: *Ut beneficium non sine delectu tribuatur;* ne apud malos, atque adeo indignos, beneficium collocetur.

At cum, Seneca auctore, lib. 1. de *Beneficiis* cap. 5. multum intersit inter materiam *beneficii*, & *beneficium*, quoniam non aurum, non argentum, non quidpiam tale, *beneficium* est, sed ipsa tribuēntis voluntas: Iccirco *beneficia* gratuito animo, ac pleno corde tribuenda sunt, nec preces diu sunt exigendæ, sed cito domum elargiri oportet. Alias jam meritum *beneficii* amisisimus, quod quasi distorta, & coacta voluntate exprimitur, non donatur. Porro vitium hoc plerosque privatos afficit homines, sed in eos etiam sæpe cadit, qui dignitate ceteris præcellunt: ut nimirum deturpent, si quod exhibent aliis bonum

num, & quod dulce per se se videretur, amarum efficiant; nec tanti habendum sit ab eis adeptum bonum, quanti judicatur merito non bene affecta voluntas tribuentis. Quo fit, ut qui beneficio parare sibi amicos poterat; dum malo animo bonum concedit, suboffensos, & adversantes sibi pariat.

Amicitia, de qua egregium librum Cicero conscripsit nihil aliud est, nisi omnium divinarum, humanarumque rerum, cum benevolentia, & charitate, summa consensio; sive omnium rerum, consiliorum, & voluntatum, sine ulla exceptione, communitas. Quo fit, ut ex amicitia profluat maxima delectatio. Quid enim dulcius, quam habere, quocum omnia audias sic loqui, ut tecum? *Quis esse tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis, aque actu ipse, gauderet?* *Adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret.* Ergo qui tantum bonum aut parvi faciunt, aut etiam contemnendum putant, ii profecto rem ipsam non satis intelligunt, & neferendi sunt quidem. Amicitiae autem origo ex virtute ducitur, qua sola fidelitas, diuturnitas, & stabilitas amicitiae constare potest, & vera animi delectatio. Quo fit umbram, & nomen amicitiae immetito sibi vindicare quorumdam societas, qui vel utilitate, vel voluptate moventur.

Ergo vera amicitia nisi inter bonos non est, virtuti tamquam solido innixa fundamento: ut morum honestas, & similitudo sit perpetuum vinculum amicitiae. Quamobrem oportet studium omnne conferre in amicis eligendis, ut qui boni, virtuteque prædicti sunt, assumantur.

Leges porro Amicitiae ha sunt. Prima, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati, sive ut ab amicis honesta petamus, & amicorum caussa honesta faciamus. Id autem non de ea tantum honestate intelligendum arbitramur, quæ turpitudini adversa virtus est, sed sic interpretandum ducimus, ut honestas etiam commodi utilitatem, similiaque alia complectatur, nec ab amicis quidpiam detrahamus, nisi quod sponte offertur. Altera lex. Oportet amicum suspiciosum non esse. Nam qui suspiciosus est, semper aliquid existimat ab amico esse violatum, ejusdemque suspicio omnia perturbat. Tertia ut amicitia ordinata sit, sed amor à se ipso incipiat; alioquin perturbatio vitae, & officiorum consequetur. Quarta. Absit fictio omnis, aut simulatio: quæ probum, ingenuumque virum dedecent. Quinta. Sermonum, morumque suavitas omnia moderetur. Sexta. Caussæ suspiciorum, offendionumque tum evitentur, tum ferantur, & veritas in amicitia, ac fides retineatur. Sæpe enim amici & monendi sunt, & objurgandi: quod amice accipiendum est

est, cum sit benevolus. Quæ vero sint amicitiae officia, ex dictis apparet. Quippe, ut dicitur: *Amicus est alter ego.* Quamobrem debet sic cum illo Amicus agere, ac si secum ageret. Modus tamen servandus est, ut amicitia inter inimicitiam, & adulacionem media intercedat. Illud ergo ratum fixumque maneat: *Amici usque ad aras;* ne videlicet amicitiae causa, à rectitudine, & justitia deflectamus. Amicitia æqualitatem supponit, non tamen officiorum, aut ingenii, aut dignitatis, sed æqualitatem, & similitudinem morum, unde amicitia originem trahit: ut diximus. Qui plura desiderat, Circeronem adeat loco citato.

Affabilitas in rebus seriis, *Urbanitas* in jocosis, sunt virtutes, quæ amicitiam comitantur. *Affabilitas* vulgo dicitur virtus, qua quis in convinctu, & vita consuetudine facilem se, ut decet, exhibere studet. Huic opponitur *Morositas*, seu asperitas in congressu, & conversatione. Ab hac virtute non multum distat *Urbanitas*, quæ appellari potest comitas quædam, ore, & gestis expressa: & hæc virtus societati humanæ est maxime necessaria. Proinde derisores, detractores, rixosi, dolosi, susurrones ab hisce virtutibus longissime distant; immo eas gravissime lèdunt, & vita tranquilitatem turbant, dum iurgia fovent, contentiones excitant, & temerariis judiciis omnia repleant.

QUÆSTIO QUARTA.

De Fortitudine, & ipsius objecto.

Fortitudo ab Aristotele lib. 3. cap. 6. dicitur *Mediocritas inter timorem & presidentiam constituta.* Nempe Fortitudo est invicta animi firmitas, sed non inconsulta, ut timorem expellat, & audaciam devitet. Sunt autem duo fortitudinis munera, viriliter aggredi, & constanter sustinere. Sed utrumque consulto præstat, alioquin ferina esset, & temeritas potius diceretur. Unde virtus illa oriatur quidem à natura, sed doctrina perficitur.

Quamobrem objectum fortitudinis, ut tradit Scotus in 3. dist. 34. sunt mala advenientia, vel ea ferendo, vel ea propulsando, prout recta ratio id bonum esse ostendit, propter honestatem, quæ in iis ferendis, aut propulsandis apparere ex natura sua, non quatenus ordinantur ad aliud bonum alterius virtutis proprium. Respicit autem fortitudo ea mala, quæ hominem privant bonis, quibus recte ac licite uti possit. Inde igitur apparet proprium fortitudinis objectum, quod ab alterum Virtutum objecto secernitur.

Partes Fortitudinis quatuor recensentur: *Fiducia, Magnificentia, Patientia, Perseverantia.* *Fiducia,* seu *Fidentio*, Ciceroni, lib. 2. de

In-

Inventione, est, per quam magnis, & honestis in rebus, multum ipse animus in se fiducia certa cum spe collocavit. Magnificentia est, rerum magnarum, & excelsarum cum animi ampla quadam, & splendida propositione agitatio; atque administratio. Quæ si ad effundendam pecuniam referatur non admodum distat à liberalitate. Pacientia est, honestatis, aut utilitatis causa rerum arduarum, ac difficultum voluntaria, & diuturna percessio. Perseverantia est, in ratione bene considerata stabilis, & perpetua permanens.

Ex muneribus porro Fortitudinis nobilis est sustinere, quam aggredi. Qui enim aggreditur, cum eo pugnat, quem velut inferiorem respicit. Qui vero alterius impetum sustinet, cum eo agit, quem ut valentiorem spectat. Elucescit etiam magis Fortitudo in repentinis; tunc quippe necesse est virtutis hujus habitum magis esse obsignum. Quamquam, ut supra diximus, Sapientis sit futura prospicere, ac se se adversus ea præmunire, quæ possunt accidere. Itaque fortis est animi viriliter, & constanter mala perferre, quæ nobis accident. Unde crassus rejicitur Stoicorum error, qui fortitudinis esse dicebant mortem sibi ultro inferre. Etenim, ut rectissime docet Aristoteles, lib. 3. cap. II. Mori ob inopiam, amorem, aut aliud molestum, non fortis viri, sed timidi est; Mollitie nimirum

Tom. I.

est ea defungere, quæ percessu sunt difficultia.

Vitia fortitudini adversantia sunt, Superbia, seu nimia animi elatio; nec non & Pusillanimitas, seu animi dejectio.

QUÆSTIO QUINTA.

De Temperantia, ejusque speciebus & partibus.

Temperantia saepe generatim pro omni moderatione animi usurpatetur, sed præssius ad rem nostram dicitur à Tullio, lib. 2. de Inventione, rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus, animi firma, & moderata dominatio.

Temperantiae species sunt, Abstinencia in cibo moderando; Sobrietas in potu; Castitas à voluptatibus illicitis: Pudicitia, quæ ab omni aspectu, & tactu impudico abstinet. Itaque etsi pro conditione ætatis, regionis, & status corporis, cibus, & potus sumendus sit; cendum tamen est, ne in hoc ipso peccemus quantitate, aut qualitate: ne plusquam opus sit ad famem, sitimque exsplendam sumamus. Castitatis porro maximum munimentum est abstinencia ipsa, & sobrietas, unde illud perulgatum: *Sine Cerere, & Bucto friget Venus.* In id ipsum confert occupatio quædam liberalis, & seria namque & illud verum est: *Otia si tollas, periire Cupidinis arcus.* Assuescat etiam homo adversanti cupiditatii

lui

re-

resistere, eamdemque vincere: quod eo facilius erit, si pudicitiae leges servet, quæ custos quasi quædam castitatis haberi potest. *Pudicitia* enim dicta est à *Pudore*, qui perturbatio est animi de iis, quæ decus inferre videntur. Quibus consentanea est *Verecundia*, sive fuga turpitudinis ex Intemperantia consequentis; & *Honestas*, seu prosecutio decori in actibus Temperantiae maxime elucens. Unde merito Tullius, lib. 1. Officiorum, Cynicos redarguit, qui adversus Verecundiam plurima disputabant; & addit: *Nos autem naturam sequimur; & ab omni, quod abhorrat ab ipsa oculorum, auriumque comprobatione, fugiamus: status, incessus, sessio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum.*

Partes potentiales Temperantiae sunt: *Mansuetudo*, *Clementia*, *Misericordia*, *Modestia*. *Mansuetudo* ad Temperantian revocatur, quatenus moderatur iram, eamque compescit. *Clementia*, apud Senecam, lib. 2. de Clementia, cap. 3. dicitur *temperantia animi in potestate ulciscendi, & lenitas Superioris erga inferiorem in constitueris pénis*. *Mansuetudo* itaque iram regit, quæ maxima est passio humani animi, adeo ut nec in iis, quidem, quorum est improbos castigare locum ira habere debeat. *Clementia* porro omnes quidem homines decet, sed Principes Viros maxime amabiles efficit. *Misericordia*

est Clementie affinis, affectumque humanitatis præ se fert, quo aliis auxilium præstamus, & gratiam. *Modestia* in negletu honoris, aut immeriti, aut affectati sita est; si ve potius sic latius accipitur, ut ea sit virtus, quæ internos, externosque animi motus intra debitum modum continet. Hæc facit animum suis esse contentum, & ut internas, sic etiam externas hominis affectiones componit: quo nihil est amabilius; nam & ipsa modestia, quæ ab anima in corpus, à corde in faciem se effundit, magnum est virtutis ornamentum: cum dignitas oris, frons serena, æquabilis modestia sint fœtus solidæ virtutis.

QUÆSTIO SEXTA.

De Vitiis.

CUM Vitium; ut in prima quæstione diximus, sit prava consuetudo male agendi, tot dubio procul erunt vitiorum genera, quot enumeravimus virtutes, quibus vitia adversantur, atque hæc ipsa satis intelligi, explicarique poterunt ex virtutum descriptione; quod enim istis perficitur, id vitio tollitur: & quot modis virtus ad bonum disponit, tot ex adverso vitium animam nostram ad malum inclinat, & deflectit.

Stoici arbitrabantur, vitia omnia æquali omnino esse, ut pari singula constarent malitia, seu de-

for-

formitate , qua virtus , & honestatis privationem præ se ferunt , & iisdem opponuntur. Quo ferme modo tenebræ lucis privationem eamdem dicunt , & mors corporis parentiam vita prorsus indivisam , & æqualem : quacumque tandem ex caussa , & principio mors ipsa , & tenebræ deriventur. Nam si verum vero majus non est nec falsum falso majus erit. Ita nec fraudus fraude , nec peccato peccatum. Idem de virtutibus disserebant.

At contra Peripatetici optime tueantur , vicia inæqualia esse , ut & virtutes ipsa. Id vero non opus est confirmare , cum vanum illud Stoicorum commentum vel ipsa cuique ingenita ratio demonstraret. Quamquam enim vitiosi homines à virtute recedant , non tamen eodem modo , cum & ab objectis , & à fine , & à circumstantiis bonitas , vel malitia actus humani repetenda sit , ut in 2. disp. docuimus , atque inter virtutes una sit altera excellentior , ut Religio omnibus eminet , quæ præstantissimum omnium objectum habet , nempe Deum ; una etiam sit altera utilior , ut Justitia , & Misericordia , & si quæ aliae aut in publicum bonum cedunt , aut pro tempore , & loco ampliora emolumenta exhibent. Ergo ipsa rectitudinis privatio , et si per se se indivisibilis sit , gravior , aut levior intelligi potest ex positivo , cui directe adversatur ; & cum sæpe unum vitium pluribus

opponatur virtutibus , multiplice que subinde præ se ferat rectitudinem privationes , iccirco unum vitium altero deformius , ac turpius esse oportet. Quod in allatis exemplis locum non obtinet , cum veritas ex. gr. omnino individua sit , ut sæpe docuimus. Quamobrem Stoicos merito insectetur Tullius tum in libris Finium , tum in Paradoxis , & alibi sæpe , eorumque absurdissima refellit commenta , velut (ut inquit in or. pro L. Murena) cum ajebat , non minus delinquere eum , qui gallum gallinaceum , cum opus non fuerit , quam eum , qui Patrem suffocaverit. Ex qua impia doctrina illud quoque consecrarium est , omnem semel vitiosis peccandi viam aperiri , quod nihil deterriores efficiantur , quæcumque demum detestabilia , & horrenda flatitia perpetraverint.

Catholica Fide erudimur vitorum , seu peccatorum hanc esse pri-
mam distributionem , ut aliud sit *Originale* , quod à primo Parente Adamo perpetratum singulos homines infecit ; aliud *Personale* , seu *actuale* , quod propria cujusque voluntate committitur. Istud dividitur in *mortale* , & *veniale*. De quibus omnibus Theologi late dis-
putant : quemadmodum & de pec-
cato *commissionis* , tum de peccato
omissionis : Quorum nos dispu-
tationes in præsenti non assumi-
mus.

DISPUTATIO QUARTA.

De Affectibus Animi.

QUÆSTIO PRIMA.

*De natura, caussis, & subiecto
Affectionum.*

Affectus humanos, seu Passiones animi Ethica contemplatur, quatenus eos dirigere valet à malo retrahere, & ad bonum ordinare. Quod quidem obtineri poterit, si rectus libertatis usus servetur, legum præcepta impleantur, virtutisque, & honestatis ratio in omnibus habeatur. Quamobrem ex hucusque dictis ea apparent principia quibus affectiones animi debent ordinari.

Anima hominis est in ipso principium ratiocinandi, sentiendi, & vegetandi; sed ut prior illa operatio, spiritualis cum sit, non exercetur instrumento corporeo, ita sensationes, vegetationesque à corpore, velut ab organo, pendent: atque ad sensationes speciatim sanguinis, & spirituum animalium commotio concurrit: quæ omnia declarabimus in 3. Physics parte.

Affectus itaque, seu Passiones animi ad appetitum hominis sentientem referuntur, ejusdemque motus quidem esse intelliguntur à spirituum animalium, sanguinis, & cordis commotione roborati, atque ex boni, vel mali sensibilis

imaginatione excitati. Experientia autem ostendit in nobis extare affectus etiam sine voluntatis imperio, immo eadem voluntate sæpe relutante; Proindeque ejusmodi motus non sunt voluntarii, & liberi, sed omnino naturales. Et quamquam anima sit effectrix caussa motionum omnium, quæ in corpore contingunt, eam tamen spirituum, sanguinis, & cordis commotionem non procreat libertate sua, vel cognitione, sed caussa ejusdem est mere naturalis. Ubi enim anima corpori conjuncta est, illius conservationi, & saluti suæ natura consulit, atque ad semet ipsam pertinere arbitratur ea, quæ corpus afficiunt.

Hinc fit, ut illa, quæ appetitui sensitivo consentanea sunt, voluptatem, procreent; quæ autem appetitui adversantur, dolorem efficiant. Porro cupiditas dolorem omnem, ipsiusque caussam amovere conatur; & eo vehementior est, quo magis naturæ interest, ut dolor arceatur. In ipsa autem doloris amotione voluptatem experimur; tunc enim appetitus finem suum assequitur, ut facile, ac perfecte juxta naturæ suæ conditionem operetur.

Affectus etiam ab imaginatione, seu interno sensu proficiunt comperitum est, quando nimur ex externa objecta ejusmodi impressionem interiori sensui faciunt, quæ boni, aut mali notam aliquam præse ferat; Unde fit, ut anima ipsa

com-

commovetur, & cordis subinde, sanguinis, ac spirituum animalium agitatio excitetur: in quo sane potissimum sita est, affectus, seu passionis natura.

Quamvis autem nulla in nobis contingat animæ operatio, nisi comes eidem sit aliqua spirituum in cerebro agitatio, quoniam anima pro statu isto, à corpore pendet; tamen spiritum, sanguinis, & cordis commotio, quæ affectum propria est, eosque à voluntatis actione, & assensationibus discernit, turbulentia, & vehementior est non vero placida, & tranquilla: atque anima vix potest eos spirituum motus componere, & sanguinis æstunt sedare.

Affectum itaque effectrices caussæ sunt externa objecta, quæ variis impressionibus cerebrum afficiunt, unde diversa rerum excitatur idea, & perceptio, seu opinio boni, aut mali, proindeque ex hac oritur cordis, sanguinis, ac spirituum animalium vehemens agitatio, quæ diversa itidem in hominibus est pro varia temperamenti dispositione, cerebri strutura, sexus etiam, & ætatis conditione. Hinc in maturiori ætate homo non adeo irritatur passionibus, & sanguinis, ac spirituum commotio pacatior est, & placidior:

Eo autem fine providus Naturæ Conditor Deus affectus homini dedit, ut iisdem homo propriæ conservationi, & incolumentati con-

suleret, utilia sibi, & consona compararet, noxia & incongrua repelleret.

Stoicorum opinio fuit, affectus nihil aliud esse nisi opiniones boni, aut mali, proindeque in anima residere, quatenus cognoscitiva est. At cum ex dictis affectus præ se ferant animæ commotionem, spirituumque animalium, sanguinis, & cordis agitationem, quæ bonum, aut malum sensibile respiciunt; tametsi fateamur, ex opinione boni, aut mali, velut à caussa, affectus excitari, sequitur, affectus in anima precipue, quatenus appetitiva est, seu in ejus sentiente appetitu residere. Ut vero omnis sensatio perceptione fit, ita & appetitus non nisi imaginatione comite exercetur. Hinc in affectum commotione habetur, etiam motus cerebri, spirituumque animalium in eo existentium, qui subinde in cor, quasi ad primariam microcosmi machinam diffunduntur, unde cor ipsum contrahitur, vel dilatatur, sanguinem retinet, vel cum impetu propellit, prout affectus expostulat.

Appetitus sensitivus duplex esse intelligitur, concupiscibilis, & irascibilis; non quod duplarem facultatem re ipsa discernamus, sed quod duo sint ejusdem appetitiva facultatis officia. Concupiscibili enim in bonum sensibile nitimur, & in ipsis acquisitionem contendimus, irascibili autem malum sensibile refugimus, atque illud à nobis arceremus.

mus. Eadem tamen est facultas animae quae cordis, sanguinis, & spirituum animalium commotione operatur, prout objecta bona, aut mala occurunt.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Numero Affectuum.

EX iis, quæ de caussis Affectuum variis, & multiplicibus diximus in præc. quæst. consequens est, tot in homine excitari affectus, ut vix enumerari queant. Nihilominus ad certa quædam suprema capita revocari possunt.

Quum autem appetitus sensitivus velut in duas partes distribuatur, concupisibilem nimirum, & irascibilem; in concupisibili, sex distinguimus affectus, & in irascibili quinque. Affectus appetitus concupiscentis sunt *Amor*, & *Odium*, seu *Aversatio*; *Desiderium*, sive *Cupiditas*, & *Fuga*; *Gaudium*, seu *Voluptas*, & *Tristitia*, sive *Molestia*. Affectus appetitus irascientis sunt *Spes*, & *Desperatio*; *Audacia*, & *Timor*; ac demum *Ira*: de quibus singillatim disseremus.

Ac primo quidem ejusmodi distributio satis idonea videtur. Appetitus enim concupisibilis versatur circa bonum, & malum, ut illud assequatur, istud vero à se arceat. Porro bonum, & malum triplici consideratione spectari po-

test; vel in se se, & absolute; vel quatenus futurum; vel ut præsens est, sive prout præsens esse concipitur. Si bonum, & malum, in se se, & absolute considerentur, appetitus *amore* in bonum fertur ut illud assequatur: *odio* autem malum prosequitur, ut à se illud repellat. Si bonum, & malum velut futura concipientur, appetitus *desiderio* bonum recipit, sibiique illud exoptat: *fuga* autem à malo recedit. Denique si bonum, & malum præsentia sint, vel tanquam præsentia apprehendantur, *gaudio* exultat appetitus pro boni possessione: tristitiam autem concipit ex malo; Unde voluptatem ex primo habet, & complacentiam: molestiam vero, sive dolorem ex secundo experitur.

At appetitus irascibilis respicit bonum arduum, seu victoriam adversus ea, quæ boni assecutionem impediunt; respicit etiam malum evitandum, quatenus in caussam insurgit, quæ malum affert. Jam si victoria illa concipiatur, ut possibilis, atque re ipsa futura adhibitis mediis in id necessariis, tunc *spes* habetur; si vero judicetur impossibilis, inde oritur *desperatio*. Si malum repulsi facile intelligatur, & causam mali effectricem repelli, & impediri posse concipiamus, *audacia* excitatur, quia appetitus acceditur, viresque adversus eamdem sumit. E contra si ea repulso plurimum difficultis appareat,

timor exoritur, quia appetitus desistit, & succumbit. Denique malum præsens *iram* caussat, qua appetitus vindictam querit, & ultionem.

Attamen quum una, & eadem animæ appetitiva facultas sit re ipsa concupiscens, & irascens, hinc nulla nobis instituenda lis erit in nomine, si quis præfracte contenderet, aliqua ex prædictis affectionum objectis ad concupisibilem potius, quam ad irascibilem esse referenda; dummodo tamen varia officia fateatur; quod quidem vel ipsa experientia manifestat. Bonum etiam, & malum in præsentiarum spectamus, quatenus conveniens nobis est, aut disconveniens, unde fit, voluptatem in nobis oriri, vel molestiam. Præmonuimus pariter, nos hic disserere de Affectionibus animæ, quatenus conjuncta ex corpori. Nam & anima ipsa rationalis, ut rationalis est, bonum exoptat, & amat, malum vero respuit, & odio habet; atque illo dellectatur, isto tristatur. Sed de hisce animæ affectionibus nunc minime disputamus, qui peccati sunt, & tranquilli.

Cartesiani docent, *Admirationem* esse præcipuum animæ affectum, quo suspensa hæret, dum novum aliquod, singulare, & insolitum objectum illi obversatur. Sed admiratio intellectui potius adscribi debet, cuius est res ipsas cognoscere, & contemplari. Etsi enim commotio quedam animæ, & spirituum animalium in cerebro contingat, dum

in rei eiusdem admirationem trahimur; non tamen cordis, & sanguinis agitatio intervenit: quod affectionum peculiare esse animadvertisimus. Ipsa autem admiratio plurimum affectionum caussa haberi potest, quemadmodum perceptiones ipsius, ut caussas affectionum effectrices, jam antea spectavimus.

Primum porro locum inter animi affectus tenent, *Amor & Odium*. Amor itaque est motus animæ cum spirituum animalium, sanguinis, & cordis agitatione conjunctus, quo in rem aliquam, ut bonam nobis, & congruam, nititur, ejusdemque assecutionem, & possessionem inhiamus. E contra vero Odium motus est, quo animus avertit se se à re nobis noxia, & molesta: semper tamen is motus concitatiorem spirituum animalium, sanguinis, & cordis commotionem annexam habet. Hinc ameris, & odii objectum non ut in se est spectatur, sed respectu nostrum, quatenus nempe voluptatem, vel molestiam nobis afferre intelligitur: eoque vehementiores sunt ejusmodi affectus, quo magis clara, & distincta objecti ad nos relati perceptio in nobis est, aut majorem voluptatem, vel molestiam ex objecto oriri posse apprehendimus.

Ejusmodi affectus Amor, & Odium concupiscentiæ nominantur; eorumque primam causam esse amorem sui, quisque intelliget. Is vero nisi recta ratione, & divina gratia intra debitos honestatis, &

ju-

justitiae fines contineatur, voluntate nostra per peccatum originale sauciata, & in bonum sensibile deflexa, omnino inordinatus erit, & omnia susque deque vertet, ac malorum omnium origo merito reputatur ut Theologi distinctius exponunt.

Itaque si amore objectum bonum, seu pulchrum, utile, & delectabile, ad semet ipsum homo referat, Amor ille appellatur concupiscentiae. At purus Amor, qui amicitiae & benevolentiae dicitur, bonum alteri cupit, atque in alios homines refertur, quos propter ipsos amat, eosdemque bonis gaudere vult, nullo sui ipsius oblectamento, utilitate, vel delectatione. Quamquam ejusmodi amoris economia raro inveniatur, & qui alias amat, sëpe id ad semet ipsum, suaque commoda, aut voluptatem referat. Idem suo sensu de odio dicendum, ut aliud sit abominationis, quo malum in se detestamus, aut ab altero arceri volumus; aliud vero inimicitiae, quo malum volumus personæ nobis invisæ.

Desiderium, seu Cupiditas, & *Fuga* hinc sequuntur. In eo autem desiderium ab amore differt, quod amor bonum respiciat, quodcumque illud sit, aut præsens, aut futurum; desiderium vero in bonum ut absens nitatur, unde animus inquietus est, & contentionem adhibet ad bonum assequendum. Fuga etiam ex odio nascitur, quo malum aversamur, sed malum res-

picit, quatenus futurum, proindeque ab illo retrahimur, illudque refugimus, ne nobis noceat. Tum in desiderio, cum in fuga motus habetur appetitus sentientis, & spiritum animalium, sanguinis, ac cordis agitatio incitatior: eoque vehementior est, ut diximus, quo clarior, ac magis distincta in nobis extat boni, vel mali futuri perceptio.

Voluptas porro, & *Tristitia* ex præsentia objecti convenientis, aut inconvenientis, excitantur: sive ejusmodi præsentia realis sit, sive ex nostra imaginatione talis apparat. Quum enim animus bonum, quod exoptaverat, assequitur, gaudio perfunditur, & in illius possessione exultat, atque spiritus animales, & sanguis plurimum commoventur, & cor ipsum dilatatur: dilatationi autem cordis suavitas quedam adjuncta est. Hinc voluptas, quemadmodum Aristoteles adnotat, est velut finis actionis superveniens, eamdemque perficiens. At objecti inconvenientis præsenta tristitiam parit, animusque ab eo se retrahit, & spiritus animales, ac sanguis ad fugam excitantur, atque cor contrahitur, & hoc ipso amator quidam superfunditur. Plurimum tamen præcavere debet homo, ne fallacibus voluptatibus capiatur: quemadmodum etiam in rebus tristitiam afferentibus erigendus est animus, ne plus æquo locum det tristia, poenamque suam sibi graviorem reddat.

Ex

Ex bono autem, quod possibile esse judicamus, alter in nobis affectus oritur, nimirum *spes*, qua animus ad agendum erigitur, & ex præsensione quadam futuræ voluptatis per objecti convenientis assecutionem hauriendæ alacrior fit: unde *spes* in securitatem abiit, seu fidentiam. Ex spe *audacia* nascitur; qua adversus res molestas insurgimus, pericula, & labores contemnimus, & viriliter pugnamus. Magna porro in corpore, & in corde spirituum animalium, & sanguinis commotio tunc extat.

At *Desperatio* affectus est ex tristitia, & cupiditate promanans, dum videlicet boni, quod appetimus, consecutionem tot difficultatibus præpediri percipimus, quæ vinci, & superari à nobis non possint. Hinc homo animum despondit, cor contrahitur, & contabescit. In *timore* autem, etsi non tanta, aliquantula tamen animi depressio, cordisque contractio habetur, quod opinione teneamus, malum illud nobis esse adventurum, cuius repulsio plurimam difficilis videtur.

Ira denique concitatiorem animi, & corporis motum habet, quo vindictam querimus de injuria, & damno nobis illato. Trifariam autem distribuitur, nam bilis, seu excandescens dicitur, quum subita est, amaritudo, cum diutius in nobis manet, & instar saporis amari nos afficit; furor, seu sævi-

tia appellatur, quando iratus non acquiescit, ac veluti extra se raptur ad vindictam. Ira porro si impatientis animi effectus sit, vitiosa est, at cum ex amore justitiae procedit, atque moderamine regitur, bona est, & utilis; Unde illud: *Adjuvat ira hominem moderata ad strenue agendum: Excitat Orantem provocat æque Ducem.*

Prædicti autem affectus sæpe simul miscentur, ut manifestum est. Ita experimur in spe, & timore licet oppositi sint inter se; nam ubi nullus est timor, non spes, sed securitas extat. Quod & in plerisque aliis contingit.

Postremo alii affectus ex iis, quo exposuimus, derivantur, vel idem cum ipsis sunt, solo accidentario modo differentes. Ita *risus* ex cupiditate, & gaudio proficiscitur, dum res aliqua non injucunda ex improviso accidit; sed risus admirationem supponit, & cognitionem unius ab altero discretivam, atque proprius est solius hominis. Tristitiae species sunt *indignatio*, quam experimur, dum bonum aliquod immerenti contingit: & *invidia*, quæ est ægritudo animi propter alterius res secundas suscepta: atque hæc semper mala est. Si vero malum alteri eveniat, isque eo sit dignus, excitatur in nobis quidam lætitiae sensus cum *irrisione* quandoque conjunctus; at si is, cui malum accidit, illud minime promereatur, oritur in nobis affectus *com-*

miserationis, seu misericordiæ: cordis nimirum compassio, qua alienæ miseria pro viribus subvenire compellimur. Tristitiam lacrymae plerumque consequuntur propter abundantiorum humorem in glandulis palpebrarum. Ut autem ait Ovidius lib. 4. Tristium, elegia 3. *Est quædam flere voluptas: expletur lacrymis, egeriturque dolor.* In luctu enim velut iniquo pondere pectus premitur, & quidam angor, & expirandi difficultas nos occupat: per lacrymas autem dolor veluti exoneratur.

Ex hucusque dictis facile est ceteros omnes affectus compositos declarare. In omni autem affectu paullo vehementiori sanguis, & spiritus animales in cerebrum, in cor, & in alias quoque corporis partes diffunduntur, ac concitantur. Quamobrem vultus, os, frons, oculi, & vox ipsa pro affectuum varietate multifariam commoventur, & animi affectus diversos adjuvant, & manifestant.

QUÆSTIO TERTIA.

Utrum Affectus boni sint, an mali.

Stoicorum sententia ferebat, affectus animi, per se se, & natura sua malos esse, ac vitiosos, adeoque ex Sapientis animo prorsus extirpari debere, & evelli. At Aristotelis, Peripateticorumque doctrina tradit, Affectus naturales esse, immo vero etiam utili-

ter nobis à Natura datos, nec malos esse, nisi propter immoderationem, proindeque recta ratione regi opportere, moderari, & perfici.

Dicimus, affectus per se se non esse malos, proindeque extirpandos non esse, sed regendos.

Probatur. Affectus in nobis naturales sunt, atque à Deo optimo Naturæ conditore inditi, ut maxime utiles ad corporis conservationem, & ad humani generis societatem tuendam. Atqui malum per se se non est quidquid à Deo auctore procedit, & finem habet bonum. Ergo affectus per se se mali non sunt. Minor evidens est. Major probatur. Affectus, ut diximus, in animæ, ac spirituum animalium commotione siti sunt ab imaginatione, externisque objectis excitata. Porro quisque experitur, ejusmodi commotionem omnino naturalem esse. Tum Deus appetitum sentientem homini dedit, quo sibi congrua, & vitae necessaria sequatur, contraria refugiat. Sublata etiam voluptate omni, ac dolore, utilia à noxiis secernere non possemus. Spes instrumentum est jucunditatis acquirendæ. Timor diligentiam fovet. Misericordia alienæ miseriæ succurrat. Plurima quoquæ præclara facienda sine audacia, & virili constanter perfici nequeunt. Igitur &c.

Confirmatur 1. Id per se se non est malum, quo virtutes hominis excitantur, & foventur: At-

qui

qui affectus hoc ipsum præstant. Virtutes enim exercitatione acquiruntur : exercitatio autem sine appetitus sentientis motu, spirituumque animalium commotione nos habetur ; atque, ut in præc. quæst. animadvertisimus, ipsa etiam Ira in id confert. Ergo &c.

Confirmatur 2. Quæ regi possunt à ratione, atque ad justam, honestamque mediocritatem conformari, censeri nequeunt per se mala. Atqui affectus ratione ut plurimum regi queunt, temperari, ac moderari : quo totius Ethicæ summa respicit. Ergo affectus per se se mali non sunt ; atque adeo regendi sunt, non extirpandi.

Objicies 1. Affectus sunt perturbationes, & morbi animi. Ergo animum à fine suo, & à recta ratione avertunt. Quemadmodum igitur oculos turbatus, manus tumescens, membrum à loco suo motum fungi munere suo non possunt, ita dicendum de animo affectibus, passionibusque concitato.

Respondeatur : Distinguo antecedens: si affectus immoderati sint, & effrenati, concedo : si affectus sint moderati, & temperati, nego antecedens, & consequentiam. Affectus itaque, si modum excesserint, vitiosi sunt, & libidinis nomen habent ; proindeque mali non sunt per se se, sed ratio debet moderari, eosdemque intra debitos fines coercere. Quam-

obrem ipsos utiliter homo adhibere potest, ut diximus. Secus contingit in allatis exemplis, quæ affectiones præ se ferunt naturalistaui contrarias.

Instabis. Affectus non sunt in nostra potestate, nec regi possunt à ratione. Id enim sæpe experientia manifestat, nam affectus semper repugnant rationi. Ergo &c.

Respondetur ex doctrina Scoti in 2.d. 33.E, rationem utique non habere in affectus supremam potestatem, qua dominari iis queat pro arbitrio, eosdemque omnino cohære, ac compescere. Ratio tamen iisdem sapienter dominatur ; atque eos prudenter regit : quo modo Princeps dominatur subditis. Sive, ut aliis terminis effertur, voluntas dominatur affectibus, & appetitui sensitivo, politice, non despoticæ. Ratio igitur regit affectus, nec sinat se ab eorum impetu rapi ; objecta alia sibi proponit, quæ motus oppositos excitant ; corporis partes, & sensus retinet ; attentione, solertia, diligentia, cautione, exercitatione vim affectuum retundit, eosque intra honestatis, & iustitiæ fines coerct. Unde bene ajebat Horatius, lib. 1. epistolarum, ep. 1. *Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator, Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit, si modo cultura patientem accomodet aurem.*

Objicies 2. Omnes concupiscentia es mala. Peccatum enim dicitur ab Apostolo, epist. ad Rom. c. 7. &

ejusdem motus appellantur *passiones peccatorum*. Sæpe etiam aliis in locis Divinarum Litterarum concupiscentia damnatur. Invidia præsentim, & ira per se se malæ videntur, nam illa proximo detrahi, hæc vindictam inspirat. Hinc illud Christi, Matth. c. 5. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Igitur &c.

Respondetur, concupiscentiæ nomen bifariam intelligi. Vel enim significat appetitum ipsum sentientem, vel indicat libidinem, seu effrænatum ejusdem appetitus sentientis motum. Hoc posteriore sensu mala est, ut jam diximus, atque merito damnatur à S. Litteris, & ab Apostolo *peccatum* dicitur, quia ad peccatum inclinat, & ex peccato orta est. Deus enim fecit hominem rectum, sed per Adæ peccatum natura humana saucia ta, etsi libertatem arbitrii semper habeat, in malum deflexa est, & immoderatis, effrænatisque affectibus in malum trahitur. Nihilominus divinæ gratiæ adjutorio

sanata, & suffulta iisdem resistere valet, ac malum, ad quod inclinant, evitare, & bona complesti. Invidiam, quæ ex Tristitia oritur, malam esse diximus, quemadmodum & Iram, quæ vindictam petit. At ira ipsa bene uti possumus, ut in 2. quæst. declaravimus. Denique animadvertisimus, laudatum Matthæi locum in Græca, & Syriaca versione sic efferriri: *Qui irascitur fratri suo sine causa;* ut nempe Christus iram damnet, quæ extra rationis limites excurrit, & ultiōne meditatur. Præclare in rem nostram scribit S. Augustinus, lib. 9. de Civitate Dei, c. 5. *In disciplina nostra non tam queritur, utrum prius animus irascatur, sed quare irascatur:* nec *utrum sit tristis, sed unde sit tristis;* nec *utrum timeat, sed quid timeat.* Irasci enim peccanti, ut corrigatur; contristari pro astio, ut liberetur; timere periclitanti, ne pereat; nescio *utrum quisquam sana consideratione reprehendat.*

FINIS.

IN-

I N D E X

Disputationum omnium, & Quæstionum, quæ in hoc primo volumine continentur.


P hilosophiæ Præludium, pag. 7.	
Dissertatio Procœmalis.	12.
Quæst. I. An Adam creatus fuerit a Deo cum omnigena rerum natu- ralium scientia?	ibid.
Quæst. II. Qnonam ex fonte ha- serint Ethnici Philosophiam?	16.
Quæst. III. Sit-ne apud nos vera Philosophia?	22.
Quæst. IV. Expediat-ne Christiano Philosopho unicam seligere Se- ctam philosophandi; an vagari per omnes?	27.
Quæst. V. Que philosophantium Se- cta sit jure ceteris præponen- da?	30.
Quæst. VI. De usu, utilitate, & necessitate Philosophiæ ad Theo- logiam.	41.
Quæst. VII. Utrum liceat philoso- phari posthabita Sacra Auctori- tate?	46.
In Logicam Præfatio.	50.
Logicæ disciplinæ Pars Prior, quæ regulas, & præcepta comple- titur.	55.
Sectio I. De iis, quæ ad primam intel- lectus operationem attinent.	ibid.
Caput I. De Terminis.	ibid.
Caput II. De Terminorum affectio- nibus, seu proprietatibus.	60.
Caput III. De nomine, verbo, & oratione.	62.
Sectio II. De iis, quæ pertinent ad	
secundam intellectus operatio- nem.	63.
Caput I. De enuntiatione, seu pro- positione.	ibid.
Caput II. De propositione composi- ta, & modali.	66.
Caput III. De proprietatibus pro- positionum.	69.
Caput IV. De definitione, & divi- cione.	71.
Sectio III. De iis, quæ ad tertiam attinent intellectus operatio- nem.	72.
Caput I. De argumentatione; ejus- demque generalibus præceptis.	ib.
Caput II. De Syllogismo.	75.
Caput III. De principiis, & regu- lis syllogismorum.	80.
Caput IV. De reductione sillogis- morum.	82.
Caput V. De syllogismo demonstra- tivo.	85.
Caput VI. De Syllogismo nōpico, & sophistico.	87.
Caput VII. De præcipuis Logicæ re- gulis.	89.
Caput VIII. de methodo.	98.
Caput IX. De terminis, & distin- ctionibus, quorum usus in Scho- lis obtinuit.	100.
Logicæ disciplinæ Pars poste- rior.	108.
Disputatio I. De idoneo veritatis Criterio.	ibid.

Quæst.

Quæst. Unica. <i>Quodnam statuendum sit legitimum veritatis di-judicanda medium , seu Crite-rium ?</i>	ibid.	<i>ferant extremis relatis superad-ditam?</i>	186.
Disputatio II. <i>De idoneitate , & distinctione.</i>	122.	Disputatio V. <i>De veritate , & fal-sitate propositionis.</i>	203.
Quæst. Unica. <i>Utrum admittenda sit distinctio formalis inter pre-dicata metaphysica?</i>	124.	Quæst. Unica. <i>Utrum propositiones de futuro contingenti sint deter-minate vere , vel falsæ?</i>	ibid.
Disput. III. <i>De universalibus.</i>	140.	Disputatio VI. <i>De scientia.</i>	213.
Quæst. I. <i>Utrum admittenda sint re ipsa naturæ communes , quæ unitate gaudeant essentiali , seu formalis , & distinctæ sint à singu-laritatibus?</i>	ibid.	Quæst. Unica. <i>An scientia , fides , & opinio in eodem intellectu si-mul esse possint de eodem objecto formalis?</i>	ibid.
Quæst. II. <i>An natura communis sit per indifferentiam , vel per inex-stentiam?</i>	149.	Philosophiæ Pars secunda , seu Metaphysica, Metaphysicæ Præ-ludium.	220.
Quæst. III. <i>Utrum universale Logi-cum sit possibile; & an recte , ac sufficienter dividatur in quinque prædicabilia ; & quanam illa-sint?</i>	154.	Pars prima Metaphysicses, sive On-tologia.	222.
Quæst. IV. <i>An sit possibilis natu-ra quædam immultiplicabilis; ea-que à nostro intellectu concipi possit, ut logice universalis?</i>	163.	Disputatio I. <i>De Ente universim considerato.</i>	ibid.
Disputatio IV. <i>De prædicamen-tis.</i>	167.	Quæst. I. <i>Quid sit ens reale , & quid sit ens rationis; & an istud ef-fungi queat à nostris intellec-tu?</i>	ibid.
Quæst. I. <i>Quot sint conditiones ne-cessaria ad ordinationem Prædica-mentalem; & an Deus in ea coor-dinatione constitui possit?</i>	ibid.	Quæst. II. <i>An admittenda sit reali-tas entis communis Deo, & Crea-turæ , substantie , & acciden-tis?</i>	230.
Quæst. II. <i>Quo sint Prædicamen-ta?</i>	171.	Quæst. III. <i>Quid sit unitas entis realis ; & qua prima ipsius di-visio?</i>	242.
Quæst. III. <i>Quinam sit conceptus essentialis substantiae?</i>	177.	Disputat. II. <i>De principiis entis.</i>	245.
Quæst. IV. <i>Quænam sit essentia quantitatis?</i>	181.	Quæst. Unica. <i>Quodnam sit primum certæ cognitionis principium?</i>	ibid.
Quæst. V. <i>Utrum relationes incre-a-tis sint reales , & formam præ se</i>		Disputatio III. <i>De entis creati es-sentia , & generalibus illius af-fectionibus.</i>	251.
		Quæst. I. <i>An rerum creatarum essen-tie immutabiles sint , & ater-næ?</i>	ibid.
		Quæst. II. <i>Quid sit , & unde ori-a-tur possibilitas rerum crea-tarum?</i>	

rum?	256.		
Quæst. III. Quomodo Existentia rerum creatarum distinguatur ab ipsarum essentia?	260.	Quæst. IV. Utrum facultates propriæ Animæ rationalis, Intellectus nimirūm, & Voluntas vi polleant activā?	330.
Quæst. IV. Quodnam sit principium individuationis.	265.	Quæres. Quomodo intellectus, & voluntas distinguantur inter se, & ab Anima rationali?	334.
Quæst. V. Quid præ se ferat subsistētia rerum creatarum?	286.	Quæst. V. An intellectus sit causa totalis intellectionis? Et quid sit ipsa intellectio, & verbum mentis?	336.
Par secunda Metaphysices, sive Pneumatologia.	275.	Quæres. Quid dicendum sit de Memoriæ intellectiva, & de Speciebus intelligilibus.	341.
Disputatio I. De Deo, & illius perfectionibus.	ibid.	Quæst. VI. Quodnam sit objectum intellectus nostri?	342.
Quæst. I. Utrum ratio naturalis demonstret Deum existere?	ibid.	Quæst. VII. Utrum operationes animæ rationalis realiter ab ipsa distinguantur?	344.
Quæst. II. Utrum ratio naturalis evidenter probet Dei unitatem?	288.	Quæst. VIII. Utrum ideæ anima rationalis sint ingenitæ, vel adventitiae, & factitiae?	353.
Quæst. III. Quinam sit proprius, ac peculiaris character Divina Essentie? Ubi de Attributis Dei.	293.	Quæst. IX. Utrum habitus supernaturales animæ rationalis sint aliquid realiter ab ipsa distinctum, & in ea receptum?	363.
Disputatio II. De Angelis.	302.	Philosophiæ Pars tertia, nimirum Ethica.	377.
Quæst. Unica. Utrum Existentia Angelorum probari possit naturali ratione.	ibid.	Disputatio I. De bono, & malo.	378.
Disputatio III. De Animæ rationali.	306.	Quæst. I. Quid sint bonum, & malum.	ibid.
Quæst. I. Utrum Animæ rationalis sit spiritualis, & indivisiibilis?	ibid.	Quæst. II. Utrum voluntas nostra possit amare malum sub ratione mali?	380.
Quæst. II. Utrum Animæ rationalis sit immortalis? Et ratio naturalis non solum suadeat, verum etiam evidenter demonstret Animæ rationalis immortalitatem?	312.	Quæst. III. De naturali hominis felicitate.	383.
Quæres. Utrum anima rationalis sit immortalis ex sui natura?	323.	Disputatio II. De actibus humana.	391.
Quæst. III. Quenam sit essentia Animæ rationalis?	325.	Quæst. I. Utrum Voluntas nostra gaudeat libertate, & quomodo	do

do?	ibid.
Queres. Quandonam voluntas nostra habeat usum suæ libertatis?	396.
Quæst. II. Quænam sit radix nostræ libertatis? Et an voluntas determinationem accipiat ab ultimo judicio practico intellectus?	398.
Quæst. III. De objecto nostra voluntatis, variisque ejusdem affectibus.	403.
Quæst. IV. An sit possibilis pura omissionis libera?	410.
Quæst. V. De bonitate, vel malitia actus humani. Ubi de Legibus & Precepti agimus.	416.
Disputatio III. De virtutibus, & vitiis.	418.
Quæst. I. De natura virtutum, et rumque invicem connexione.	ibid.
Quæst. II. De prudentia, ejusque speciebus, & partibus.	424.
Quæst. III. De justitia, & virtutibus eidem annexis.	426.
Quæst. IV. De fortitudine, & ipsius objecto.	432.
Quæst. V. De temperantia, ejusque speciebus, & partibus.	433.
Quæst. VI. De virtutis.	434.
Disputatio IV. De affectibus Amimi.	435.
Quæst. I. De natura, caussis, & subjecto affectuum.	ibid.
Quæst. II. De numero affectuum.	438.
Quæst. III. Utrum affectus boni sint, an mali?	442.







F

P

FERRARI

Philosoph.

I

A
5438